37
25 A
13

Y1A6 1142

Digitized by Google

DE ANTIQUITATE
ECCLESIÆ HISPANÆ
DISSERTATIONES
IN DUOS TOMOS DISTRIBUTÆ

Iis præmittitur Codex Veterum Canonum Eccleſiæ Hiſpanæ ex genuina Conciliorum & Decretalium Epiſtolarum collectione S. ISIDORI HISPALENSIS

QUO ILLUSTRATUR

ANTIQUITAS ECCLESIÆ
PRÆSERTIM
OCCIDENTALIS

OPERA, ET STUDIO

CAJETANI CENNI

SACROS. BASIL. VATIC. PRESBYTERI BENEF.

TOMUS II



ROMÆ, MDCCXLI

EX TYPOGRAPHIA THOMÆ, ET NICOLAI PALEARINI

SUPERIORUM PERMISSU

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

Eminentiſsimo, & Revmo Principi

ARMANDO GASTONI
DE ROHAN

S.R.E. CARDINALI AMPLISSIMO.

Nicolaus, & Marcus Palearini Fratres S. P. D.

SI *quis ſenſus eorum, quæ hîc apud nos fiunt perveniat ad mortuos, Patri, cujus ex nuperrima morte vix tandem noſtræ lachrymæ exaruerunt, nihil profecto gratius putamus accidere poſſe,* ARMANDE CARDINALIS AMPLISSIME, *nihil*

*

opta-

Digitized by Google

optatius , quam ut non modo conſiliorum omnium , quæ ipſe ſuſceperit , ſummam compleamus , ſed etiam quæ in animo deſignaverit , habuerit , cogitaverit diligentiſſime perſequuti , ea omnia reddamus effecta . Itaque cum perſpectum habeamus illi deſtinatum in animo fuiſſe Diſſertationum de Antiquitate Eccleſiæ Hiſpanæ *Partem alteram prælo jam ſubjectam Tuo Nomini dedicare , religio nobis eſſet voluntati ejus minime obſequi , Tibique librum hunc offerimus Patris nomine , qui nullius rei tantopere fuit cupidus , quam ut veterem in Te ſuam obſervantiam , & ſingulare obſequium Tibi ſignificatione aliqua declararet . Neque tamen ea ſolum cauſa nos impulit , ut hoc ad Te munuſculum mitteremus , Pietas in Patrem , & ſtudium quæcumque ille optaverit efficiendi : quamvis enim non accederet Patris auctoritas , vel*

ipſius

ipſius nos cohortabatur interitus, ut quemadmodum ad cæteros noſtros Patronos, quorum ſumus in tutela & fide graviſſimo vulnere funeſtoque percuſſi confugimus, Tuum quoque tanti Viri, non modo ſplendore nobiliſſimi Generis, ſed maximis etiam virtutibus in altiſſimum locum provecti, auxilium, & opem hâc data occaſione peteremus, veteremque familiæ noſtræ clientelam a Te Patrono potentiſſimo, & maximo confirmari flagitaremus. Cum enim fortunæ Tuæ ſit ut poſſis, humanitatis vero ut velis juvare quamplurimos, non dubitamus, quin ex uberrimo benignitatis Tuæ fonte nonnihil in nos quoque derivetur, quorum natu maximum, dum hîc eſſes, & Splendore Vitæ Tuæ Romanam Curiam illuſtrares, multis, magniſque editis indiciis Tuæ in eum voluntatis, incredibili comitate in Tuam familia-

liaritatem prope receperis. Et quamquam induſtriâ Patris, DEIque virtute res noſtræ ſatis ſalvæ ſunt; perſpectum tamen eſt, plurimas familias avulſo capite repente corruere, omnes vehementiſſimè concuti, ut non nequicquam implorandam nobis Patronorum fidem, eiſque nos, noſtraſque res etiam atque etiam commendandas exiſtimemus. Quod ſi delatum munus fuiſſe Tibi acceptum intellexerimus, & perſuaſum animo habeas, nihil nos unquam prætermiſſuros quo omni ſtudio declaremus, nos tutelâ, & præſidio Tuo haud prorſus indignos; multum ſane de domeſtica luctu noſtro diminutum eſſe arbitrabimur. Vale GALLIÆ, ET UNIVERSÆ ECCLESIÆ DECUS, ET ORNAMENTUM.

AP-

Digitized by Google

APPROBATIONES.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

Ph. Spada Archiepiſc. Theodoſiæ Vicesgerens.

ALterum ſuarum *De antiquitate Eccleſiæ Hiſpanæ* Diſſertationum Tomum in lucem profert Cl. Vir atque in literaria Republica ſpectatiſſimus D. Cajetanus Cenni Sacroſ. Baſilicæ Vaticanæ Presbyter Beneficiatus. Illum jubente Reverendiſſimo P. Sac. Apoſtol. Palatii Magiſtro Aloyſio Nicolao Ridolfi attente legi, atque in eo omnia deprehendi Catholicæ Fidei conformia, ſingulari eruditione referta, atque ad illuſtrandam Eccleſiaſticam ſeptimi ſæculi hiſtoriam, præſertim Hiſpaniarum, aptiſſima. Idcirco illius editionem ſacræ antiquitatis ſtudioſis jucundam, & omnibus utilem fore confido.

Ex Ædibus S. Petri ad Vincula v. Non. Julii MDCCXLI.

D. Antonius Andreas Galli Abb. Canon. Regul. Sanctiſſimi Salvatoris, & Sac. Congreg. Indicis Conſultor.

APPROBATIONES.

TOmum alterum *de Antiquitate Eccleſiæ Hiſpanæ* quatuor inſignibus Diſſertationibus diſtinctum, atque elucubratum a Cl. Viro Cajetano Cenni Sacroſanctæ Baſilicæ Vaticanæ Presbytero Beneficiato juſſu Reverendiſſimi Patris Sacri Apoſtolici Palatii Magiſtri Aloyſii Nicolai Ridolfi perlegi, eumque non ſolum Catholicæ Fidei, ſanctiſque moribus conſentaneum, ſed etiam ſummis laudibus, ac publica luce digniſſimum judicavi. Ejus Autor Literario Orbi aliis editis Operibus carus, initio agit de Regibus, qui ſtabilem in Hiſpania fixere Sedem ab extremo ſeculi ſexti ad principium octavi; dein illuſtrat mirifice antiquam novamque diſciplinam Sacri Pallii tum Pontificii tum Archiepiſcopalis; ac de eo præſertim agit, quod primum S. Leandro Hiſpalenſi Metropolitæ a S. Gregorio Pontifice vere Magno tranſmiſſum eſt; mox inveſtigat originem, fundationem, & Inſtituta Monaſteriorum Hiſpaniæ; ac demum illius Regni veterem explicat Liturgiam. Quæ omnia, quoniam cumulatiſſime exequitur, multum ei debebit Chriſtiana Reſp. multum literæ, multum Sacerdotium & Regnum, quorum ſplendor, majeſtas, & autoritas firmo, & inviolato fœdere coaleſcunt.

Romæ ex Ædibus Vallicellanis Kal. Octobris Anno Domini MDCCXLI.

Joſeph Blanchinus Presbyter Congregationis Oratorii.

IMPRIMATUR.

Fr. Aloyſius Nicolaus Ridolfi Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

PRÆ-

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

QUUM Hiſpanæ antiquitatem Eccleſiæ duobus amplexus Voluminibus, primumque horum evulgans pollicebar, continuo ſequuturum alterum: haud ſane providebam fore, ut fide olim non exſoluta deprecarer veniam; quaſi inconſtans ipſe, aut certe imprudens fuerim.. Tantam ſiquidem nummariæ difficultatem rei futuram impedimento, ne meum conſilium implerem, vix putaſſem: præſeferente potiſſimum primo illo Volumine genuinam collectionem Canonum S. Iſidori Hiſpalenſis, quæ Pſeudo-Iſidorianas merces diſputatione omni remota profligat & diruit. Mecum quippe ajebam: Concertationis tam diuturnæ, tam vehementis extrema ita deleſſe, ut nullæ prorſus reliquiæ evaſerint, quæ Cleri antiquos mores, Eccleſiæ diſciplinam veterem, ejuſque judiciorum formam turbare deinceps poſſint; feciſſeque periculum rei defecando Eccleſiam omnium maxime obnoxiam iis incommodis, quæ miſcuerunt univerſas, non parvi momenti eſt. Fortaſſe alios ſtudium; cupiditas rei novæ alios; ac demum alios, quam mihi putabam collegiſſe, invidia ad comparandum ſibi quoſque exemplum voluminis non ſolum alliciet, ſed etiam impellet. Hinc autem confecto abunde pretio, nec mihi grave, neque ingratum aliis volumen alterum committam prælo. Mea me fefellit opinio: namque adverſus has meas cogitationes atque conſilia inexpectatæ, &, præter me, cuivis moleſtiſſimæ ortæ ſunt cauſæ, quas, quia præterire integrum mihi eſt, eritque ni fallor apud omnes bonos honeſtum, alto atque egregio involvam ſilentio. Quid poſtea? Impoſuiſſe me ſibi querebantur alii: alii literarum me tædere ajebant: ſummam attingebat nemo. Quamobrem toto biennio protelatus dies

Digitized by Google

& meam voluntatem, & eruditorum expectationem eluſit. Nunc demum, quæ jamdiu ad publicæ uſuram lucis paratæ erant diſſertationes, in lucem prodeunt. Quod quemadmodum fiat, tum grati animi cauſa, tum ut ſincera agam fide, exponam breviter.

Nicolaus Palearinius Thomæ inter bibliopolas urbis facile celeberrimi major natu filius, liberaliter cumprimis educatus atque humanioribus inſtitutus literis; ſumma præterea ſtrenuitate, atque alacritate adoleſcens annis ſuperioribus non cœlum mutandi conſilio, ſed librariam penitus aſſequuturus rem, præcipuas Europæ urbes peragravit. Quo plane exacto itinere typographiam multo elegantiſſimam, inſtar bibliopolarum Pariſienſium excitavit domi ſuæ. Novam modo artem paternæ ſociam, ut cum illa pariter coaleſcat, fiatque perinde inſignis ſagacitate & induſtria, ac ſelecta illam librorum copia, & cum exteris commercium celebrarunt; præſtantium editione operum fovere incipit. Primum omnium Regeſta integra INNOCENTII III. quorum partem non modicam Bouſquetus primo, ac deinde Baluzius arbitratu recenſuerunt ſuo, ex Paleariniana typographia in lucem venient. Interea, dum iſta commentariis, eruditiſſimiſque adnotationibus illuſtrantur; minora quædam, neque ea plane vulgaria aut injucunda publicæ lucis facta ſunt: nunc demum INNOCENTII operum editione nondum matura mearum Diſſertationum volumen alterum proprio Typographorum ſumtu emittitur. Quo quum gratius, optatiuſque nihil mihi potuiſſet accidere, perpetuum id grati animi monumentum profiteri iis omnibus volui, qui quantum mediocritate ingenii valeam, experientur. Neque alia erat cauſa, cur præfarer in parte operis, qui in principio ſummæ totius unamquamque utriuſque voluminis diſſertationem ferme aperui, atque explicavi.

Nihilominus quia fortaſſe dicar, Chronologiam jejune pertractaſſe, nonnihil hic adjungam neceſſe erit, ut quodammodo illam vindicem. Duas tantum epoches Hiſpanam & Dionyſianam adhibui; non autem plures fuerunt opus. Immo

Dio-

Dionyſianam Hiſpanis ignotam præteriiſſem impune; niſi, ut annorum numerus parabilior cuique ſit, hac frequentius, quam illa uterer in contextu rerum. Collegia Conſulum, Tribunitiæ poteſtates, aliique characteres temporum certi eruditiorem me, quam utiliorem Chronologum reddidiſſent: mihique perſuaſiſſimum eſt, quod inepti tantum ſcriptores, ſiquando e ſuis thecis indigeſtum aliquid promunt, & ſibi, & lectori inutilia congerunt ad comparandum dedecus aptiora, quam gloriam. Huc accedit, quod continuata annorum ſeries multa me coegiſſet cum Hiſpanis rebus conjungere, quæ ab iis ſejungi omnino debent: quare & de me dictum aliquando eſſet, quod de Platina vir doctiſſimus jure pronunciat (*Fleury hiſtoir. Eccleſiaſt. prefac.*) Eum nempe non neceſſariis Ethnicorum Imperatorum rebus impleſſe Vitas priorum Pontificum, quia inops ſcribendarum rerum ineruditum ſe nolebat iis credere, ad quos veniſſent ſua. Equidem ſpecioſas hujuſmodi eruditiones abjeci omnes: quumque totus fuerim in Eccleſiæ Hiſpanæ antiquitate illuſtranda citra ſuppoſita quævis documenta; Romanos Pontifices recenſui ſingulos, eorum quoque ætatibus non neglectis, Decretaleſque eorum epiſtolas aut data occaſione adhibui, aut ſimul cum ipſorum nomine indicavi, ubi nulla iis conjunctio erat cum rebus cæteris. Perinde factum eſt de documentis aliis. Ex Hiſpaniarum Epiſcopis eos tantum ſpeciali mentione dignatus ſum, qui aut vitæ ſanctitate, aut bene de Eccleſia meritis identidem clari occurrerunt. Toletanos VII. ſeculi fere omnes Antiſtites reperire erit, quorum ætates, ſediſque utplurimum initia, atque extrema indicantur, tanquam Catholici Regni Primatum, ſeu Eccleſiæ Hiſpanæ tunc temporis moderatorum.

Ad civiles res quod attinet, quamquam ſeorſim digeſtæ eædem ſint; tamen quandoque admiſcentur Eccleſiaſticis; præſertim quum Cæſarum gratia utentes Orientales hæretici, illorum nomine Decreta curarunt fieri, quibus error toto propagaretur Imperio. Wiſigothorum quoque Regum aut pro Eccleſia, aut contra illam facta cum aliis civilibus enarrantur,

tam

tam in his, quam in Eccleſiaſticis Scriptorum autoritate admodum parce adhibita, quippe quorum argumenta, & rationes quæri oportet in contextu operis, quod unum Chronologia amplectitur: Regum Gothorum annos exacte digerere non tam operoſum eſt, quam ſupervacaneum. Proinde Catalogos ſequi malui quam Autores etiam Synchronos, penes quos magnam ego inconſtantiam deprehendi; alii enim conregnantium quandoque filiorum cum Rege parente ætatem numerant, alii contra: inde autem maxima oritur difficultas, quæ Chronologum utquumque diligentem vexant, dum Concilia, publicaque Acta non ſemel pugnant cum iis, quæ quis curaverit ſtabilire. Unum & me peccaſſe compertum erit in legis Wiſigothorum evulgatione: namque alienæ me fidei ſemel credens, erravi illud ipſum ſemel: anno 647. legem latam a Receſvintho doceo, quam poſtmodo opinionem in Chronologia rejicio, biennio poſt factum id eſſe admonitus Hiſpanis Conciliis, & hiſtoria Regis Wambæ. Ecquis autem tuto incedat poſt tot ſecula in rebus adeo minutis, quas ipſi Scriptores veteres aut ignorarunt, aut neglexerunt? Arguar fortaſſe, quod civilia hujuſmodi, licet minima ſi conferantur cum ſumma rerum, ſus deque habuerim. Id vero ſit bono omine, modo quidquid mihi potiſſimum propoſui muneris, defunctus eo minus eſſe non dicar.

Cæterum quum plura ego volumina pollicebar de Eccleſia præſertim Occidentali; inducebam larvam antiquitati Hiſpanæ. Cauſas, quas ſupra vocabam aliis moleſtiſſimas, ſilentio jam noſti involutas eſſe. Hoc certum ſcias, rem totam de Antiquitate Eccleſiæ Hiſpanæ duobus his Voluminibus terminari. Cujus rei, niſi argumentum ſuppetit ſatis locuples ex ipſa fronte Voluminis; ampliſſimi erunt teſtes Metropolitæ omnes Occidentales confirmari cœpti per Sacrum Pallium longe poſt Saracenicam invaſionem; necnon Monachi amplexi Ordinem Sancti Benedicti tum in Galliis tum in Hiſpaniis per octavum nonumque ſeculum. Quum enim quæ allaturum me eſſe ajebam ad utrumque illud ſeculum ſpectantia deflorarim, ut Eccleſiaſticæ

ſticæ Hiſpaniarum rei conducens nihil prætermitterem; duaſque confecerim diſſertationes, quarum pars magna novam diſciplinam eſt ſequuta; parum ſane refert prodeant, necne nova de Occidentalis Eccleſiæ moribus commentaria. Poſſent ea quidem produci, & factum aliquando erit: nullum tamen inde incrementum accedet Hiſpanis rebus, quæ potiſſimum mihi curæ ſunt. Antiquitatem earum ſcilicet ante inſtaurationem Eccleſiæ illius delibavi omnem: meditorque ut vere dicam, antequam diſſero de nova Occidentalis Eccleſiæ diſciplina (quod nihil aliud eſt, præter criticem Recentiorum Scriptorum) Eccleſiam Hiſpanam, atque ejus diſciplinam & conditionem poſteriorum ætatum prorſus aliam a veteri in medium afferre. Mihi enim videor operæ pretium facturus eſſe, ſi ſextumdecimum percurrens ſeculum, Hieronymi Romani de la Higuera, Antonii Lupiani Zapatæ, Gregorii de Arguez, aliorumque male feriatorum hominum figlinam diruam, proſcindam fabulas; quod noſtra ætate faciunt eruditi Scriptores Hiſpani, præclara legentes veſtigia doctiſſimi viri Gaſparis Ibañez de Segovia; tametſi eorum nemo generalem hactenus rerum ſeriem enarrandam ſuſcepit. Joannis enim Marianæ clariſſimus continuator rem hiſtoricam civilem maluit amplecti, quam Eccleſiaſticam. Huic vero tantum inflixerunt vulnus Chronica illa ſuppoſita Flavii Lucii Dextri, Marci Maximi, Braulionis, Hauberti, & Luitprandi; ut cicatricem obducere non videatur poſse, niſi præcipuam ſingularemque ejus curam quis ſuſcipiat, rebus civilibus non neglectis, ſed, quatenus Eccleſiaſticas illuſtrant, cum delectu aliquo, parceque adhibitis. Ecquis autem ſubire id oneris libentius, validiuſque me ipſo poſſit, qui omnium primus argumenta propoſui, quibus nulla vi adhibita molimina eorum omnia funditus evertuntur? Equidem mente jam præcipio Eccleſiam iſtam priſci moris retinentiſſimis abundantem Epiſcopis; Regumque Catholicorum pietate eximia in dies coaleſcentem; maxime autem inſignem erga Apoſtolicam Se-

Sedem obſequio, futuram olim exemplo iis, qui Pſeudochronicis innixam traducere non dubitarunt.

Pauca hæc mihi adjungenda eſſe præfationi primi Voluminis viſa ſunt, quoniam præfari ſemel cœpi. Reſtat nunc ut te Lector orem, ne vertas mihi vitio, ſiquid offenderis elapſum ex meis oculis; quantum enim raptim excurrens paginas vidi, nihil ſententiam turbat. Semel Concilium Tolet. IX. appellatum occurrit *non provinciale*, quaſi fuerit Nationale; nam pro *nonniſi*, cujus vitio incertum, *non*, fuit poſitum. Hujuſmodi alia ſiquæ offendas; caſtiges, & pergas boni & æqui publicæ utilitati ſtudentem conſulere.

INDEX

DISSERTATIONUM, & CAPITUM

DISSERTATIO IV.

De Eccleſia Hiſpana ſeculi ſeptimi ſub Catholicis Gothorum Regibus.

CAP. I. *De Regibus Gothorum Catholicis.* pag. 1.
CAP. II. *De Officiis Palatinis Regum Catholicorum ſec. VII.* 25.
CAP. III. *De Eccleſia Hiſpaniarum ſeptimi Seculi.* 45.
CAP. IV. *De Conciliis tum Nationalibus, tum Provincialibus Hiſpaniarum per Seculum VII.* 69.
CAP. V. *De diſciplina Eccleſiæ Hiſpaniarum.* 108.
CAP. VI. *De moribus, atque judiciis Clericorum Hiſpaniæ per idem ſeculum.* 140.
CAP. VII. *De Eccleſiaſticis Beneficiis Hiſpaniarum eodem ævo.* 162.
CAP. VIII. *De Primatu Eccleſiæ Toletanæ.* 184.

DISSERTATIO V.

De Sacri Pallii antiqua & nova diſciplina.

CAP. I. *De Pallio miſſo ad S. Leandrum Hiſpalenſem Epiſcopum a S. Gregorio Magno.* 211.
CAP. II. *De ſacro Pallio tum Occidentali tum Orientali.* 231.
CAP. III. *De diſciplina veteri, & nova ſacri Pallii.* 251.

DISSERTATIO VI.

De origine, fundatione, & Inſtitutis Monaſteriorum Hiſpaniæ.

CAP. I. *De origine Monaſteriorum Hiſpan.* 272.
CAP. II. *De fundatione Monaſteriorum Hiſpaniæ.* 289.

CAP. III.

CAP. III. *De Inſtitutis, ſeu Regulis Monaſteriorum Hiſpaniæ ante Saracenos.* 311.

DISSERTATIO VII.

De Antiqua Eccleſiæ Hiſpanæ Liturgia.

PROLUDIUM. *Ratio, cur de ſola agimus Liturgia.* 332.
DISSERTATIO. *De miſſa Hiſpana tum Catechumenorum, tum ſacrificii per ſeptimum Eccl. ſeculum.* 333.
CHRONOLOGIA. *Tum civiles, tum ſacras res Hiſpanas ſeptem priorum Eccleſiæ ſeculorum digerens & illuſtrans.* 355.

DE AN-

DE ANTIQUITATE ECCLESIÆ HISPANÆ

DISSERTATIO IV.

De Eccleſia Hiſpana ſeculi ſeptimi ſub Catholicis Gothorum Regibus.

CAPUT I.

De Regibus Gothorum Catholicis.

GENTIS Gothorum, ejuſque Regum conditionem, religionem, ingenium novimus in ſuperiori diſſertatione. De inſtabili etiam illorum ſede in Galliis, dum Toloſæ primum, deinde Narbone conſederunt, ac de aliis multis, quæ ad eoſdem pertinent, pro meo inſtituto copioſe ſatis diſputatum ibidem eſſe crediderim. Reſtat igitur, ut de iis Regibus ad dicendum aggrediar, qui firmam, ſtabilemque in Hiſpaniis ſedem obtinuerunt ab extremo ſexti ſeculi ad octavi principium. Ii vero ſunt: Reccaredus, Liuva, Wittericus, Gundemarus, Siſebutus, Reccaredus II, Suinthila, Siſenandus, Chintila, Tulga, Chindaſvinthus, Receeſvinthus, Wamba, Ervigius, Egica, Witiza, Rudericus, Catholici omnes, numeroque I.

I. Diſcrimen inter Reges Gothos Catholicos, & Arianos.

Digitized by Google

Arianis pares, ſi Theodorici Italiæ Regis tutoriam adminiſtratio-
nem recenſeamus. Maximum ſane inter utriuſque generis Reges
diſcrimen, religionem fuiſſe, conſtat liquido; conditione autem
omnes, nonnullos etiam ingenio, utquumque Catholicos, ne mi-
nimum quidem ab Arianis diſcrepaſſe compertum mihi eſt, atque
exploratum. Aliud præterea diſcrimen non levis momenti Ca-
tholicis fuit cum Arianis Regibus: hos ſiquidem, cæterorum inſtar
Palatinorum, veſtis, atque conſeſſus, regio dumtaxat nomine il-
luſtriores, gentium ſubditarum oculis vix perſuadebant, ut cre-
derent, Reges eſſe. Illi e contrario paludamento utentes regio,
coronam geſtantes, & ſceptrum, in ſolii faſtigio conſtituti ma-
jeſtatem regiam omnibus abſolutam numeris præſeferebant.
Noluit ſcilicet poteſtatis omnis Autor Deus, ut quamdiu Ariani
Reges ſumma autoritate ſunt uſi, ullo majeſtatis indicio ſubdi-
tis ſibi populis reverentiam injicerent: tametſi diu eoſdem tulit,
ſpecioſo tantum nomine conſpicuos, mille inter vitæ pericula,
ſæpe ſuorum odia, ſæpe cædes iis concitante tyrannide, aut dura
imperantes populis, aut fatis ubique miſeram affligentes Eccle-
ſiam. Contra vero ſuſcitatis demum Regibus pietate ac religio-
ne conſpicuis, qui beatiſſimam florentiſſimamque rempublicam
ſanctis moribus, ac ſingulari erga Eccleſiam amore conſtitue-
rent, majeſtatis quoque incrementum adjunxit, ut ſubditis ſibi
gentibus obſequium ſimul, & metum incuterent. Ita autem divi-
nitus inſtitutos Catholicos Reges certum deliberatumque habeo
Eccleſiæ rebus præmittere; non enim minus cum iiſdem con-
juncta ſunt, quæ in Eccleſia ſeptimi ſeculi evenerunt; quam
cum civili Hiſpaniarum adminiſtratione, ſex prioribus ſeculis
tam multæ religionis ac diſciplinæ calamitates conjungebantur.

II.
Magna Catholicorũ Regum cum Eccleſia conjunctio.

Plura equidem narranda mihi eſſe video de Catholicis Go-
thorum Regibus, quam quæ de Arianis ſunt allata; utquumque
religionis dumtaxat, habituſque diſcrimen pauca ſuperioribus
addenda eſſe perſuadeant. Nam Sacerdotii ſplendor omnis & di-
gnitas, Regnique majeſtas, & autoritas adeo firmo, inviolato-
que fœdere coaluerunt; ut Eccleſiam Hiſpanam ſeptimi ſeculi
a Regni adminiſtratione disjunctam, hancque ab Eccleſiæ nego-
ciis ſeparatam fingere nemo poſſit. Quamobrem & quum de Ec-
cleſia dicam, ſuæ etiam partes erunt Regibus, & de iiſdem mo-
do ad dicendum aggrediens, multa Eccleſiam ſpectantia profe-
ram neceſſe erit. Nihilo tamen ſecius, quia Regiam majeſta-
tem, ac poteſtatem a Sacerdotii dignitate, atque autoritate evi-
denter

denter ſecernere ope documentorum conſtitui; eapropter de ipſis Regibus ſeorſim loquar, quantum ad res Eccleſiæ percipiendas ſatis erit. Quod ut perſpicue faciam, capita quædam certa mihi præſcribam, citra quæ vagari prohibear. De Catholici Regni principio, & conditione; de Regum Catholicorum electione; de eorumdem coronatione; de pietate illorum in Deum; de reverentia in Dei Sacerdotes, quam potero brevius, diſputabo: nec manum de tabula prius tollam, quam ſingula hæc monumentis certis comprobavero. Ordiar igitur ab horum capitum primo, ut Catholici Regni, florentiſſimæ hodie Monarchiæ, initium certum, certaque conditio vetus ipſis manibus teneatur. DISSERT. IV. CAP. I.

III. Principium Regni Catholici an. 586.

Hiſpanæ Monarchiæ auſpicem, conditoremque eſſe Leovigildum Arianorum Regum extremum, hiſtoria omnis vetus conſtanter docet. Ita Joannes Biclarenſis; ita S. Iſidorus Hiſpalenſis, in quorum oculis id evenit; ita S. Gregorius Magnus æqualis eorum temporum, atque Hiſpaniæ rerum ſcientiſſimus, ſententia unanimi affirmant. Verba ipſa queis utuntur, utpote ad Eccleſiæ res pertinentia, inferius afferam. Nunc Monarchiæ fundamentum conſtituo in Regni Suevorum excidio; quod Biclarenſis illigat cum anno Mauritii tertio (cœpit is die 14. Auguſti anno 584.) tametſi Romano adhuc milite in Hiſpaniæ finibus permanente, fundatio iſta Leovigildum non faciat Monarcham primum ejus gentis. Præterquamquod civilia bella religionis cauſa, excidium Suevorum ſequuta, ſatis aperte explicant Divinum conſilium, dum Hiſpaniarum populis ad catholicum dogma propediem traducendis præfulgere voluit in Leovigildo majeſtatem Regiam, cui inſueſcerent; at Leovigildum (quamquam non deſit, cui ſupremum objiſſe diem Catholicus videatur) Catholici Regni inſtitutorem fieri nequaquam permiſit. At fuerit bono omine Leovigildus Monarcha Hiſpaniarum primus, tam proximo diſtant intervallo Reccaredi Regis primordia, ut unius vix anni ſpatio invicem ſegregentur. Anno 585. poſt debellatos ſuperiori exeunte Suevos, Leovigildus Regia indutus veſte, atque in Solio reſidens ſolus cunctis Hiſpaniarum populis imperabat. Reccaredus autem filius, quem ſibi conſortem Regni adſciverat, ineunte anno 586. paterni hæres Regni, Regumque omnium Catholicorum primus ſic inſtitutam Monarchiam ſuſcepit. *Hoc anno* (4. Mauritii) *Leonegildus Rex*, ait Biclarenſis, *diem clauſit extremum, & filius ejus Reccaredus in* *tran-* Jo: Biclar. Chro.

DISSERT. IV. CAP. I.

tranquillitate Regni ejus ſumit ſceptra. Ipſa autem ſub initia anni 586. id eveniſſe liquet ex celebratione Concilii Toletani III. octavo idus majas anno 859. tunc ſiquidem Reccaredus numerabat Regni annum quartum, quæ res omne amovet dubium, quin regnare orſus fuerit aprili, ut minimum, menſe prædicti anni 586. Quamquam vero hinc alii menſes decem excurrerint, Biclarenſi eodem teſte, quum Reccaredus amplexus eſt Catholicam fidem; treſque anni ſolidi generalem hæreſis deteſtationem præiverint, jure nihilominus utraque temporum intercapedine neglecta, dum prædicatione ad tantam rem præparabantur animi, Reccaredi Regis, Regnique Catholici certam Epochem ſtabilire lubet anno 586.

IV. Conditio Catholici Regni Gothorũ ævo.

De Regni ejuſdem conditione ex iis, quæ tota hac diſſertatione diſputabuntur, eruenda prælibaturus aliquid, Reges fere omnes Catholicos, pietate in Deum, ac rebus pro religione fortiter geſtis celebres fuiſſe dico. Non parricidas, ſceleſtos, impios, ut Arianos, regnaſſe, ſi unum aut alterum excipiamus, compertum erit: tametſi aliquid priſci moris, ut in electivo Regno, uſque ad Saracenicam invaſionem perſeveravit; id quippe natura erat inditum genti Gothorum bellicoſiſſimæ, ut virtutem magis futuri Regis, quam regiam ſtirpem ſpectarent. Hinc eſt, quod ſiquem paterno, avito, aut fraterno regno potitum eſſe deprehendas, haud niti eum alio jure intelligas, quam aut præmaturo parentis, fratriſve ſuperſtitis conſilio, quo in Regni conſortium ſit adſcitus, aut ſpectata in bellis virtute, quæ regiam illi majeſtatem comparaverit. Quin etiam quos pietatis, ac religionis immemores, Arianorum inſtar, per vim ad ſolium aſcendiſſe ajebam, virtute dumtaxat duce ii ſummum imperium adepti ſunt. Ita perſuaſum volunt Siſenandi, qui ope Dagoberti Francorum Regis invaſit regnum, res poſtea præclare geſtæ; necnon Chindaſvinthi ſingularis virtus, qua perrexit ad ſolium, moderatuſque eſt eam gentem ſex annis. Quod ſiquis audacia, & ſcelere Catholici Regni ſedem aut ſibi arrogavit, aut deturpavit, ultricem is Dei omnipotentis dexteram non evaſit. Cujus rei perpetuum erit monumentum tyranni Witterici exitus: quum enim Liuvæ Regis adoleſcentis cæde ad ſolium aſcendiſſet, poſt tyrannidis ſeptem annos inter epulas multis vulneribus confoſſus interiit; necnon Witizæ omnium hominum ſceleſtiſſimi ejectio, miſerrimuſque extra ſolium interitus; quæ de Catholico ullo Rege vix proferenda viderentur, niſi ſecus teſtaretur hiſtoria.

Tan-

Tantas ſane calamitates, utquumque admodum raras, minoreſque alias, quas infra referam, id unum averterat; ſi Reges nimirum ſibi hæreditario jure, non autem electivo, ſuccedere conſueviſſent. Id tamen divinitus decretum erat, ut ex eadem illa ſtirpe, quæ tamdiu Eccleſiam afflixerat, perpetua Regum ſoboles non ante inciperet, quam multis probata calamitatibus, Regis Regum omnipotentiam per Eccleſiæ viros implorandam experientia magiſtra didiciſſet. Idque ipſa luce erit clarius, ubi ordo rerum ad Regum in Epiſcopos reverentiam nos ducet. Nunc de eorumdem electione, quæ juri ſucceſſionis prælata eſt ante Saracenorum invaſionem, inſtituendus ſermo eſt. Hanc vero non argumentis ex antiquitate Hiſpana eliciam, ſed ipſis ex ejuſdem legibus in plenariis, provincialibuſque Conciliis Toletanis latis exprimam. De Reccaredi Catholicorum primi, ſeptemque ejus ſucceſſorum uſque ad Siſenandum electione nihil aliud dicendum ſuppetit, quam priſcam obtinuiſſe conſuetudinem. Anno autem Siſenandi tertio, qui eſt Chriſti 633. ſatis perſpicua lege cautum fuit a Patribus Concilii Toletani IV. quomodo electionem Regum fieri oporteret.

DISSERT. IV. CAP. I. V. Electivum erat Gothorum Regnum non ſucceſſivum.

Capite igitur 75. hujus Synodi communi omnium conſilio ita ſancitum fuit: *Nullus apud nos præſumtione Regnum arripiat, nullus excitet mutuas ſeditiones civium; nemo meditetur interitus Regum: ſed & defuncto in pace Principe, Primates totius gentis cum Sacerdotibus ſucceſſorem Regni concilio communi conſtituant; ut dum unitatis concordia a nobis retinetur, nullum patriæ gentis diſſidium per vim atque ambitum oriatur.* Quæ ſane lex ne unquam in Hiſpaniis exoleſceret, haud ita multo poſt Concilium Toletanum V. decrevit, ut quotieſcumque Synodum celebrari contingeret, decretum illud totum 75. pro electione, & incolumitate Regum confectum recitaretur: *Propter malarum mentium facilitatem*, verba Concilii ſunt, *& memoriæ oblivionem, hoc ſacratiſſima ſtatuit Synodus, ut in omni Concilio Epiſcoporum Hiſpaniæ, univerſalis Concilii decretum, quod propter Principum noſtrorum eſt ſalutem conſtitutum, peractis omnibus, in Synodo publica voce debeat pronunciari.* Locus etiam electionis ſacra alia lege definitur viginti poſt id Concilium annis: *Abhinc ergo & deinceps ita erunt in Regni gloriam præficiendi Rectores, ut aut in urbe Regia, aut in loco, ubi Princeps deceſſerit, cum Pontificum, Majorumque Palatii omnimodo eligantur aſſenſu, non forinſecus, aut conſpiratione* pau-

VI. Electionis leges ex Cõciliis Toletanis.

Conc. Tolet. V. cap. 7.

Conc. Tol. VIII. cap. 10.

DISSERT. IV. CAP. I.

paucorum, aut ruſticarum plebium ſeditioſo tumultu. His religionis, atque juſtitiæ plenis legibus nitebatur Catholicorum Regum electio, nova ſubinde aliqua conditione accedente, prout eventus rerum perſuadebant, præcipue ad privatorum ambitum reprimendum. Electivi enim Regni natura olim erat, ut, aut privatas ob ſimultates, aut favore populi addente animos, aut etiam cupiditate inſtigante, clanculum moliretur aliquis res novas, quæ occaſione ſe offerente in Regum caput erumperent.

VII. Eadem cauſa perduellionis ſæpe innovatæ, & auctæ.

Nec longe petenda ſunt exempla hujus rei; nam iſto ex Catholico Hiſpaniarum Regno tam ſanctis legibus inſtituto, tantaque Principum ac Sacerdotum concordia in dies magis coaleſcente, ſuppetunt audaciſſimi ejuſmodi conjurationum autores. Præ aliis celebre eſt id conjuratorum collegium in provincia Narbonenſi Wambanis Regis tempore, cui acceſsit inde incrementum, unde exitium expectabatur. Nam Paulus Dux eo miſſus a Rege cum copiis, ut perduelles reprimeret, novæ ipſe conſpirationis autor, & caput factus, Regem ſuum ex Solii faſtigio deturbare moliebatur. Non pigeat inſaniſſimi hujus capitis temeritatem ex propriis ipſius ad Wambanem literis audire: *In nomine Domini. Fl. Paulus ſummus Rex Orientis Wambæ Regi Auſtri. Si jam aſperas, & inhabitabiles montium rupes percurriſti: ſi jam fertoſa, & ſilvarum nemora, ut leo fortiſſimus, pectore confregiſti: ſi jam caprearum curſum, cervorumque ſaltum, aprorum urſorumque edacitates radicitus edomuiſti: ſi jam ſerpentum vel viperarum venenum evomuiſti, indica nobis armiger, indica nobis Domine ſilvarum, & petrarum amice. Nam ſi hæc omnia accubuerunt, & tu feſtinas ad nos venire, ut nobis abundanter philomelæ vocem retexas; & ideo magnifice vir, aſcendit cor tuum ad confortationem, deſcende uſque ad clauſuras. Nam ibi invenies Oppopumbeum grandem, cum quo legitime poſſis concertare*. Id genus calamitatibus erant obnoxii Catholici Reges, quamdiu Regnum electivum fuit; ac proinde antiquas inſtaurare, ac novas identidem ferre oportuit leges pro eorum incolumitate, quas videſis in Toletanis Conciliis.

Duchesn. to. 1. pag. 821.

VIII. Ex iiſdem legibus Gothorum nobilitas jus habebat ad Regnum.

Harum duas præterire hîc nullatenus debeo; quippe ex quibus conſtat, tum Eccleſiaſticam autoritatem præcipuas tunc temporis partes habuiſſe in rerum ſumma; tum nobilitatem omnem Gothicam jure ad ſolium provehi conſueviſſe. Earum prima lata eſt in Concilio Toletano V. arcendi cauſa ignobile vulgus a ſummo majeſtatis apice, conceptis hiſce verbis: *Quoniam ſunt*

Conc. Tolet. v. cap. 3.

ſunt inconſiderata quorumdam mentes, & ſe minime capientes, quos nec origo ornat, nec virtus decorat, qui paſſim putant, licenterque ad Regalia Majeſtatis pervenire faſtigia: hujus rei cauſa, noſtra omnium cum invocatione Divina profertur ſententia, ut qui talia meditatus fuerit, quem nec electio omnium probat, nec Gothicæ gentis nobilitas ad hunc honoris apicem trahit, ſit a conſortio Catholicorum privatus, & Divino anathemate condemnatus. Alteram tulerunt Patres Concilii Toletani VI. confirmata prius, atque amplificata ea, quam recitavi: *Rege vero defuncto*, inquiunt, *nullus tyrannica præſumtione Regnum aſſumat, nullus ſub religionis habitu detonſus, aut turpiter decalvatus, aut ſervilem originem trahens, vel extraneæ gentis homo, niſi genere Gothus, & moribus dignus provehatur ad apicem Regni. Temerator autem hujus præceptionis ſanctiſſimæ, feriatur perpetuo anathemate*. Ad genus eligendorum Regum quod attinet tam perſpicua eſt utriuſque legis ſententia, ut commentariis non indigeat. Quod vero ad Eccleſiaſticam autoritatem ſpectat, id mihi liceat hîc in anteceſſum dicere, quod religione populorum moti Catholici ipſi Reges, deinde alii tum Hiſpani; tum exteri, ſuas Donationes, Chartas, & id genus alia confirmare cœperunt cum anathematis interminatione, more Sacerdotum, nil penſi habentes, num fas, nefaſve eſſet; religione enim magis, quam Civilium legum metu multitudinem contineri perſpexerant.

DISSERT. IV. CAP. I.

Conc. Tolet. VI. cap. 17.

IX. Hinc eſt, quod æque proſpectum eſſe electionibus Regum per ſacras hujuſcemodi leges inveniemus, atque iis quæ eorum mortem ſequuta ſunt. Horum potiſſimum fuit mortui Regis conjugem, ac liberos ab omni aut futuri Regis, aut Gothicæ nobilitatis injuria defendere. Extantque utriuſque rei præclariſſimæ leges quarum aliquas delibabo: *Execrabile facinus*, ajunt Patres Concilii Toletani XIII, *& adſueta admodum iniquitatis eſt opus, defunctis Regibus, ſuperſtitis ejus conjugis regale torum appetere, & horrendis pollutionum maculis ſordidare. Quis enim Chriſtianorum æquanimiter ferat defuncti Regis conjugem alieno poſtmodum connubio uti? aut ſequuturi Principis libidini ſubjugari? & quæ fuit Domina gentis, ſit poſtmodum proſtibulum .... Nulli ergo licebit ſuperſtitem Reginam ſibi in conjugio ducere, non ſordidis contactibus maculare. Non hoc ſequuturis Regibus licitum, non cuiquam hominum licebit eſſe permiſſum*. Ita de perſona ipſa Reginæ ſuperſtitis prudentiſſime de-

Sacris iiſdem legibus cavebatur Reginæ ſuperſtitis & Regiæ prolis incolumitati.

Conc. Tol. XIII. cap. 5.

DISSERT. IV. CAP. I.

decernebant Hiſpaniarum Epiſcopi. De rebus autem tam ad Reginam, quam ad Regiam prolem pertinentibus perinde optimam hanc legem ferunt: *Si quandoque contigerit, quod glorioſa domina Cixilo Regina diutinis, & felicioribus Sereniſſimi noſtri Principis Egicani annis tranſactis, religioſe exiſtat in viduitate ſuperſtes, atque ex eo habuerit dulciſſimas proles ...... ſed quietis ac tranquillitatis ope fulciti tam quod eis de parentali facultate debita ſucceſſio deerit, quam etiam quod per autoritatum oracula idem Clementiſſimus Dominus noſter illis conferre maluerit, vel quæ ab illis juſte conquiſita extiterint, imperturbato jure poſſideant; & de rebus ipſis judicare quod voluerint, incunctatam licentiam habeant.* Ita etiam multo antea ſaluberrime proſpexerant rebus Liubigothonis Reginæ, ac Regiæ ejus prolis: decreverantque ante annos fere quinquaginta: *ut omni benignitate omnique firmitate circa omnem poſteritatem Principis noſtri Chintilæ Regis teneatur dilectio, & præbeatur rationabile defenſionis adminiculum, ne rebus juſte proviſis, aut etiam parentum digna proviſione procuratis, vel juris proprietate injuſte fraudentur; nec a quoquam cauſæ illicitæ exquiſitæ lædendi eos præbeantur; ne quocumque modo in quibuslibet rebus, ſpreta dilectione, moleſtentur.*

Conc. Tol. XVII. cap. 7.

Conc. Tol. XIII. cap. 4.

Conc. Tolet. V. cap. 2.

X.

Iiſdem tenebatur ſucceſſor ulciſci perduelles, & iniquorum Regum proles deſerebatur.

Nec ſatis proſpectum ab ſe eſſe putarunt ii Præſules Catholico Regno, invaſoribus tam atrocia interminando, ac piorum Principum hæredibus honeſtiſſima, maximeque utilia decernendo. Nam ſceleſtæ adeo mentis fore aliquem noverant, qui nullo Dei, legumque metu a perpetrando ſcelere arceretur; Regumque ipſorum nonnullos invertendæ, quam ſervandæ reipublicæ cupidiores futuros eſſe intellexerant. Quamobrem tum perduelles ejuſmodi ab ultione legitimi Regis immunes abire noluerunt; tum Regum improborum prolem honore omni, ac rerum poſſeſſione ſpoliatum iri ſanxerunt. Singulæ utrumque caput leges comprobabunt: *Quod ſi in quopiam horum*, ajunt Patres Concilii Toletani VI, *quiſquam noſtrorum temerario auſu præſumtor extiterit, anathemate divino perculſus, abſque ullo remedii loco habeatur condemnatus æterno judicio. Is autem qui ejus ſedem fuerit aſſequutus, ſi vult tanto expiari piaculo, quaſi proprii patris, ejus ulciſcatur interitum. In cujus defenſionis auxilio univerſi Regni Gothorum conſentiat fortitudo. Si autem deſidi cura, & minori zelo tam funeſtum noluerint vindicare ſcelus, ſint omnes ex hac noſtra ſententia opprobrium cæteris genti-*

Conc. Tolet. VI. cap. 18.

Digitized by Google

tibus. Ita ſancitum in perduelles. De improborum autem Regum ſobole non multo antea ſic Toletani Patres decreverant: *De Suinthilane vero, qui ſcelera propria metuens, ſeipſum Regno privavit, & poteſtatis faſcibus exuit, id cum gentis conſultu decrevimus, ut neque eumdem vel uxorem ejus propter mala quæ commiſerunt, neque filios eorum unitati noſtræ unquam conſociemus, nec eos ad honores, a quibus ob iniquitatem dejecti ſunt, aliquando promoveamus; quique etiam ſicut a faſtigio Regni habentur extranei; ita & a poſſeſſione rerum, quas de miſerorum ſumtibus hauſerunt, maneant alieni, præter id quod pietate piiſſimi Principis noſtri fuerint conſequuti. Non aliter & Geilanem memorati Suinthilani & ſanguine, & ſcelere fratrem, qui neque in germanitatis fœdere ſtabilis extitit, nec fidem glorioſiſſimo Domino noſtro pollicitam conſervavit: hunc igitur cum conjuge ſua, ſicut & antefatos a ſocietate gentis, atque conſortio noſtro placuit ſeparari, nec in amiſſis facultatibus, in quibus per iniquitatem creverant, reduces fieri &c.* DISSERT. IV. CAP. I. *Conc. Tolet. IV. cap. 75.*

XI. Quod adminiſtrationis genus ſingulare in Hiſpaniis fuit.

Sanctiſſimas has leges ferri oportuit, ut caveretur incommodis, quibus electivum iſtud Regnum fuit obnoxium, cujuſmodi nulla noſtris temporibus adduci in exemplum poſſunt. Unicum ſupereſſe Poloniæ Regnum, in quo obtineat incorrupta Gothicæ dominationis imago, ſcriptor nuperrimus, & juxta celeberrimus teſtatur. At bona cum ejus venia longo proximum intervallo Regnum adhibet, ut Catholicum Hiſpaniarum referri contendat noſtro ævo; nam non modo diſſimilis adminiſtrationis regna exæquat, ſed unam Gothicæ dominationis indolem ſibi fingit, qua in re quanta erret via, intelliget qui & ſuperius dicta de Wiſigothis Arianis memoria repetat, & breve illud tempus in mentem revocet, quum iidem Gothi tenuerunt Regnum Italiæ, nihil enim habuiſſe antiquius ii videntur, quam Romanos Imperatores ſequi in omnibus, præter leges: gentem enim Gothicam nullis aſſuetam legibus, jure Romanorum vivere incepturam diffidebant. Itaque Poloniæ regnum haud recte dixeris incorruptam eſſe imaginem Gothicæ adminiſtrationis, quia electivum eſt, quia Palatinos ad Solii faſtigium provehit, quia ſuas viciſſitudines & ipſum patitur. Si enim nota omnibus, multorumque in oculis facta in Poloniæ Regum electione cum iis conferantur, quæ ſacris Conciliorum legibus ſancita erant in Hiſpaniis, imaginem hanc a Gothica adminiſtratione multum abludere compertum erit. Cæterum avertendis incommodis, *Voltaire Hiſt. de Charl. XII. R. de Sued. livr. 1.*

 qui-

Diſsert.IV. Cap. I.

quibus ejuſmodi dominatio ſubjiciebatur, ſacra Epiſcoporum Hiſpaniæ decreta remedium optimum fuiſſe, nos docent quæ poſtea evenerunt uſque ad Saracenicam invaſionem; quum Reges Gothorum deſierunt eligi.

XII. Ut ſingularis in Occidente Monarchia erat.

Hæc de inclytæ illius gentis æmulæ Romanorum Catholicis Regibus eligendis habui quæ dicerem. Nec mirari aliquem velim; quod genus ipſum electionis ſingulare apud Hiſpanos fuiſſe contendam: nam quamdiu hæc viguit Monarchia, omnia ibidem ſingularia erant, ut ex infra dicendis patebit. Quin etiam Monarchiæ felicitatem ipſam in occidente ſingularem comperies, ſi regna ejus & provincias circumſpectes. Et ſane immenſum Africæ vulnus, quod immanitas Wandalica eidem inflixerat, nondum obducta cicatrice irrumpentibus Saracenis integraſcit, Francorum Regum majeſtatem Palatii Magiſtratus obſcurant, quam poſtmodo ſcindent, ac proterent. Italiam Langobardi ubique vaſtant, Græci larvato affligunt ſæpius, quam ſuſtentent imperio. Quidquid Occidentis eſt reliquum, inter dynaſtas diviſum barbariem,& tyrannidem ubique ſuſtinet. Sola Hiſpania Monarchiam plerumque florentiſſimam præſefert ab extremo ſeculo ſexto ad octavi principium. Hanc profecto felicitatem pro conditione temporum ſatis diuturnam quandoque Franchorum arma, Romanus etiam miles in limite conſtitutus nonnunquam eripere Catholicis iis Regibus conabantur. Quid vero? Gothica inde virtus novum Monarchiæ felicitati addidit incrementum. Franci enim ſæpe ad incitas redacti ac debellati: Romanus autem miles ubi tranquillitatis, ſocietatiſque oſor ſatis aperte eſt detectus,tota Hiſpania pulſus tum pœnas audaciæ luit, tum ab ſe relicti acceſſione limitis ampliorem reddidit Monarchiam. Hujuſmodi rerum ſeriem peti oportet a Civilium Hiſpaniæ rerum ſcriptoribus, mea enim refert iis dumtaxat narrandis inſiſtere, quæ Eccleſiaſticam rem attingunt; idque in ſequentibus, data occaſione facturum me eſſe confido. Quod hic præcipi velim mente, nec civilis, neque Eccleſiaſticæ adminiſtrationis Hiſpaniarum exemplo utuntur commode Recentiores, ut Gallicanos inde mores exprimant, quorum conditio prorſus diverſa palam fiet, ubi de Conciliis ſermo erit. Nunc pergam dicere de Catholicis Regibus, quorum electionem, atque ea quæ ad electionem ſpectant, proſequutus ſum ſatis multis.

XIII. Catholici Reges inaugura-

Inter ſingulares Catholicæ hujus Monarchiæ laudes recenſeri & illa debet, quæ ad alia ſubinde Regna tranſlata eſt, inaugu-

guratio videlicet, ſeu coronatio Regum per Epiſcopos facta, a quibus conſecrationem adepti, ſubditos ſibi populos & poteſtatis ſummæ, & ſacræ unctionis metu ancipiti continebant. Inaugurationem hanc Regum Catholicorum liquido ex hiſtoriis conſtat cœpiſſe in Hiſpaniis, nullo aliunde, præterquam ex divinis Scripturis ducto exemplo. Nam in Galliis, quæ inauguratione ſuorum Regum regnis aliis omnibus præeunt, ante Pippinum Regem ab Archiepiſcopo primum Moguntino, deinde a Romano Pontifice Stephano II. inunctum ſacro chriſmate, nullum reperire eſt tota in antiquitate ſic inſtitutum Regem. Ipſis vero in Hiſpaniis laudabilem hanc conſuetudinem cœpiſſe ab Reccaredo Catholicorum primo affirmare non auſim; quippe video, Gundemarum Regem in ſæpe laudato Decreto pro aſſerenda Toletani Metropolitæ dignitate, prærogativam huic mutuari ex Regiæ Sedis honore, inaugurationis præclaro munere nullatenus memorato. Quamobrem in incerto illius principium cogor relinquere, ita ut poſt S. Iſidori tempora illam fieri cœptam eſſe affirmem, nullo ex iis Regibus ſancti adeo moris auſpice declarato. Poſt tempora inquam S. Iſidori: etenim vir ſanctus de ſuæ gentis Regibus verba faciens, ejuſmodi inaugurationis non meminit, tametſi alia utatur phraſi, quum Arianos, alia, quum Catholicos Reges deſcribit. Illos ſcilicet *regnaſſe*, aut *regnum ſuſcepiſſe* ait; hos vero aut coronæ, aut ſceptri, aut ſolii honore proſequitur. *RECCAREDUS*, inquit, *regno eſt coronatus. LIUVA regni ſuſcepit ſceptra. SISEBUTUS poſt Gundemarum regali faſtigio evocatur*. Nec vero iſta collineant ad ſacram inaugurationem; ſed recta referuntur ad ea, quæ paulo ante dixerat de Leovigildo: *Primuſque inter ſuos regali veſte opertus, ſolio reſedit; nam ante eam & habitus, & conſeſſus communis ut genti, ita & Regibus erat*. Huc accedit, quod inaugurationis ſacræ poſt S. Iſidori ævum tam perſpicua mentio eſt, ut extra aleam ponat hanc quæſtionem, utquumque nihil ferat lucis principio ejus certo.

Diſſert. IV. Cap. I. — bantur Epiſcopali manu.

S. Iſid. Chron. Gothor.

XIV. Eſt incertum, quando inauguratio iſta cœperit.

Summopere optandum erat, ut tantæ rei ætas certa haberetur: quod utique eveniſſet, ſi ſacra aliqua ex iis legibus, quæ in Toletanis Conciliis latæ ſunt pro Regibus, definitum de ea eſſet. At fortaſſe actum de illa erit in Comitiis Regni, quæ a Majoribus neglecta ad nos non venerunt. Quod certum ſcimus, Ervigius Rex, qui anno 680. ſucceſſit Wambani per ſacram unctionem ſe eſſe inauguratum fatetur: *Licet*, inquiens, *ſublimationis*

Conc. Tol. XII. praef.

DISSERT. IV. CAP. I. *tionis noſtræ primordia paternitati veſtræ opinabili relatione non lateant, quibus clara divinorum judiciorum diſpoſitione præventus & regnandi conſcenderim ſedem, & ſacroſanctam regni perceperim unctionem &c.* Multo autem antea inaugurationem ejuſmodi ſolennem eſſe in Hiſpaniis conſtat ex hiſtoria Wambanis, qui octo ante Ervigium annis inunctus erat. Recito Hiſtoriam ipſam ab Juliano Toletano ſcriptore ſynchrono enarratam: *Dilato*, inquit, *unctionis tempore uſque in nonumdecimum diem, ne citra locum ſedis antiquæ ſacraretur in Principem. Gerebantur enim iſta in villa, cui antiquitas Gerticos nomen dedit, quæ fere centum viginti millibus ab urbe regia diſtans in Salmanticorum Territorio ſita eſt. Ibi enim uno eodemque die, ſcilicet in ipſis calendis ſeptembribus & decedentis Regis terminus fuit, & pro ſubſequentis viri jam dicti electione populi acclamatio fuit..... Nonodecimo, poſtquam regnum ſuſceperat, die Toletanam urbem ingreditur. At ubi ventum eſt, quo ſanctæ unctionis ſuſciperet ſignum in Prætorienſi Eccleſia; ſanctorum ſcilicet Petri & Pauli, regio jam cultu conſpicuus ante altare Divinum conſiſtens, ex more fidem populis reddidit. Deinde curvatis genibus, oleum benedictionis per Sacri Quirici Pontificis manus vertici ejus refunditur, & benedictionis copia exhibetur.* Quod ſi Wambanis tempore obtinebat conſuetudo vetus ſacræ hujus inaugurationis, non eſt dubium, quin prædeceſſores ejus Reges aliquot perinde conſecrati, aut inuncti fuerint. Quumque conſtet liquido de rei ſumma, mei arbitror inſtituti plus referre conditionem ejus expendere, quam principium inveſtigare.

Duchesn. to. 1. pag. 821.

XV. *Cæremonia inaugurationis Regum Catholicorum.*

Audivimus ſupra, quod ſacra Concilii Toletani VIII. lege cautum erat, ut, ubicumque Princeps objiſſet ſupremum diem, ſucceſſor ejus eligeretur. Idque adamuſſim factum videtur poſt Receſvinthi mortem, namque ipſa in ea Villa, cui nomen *Gerticos*, & Receſvinthus eſt mortuus, & eſt electus Wamba. Cæremoniam dumtaxat inaugurationis allata nuper hiſtoria duce exploremus neceſſe eſt. Cæremoniam, inquam, ſolam: alia enim ad inaugurationem ſpectantia per ſe patent. Et ſane quod inaugurationis locus eſſet Regia Urbs Toletum; Inaugurator Toletanus Præſul; ac demum ſacra cæremonia perageretur in Eccleſia Prætoria in Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli honorem dicata, quæ Conciliorum plurium celebratione eſt ſatis nota; hæc tam perſpicua ſunt ex hiſtoria Wambanis, ut nova illuſtratione non egeant. Duo tantum ſupereſſe mihi videntur nimis jeju-

jejune deſcripta: Fidei nimirum profeſſio, quæ a benedicendo Rege ad altare ſanctum fiebat; & benedictio ipſa, ſeu mavis inunctio. Quum enim Pontificale Romanum utramque rem ab antiquitate derivatam præſeferat, operæ pretium eſt Gothorum Regum conſuetudinem proferre, ut quidquid diſcriminis cum generali Pontificalis benedictione illi intercedit, palam fiat. Primum ſane, idque maximum diſcrimen ſit ſtatim evidens, quod *Regio jam cultu conſpicuus* quiſque Rex Gothorum ad altare accedebat, ſacramque ab Epiſcopo unctionem ſuſcipiebat, quod quam diverſum ſit in Pontificali, mox referam. Deinde quum ſoleat dextrum Regum brachium inungi oleo Catechumenorum, contra Gothorum Regum inungebatur caput ſeu vertex, quemadmodum ſacræ teſtantur literæ conſueviſſe fieri, ubi inaugurarentur a Prophetis Reges Iſrael. Quamobrem duo hæc aliquanto enucleatius expediam.

DISSERT. IV. CAP. I.

XVI. Profeſſio a Regibus facienda non ſemper eadem erat.

Formulam certe ipſam profeſſionis, ſeu ſacramenti, qua Reges Gothorum utebantur ad ſacrum altare, ut fidem præſtarent populis, quum nullibi extet, membratim ex Conciliis aliiſve documentis eruere operoſum eſſet. Eam vero non ſemper fuiſſe unam, at ſua identidem incrementa accepiſſe compertum eſt. Præcipuas illius partes habemus in admonitione Epiſcoporum Hiſpaniæ in Concilio Toletano IV. his verbis alloquentium ſuos Principes: *Te quoque præſentem Regem, futuroſque ſequentium ætatum Principes humilitate, qua debemus, depoſcimus, ut moderati, & mites erga ſubjectos exiſtentes cum juſtitia, & pietate populos a Deo vobis creditos regatis, bonamque viciſſitudinem qui vos conſtituit largitori Chriſto reſpondeatis, regnantes cum humilitate cordis, cum ſtudio bonæ actionis. Ne quiſquam veſtrum ſolus in cauſis capitum aut rerum ſententiam ferat; ſed conſenſu publico cum Rectoribus ex judicio manifeſto delinquentium culpa pateſcat, ſervata vobis in offenſis manſuetudine, ut non ſeveritate magis in illis, quam indulgentia polleatis: ut dum omnia hæc, autore Deo, pio a vobis moderamine conſervantur, & Reges in populis, & populi in Regibus, & Deus in utriſque lætetur. Sane de futuris Regibus hanc ſententiam promulgamus, ut ſiquis ex eis contra reverentiam legum ſuperba dominatione, & faſtu regio in flagitiis, & facinore, ſive cupiditate, crudeliſſimam poteſtatem in populis exercuerit, anathematis ſententia a Chriſto Domino condemnetur, & habeat a Deo ſeparationem, atque judicium propter quod præſumſerit prava agere, & in perniciem re-*

Conc. Tolet. IV. cap. 75.

Digitized by Google

Disseʀt.IV. *regnum convertere*. Hujus ſententiæ erat profeſſio, quam popu-
Cap. I. lis exhibebant Gothi Reges Catholici. Quumque iſta concinant
De Civit. Dei cum D. Auguſtini præceptis de formando optimo Principe, &
lib. 5. cap. 24. cum S. Gregorii monitis ad Reccaredum Regem, mente ſtatim
S. Greg. lib. 7. aſſequimur, quam felix futurum erat id Regnum, cui tales Prin-
ep. 126. cipes præerant. Nec vero integra, ut ajebam, profeſſio ex allata Præſulum admonitione educitur; ſed tempore procedente aucta novis ſubinde capitibus, nova felicitatis incrementa tum civilibus, tum Eccleſiaſticis rebus pollicebatur.

XVII. Sæpe enim pro temporum conditione aucta eſt. Abs re non erit ſacramenti, ſeu profeſſionis hujus Regiæ additiones præcipuas recenſere, ut, quam fieri poſſit, magis integra eadem cæremoniæ benedictionis, ſeu conſecrationis præmittatur. Legem tulit Rex Chintila, qua in Hiſpaniis degere eos prohibebat, qui non erant Catholici. Quare huic plaudens Concilium Toletanum VI. a futuris Regibus in profeſſione hoc
Conc. Tolet. VI. cap. 3. caput eſſe addendum decrevit: *Conſonam*, ajunt Patres, *cum eo corde, & ore promulgamus Deo placituram ſententiam: ſimul etiam cum ſuorum Optimatum, illuſtriumque virorum conſenſu, & deliberatione ſancimus, ut quisquis ſuccedentium temporum Regni ſortitus fuerit apicem, non ante conſcendat Regiam ſedem, quam inter reliqua conditionum ſacramenta pollicitus fuerit, hanc ſe Catholicam non permiſſurum eos* (Judæos) *violare fidem, ſed & nullatenus eorum perfidiæ favens, vel quolibet neglectu, aut cupiditate inlectus tendentibus ad præcipitia infidelitatis aditum præbeat prævaricationis; ſed quod magnopere noſtro eſt tempore conquiſitum, debeat illibatum perſeverare in futurum*. Uberiori autem ſermone utentes Patres Concilii Toletani VIII. & priſtina amplectuntur capita, & nova adjungunt.
Con. Tol. VIII. cap. 10. Ita ii loquuntur de Regibus: *Erunt Catholicæ fidei aſſertores, eamque & ab hac quæ imminet Judæorum perfidia, & a cunctarum hæreſum injuria defendentes: erunt actibus, judiciis, & vita modeſti: erunt in proviſionibus rerum parci amplius, quam extenti; ut nulla vi, aut fictione ſcripturarum, vel definitionum qualiumcumque contractus a ſubditis vel exigant, vel exigendos intendant: erunt in conquiſitis obligationis gratiſſimæ rebus non proſpectantes proprii jura commodi, ſed conſulentes patriæ, atque genti. De rebus congregatis ab eis illas tantum ſibi vindicent partes, quas dictaverit autoritas Principalis ..... atque ita in eorum cunctis actibus, moribus, ac rebus præfatæ legis autoritas erit valitura, ut & perenniter maneat inconvulſa, & non prius*

prius apicem regni quiſque percipiat, quam ſe illa per omnia ſuppleturum jurisjurandi taxatione definiat. Quæ quidem ſatis mihi eſſe videntur ad percipiendam fidem, quam populis reddidiſſe Principes ante conſecrationem teſtatur Wambanis hiſtoria: neque enim afferri oportere arbitror profeſſionem ipſam Catholicæ Fidei, quæ ante alia ſacramenti capita pronunciabatur a Principe, dum ejus formula ex ſingulis fere Conciliis Toletanis ſuppetit, unde eam petere quiſque poteſt.

DISSERT. IV. CAP. I.

XVIII. Conſecratio ipſa diverſa a conſueta benedictione Regû.

Poſt hæc procumbens genibus ante altare, per Toletanum Præſulem conſecrabatur ſacri olei effuſione ſuper caput. Neque aliam hac in cæremonia celebritatem obtinuiſſe apud Gothos crediderim. Gladium ſcilicet, coronam, ſceptrum, ſoliique faſtigium monumenta vetera, & officia Palatina, de quibus infra, Catholicis iis Regibus vindicant. Hinc nihilominus conſuetam coronationem quam Pontificale Romanum præſefert, in Hiſpanias invehere nemo auſit. Quod ut verum ſit, ſpectare non pigeat recentiorem coronationem, ſeu benedictionem Regum. Ante Metropolitam, Præſuleſque pontificaliter indutos electus in Regem deducitur: admonetur a Metropolita; profeſſionem elicit, qua Eccleſiæ defenſionem ſpondet; poſt orationes, & preces a Metropolita inungitur brachium ejus dexterum inter juncturam manus & cubiti, & inter ſcapulas in modum Crucis, oleo Catechumenorum; Electus poſtea diſcedit ab altari, atque redit regalibus indumentis veſtitus, auditurus ſacrificium incruentum ex thalamo eminenti ſibi in Eccleſia parato; poſt graduale ab Epiſcopis & Optimatibus ad altare iterum deducitur, ibique a Metropolita gladium accipit, quo ſubinde ab eodem cingitur, corona ejus capiti imponitur, ſceptrum traditur, ductuſque ad Thalamum, in ſolio per eumdem Metropolitam inthronizatur. Equidem diffiteri non auſim, potiorem hanc cæremoniam illa eſſe; omnibus enim numeris abſolutam eam video, quam velut rudem, atque incipientem intueor apud Gothos, ſacræ dumtaxat Scripturæ morem ſequutos, ſolamque ſacri olei effuſionem ſuſcipientes a Metropolita, quem ad ſummum habuiſſe eos admonitorem ſuſpicetur quis potius, quam affirmet. Si enim *regio jam cultu conſpicuus* ad unctionem ſacram Rex accedebat, fuiſſe is admonitus ab Epiſcopis, qui Comitiis Electionis aderant, credi poteſt, tametſi profeſſio fidei ante ſacram cæremoniam facienda perſuaſum velit, quod Conſecrator ipſe Metropolita eum admonuerit juxta Romani Pontificalis inſtructio-

Pontif. Rom. de bened. & coron. Reg.

ctionem, quod cæteroqui incertum, atque incompertum mihi eſſe fateor.

XIX.

Cóſecratio eadem ab ipſis Gothis initium duxit.

Unum id certum, atque exploratum habeo, quod Regia hæc conſecratio, quam coronationem, benedictionemve appellare per me licet, quippe nullam de ejus nomine aut vi agitare quæſtionem vacat, ſeu intereſt, Catholicis accepta Regibus refertur. Non me latet, vindicari ab aliquo hanc gloriæ partem Galliarum Regibus. At, præterquamquod reclamat natura ipſa rei (Gothos ſiquidem aliud non habuiſſe exemplum, quod ſequerentur, præter Iſraeliticum, olei ſuper verticem effuſio abunde comprobat) duo mihi lubet quærere ab hujuſmodi vindice, quiſquis ille ſit. Si apud Gallos id moris viguit, quidni igitur documentum aliquod profertur unius ſaltem Regis conſecrationem exhibens ante Carolinam ſtirpem? Deinde Pippinus ille, quem primum omnium liquet in Galliis eſſe inunctum a Bonifacio Moguntino Epiſcopo, curnam poſtea novam a Stephano II. Romano Pontifice unctionem accipit? Dumque aliquid mihi reponendum excogitatur iis melius, quæ nonnulli hariolantur, fidenter ego affirmo, quod benedictio iſta, quam vocant, apud Chriſtianos Reges a Gothis primum incepta, ad alios ſubinde Reges admodum diverſa pervenit. Et ſane quæ benedictio in aliis Regnis obtinuit, pro conſecratione nunquam eſt habita; ſed apud Gothos, eſſet necne, conſecratio fuit credita, ut monumenta omnia teſtantur: *Regnandique per ſacroſanctam unctionem ſuſceperit poteſtatem*: eademque ſemel imbutus Princeps, nequaquam conſecrandus iterum viſus fuit: cujus rei præſentiſſimum argumentum ſuppetit ex confirmatione Ervigii Regis a Patribus Concilii Toletani XII. facta. Ii ſiquidem, tametſi ageretur de abſolvendis populis ab juramento, quo ſe adſtrinxerant Wambani adhuc ſuperſtiti, ac propterea, ut majus compararent obſequium novo Regi, repetita hunc unctione coram omnibus Hiſpaniarum Epiſcopis, ſacrare iterum potuiſſent; tamen conſecrationem illam primam generali decreto confirmandam, non autem repetendam conſtituerunt: *Ut*, inquiunt, *qui ante tempora in occultis judiciis præſcitus eſt regnaturus, nunc manifeſto in tempore generaliter omnium Sacerdotum habeatur definitionibus conſecratus*. Quamobrem coronatio Regia (vulgari uti phraſi nunc demum juvat) per manus Epiſcoporum, ſuam haud dubie originem ducit a Catholicis Gothorum Regibus.

Conc. Tol. XII. cap. I.

Ibid.

Huc-

DISSERT. IV. CAP. I.

XX. Reges Gothi exautorabátur ab Epiſcopis, ſolvebaturque populus a juramento.

Hucuſque allata in Monarchiæ Hiſpaniarum laudem, res conſequitur quæ, utquumque inſignem & ipſa commendationem mereatur, quia tamen invidiæ plena eſt, caſtæ integræque declarationis indiget, antequam proferatur. Profiteor igitur, me de Hiſpaniarum Monarchia ſeptimi tantum ſeculi, deque illius ævi Catholicis Regibus verba facere, nilque in medium afferre, quod coævis documentis non inhæreat, quæ an ullum ſuffragium præbeant famoſæ quæſtionis propugnatoribus, ignoro: id tantum ſcio, quod plenam Catholicorum Regum hiſtoriam conſcribere me oportet, quod ſemel cæpi. Reges igitur Gothorum, non modo ab Epiſcopis conſecrabantur, ſacriſque eorum legibus in ſolii faſtigio incolumes, ut ex prædictis liquet, perſeverabant; verum etiam ſi aut nequiter regnaſſent, aut ſacros violare Canones auſi eſſent, ab iiſdem Epiſcopis exautorabantur, populuſque a præſtito iis ſacramento abſolvebatur. Hinc eſt, quod celebris ea collectio Canonum in Hiſpaniis obtinens, quam dedi primo volumine, habet titulum ſatis perſpicuum: *De ultione Principum nequiter judicantium*. Quumque argumenta non ſint opus in factis certis, duo Regum exempla, Suinthilanis nempe, & Wambanis, quæ omnino ſuppetunt ſeculo eodem ſeptimo, ſpectanda proponam. Suinthilanem Regem, quia *crudeliſſimam poteſtatem in populis exercuerat*, exautoratum in Concilio eſſe, ſpoliata ejus progenie omnibus facultatibus, atque honoribus, ex ſuperius dictis conſtat. Wambanis pariter exautorationem indicabam nuper, de ſucceſſoris Ervigii conſecratione agens. Hic vero, Princeps antea religioſiſſimus, quia ſacrorum Canonum contemtor evaſerat, manumque extenderat ad Epiſcoporum jura, Regno excidit. Injuſtum, levem, obſtinatum, inſolenti licentia hominem, Eccleſiaſtica libertate eum appellant Epiſcopi: *Injuſtis Wambæ Principis juſſionibus. Prædictum Principem conſilio levitatis agentem. Conſuetis obſtinationibus definiſſe. Pro tam inſolenti hujuſmodi diſturbationis licentia.* Atque ea propter populos abſolvunt ab omni ſacramento, quo Wambani obtemperare tenebantur. *Ideo*, inquiunt, *ſoluta manus populi ab omni vinculo juramenti, quæ prædicto viro Wambæ, dum Regnum adhuc teneret, alligata permanſit, hunc ſolum ſereniſſimum Ervigium Principem obſequenda, grato ſervitii famulatu ſequatur, & libera.*

Cod. V. Can. l. 7. tit. 6.

Conc. Tolet. IV. cap. 75.

Conc. Tol. XII. cap. 4.

XXI. Ipſi Reges non expectata exau-

Hæc equidem Regum depoſitorum exempla ſerio reputans ignoro, num autoritatem Epiſcopalem magis admirer, an ſummam

toratione, deponebant regnum.

mam eorumdem Regum pietatem. Enimvero Epiſcopis decernentibus relictos eſſe a populis Reges improbos, horumque ſucceſſoribus obſequium præſtari cœptum fuiſſe, negari non poteſt. Verum iidem Reges ſuorum facinorum conſcientia Epiſcopalem illam autoritatem prævenerant; ita ut, niſi fucum veritati velim facere, abdicaſſe eos Regnum, non eodem dejectos affirmem neceſſe ſit. Neque alia rem narrant phraſi adverſus utrumque Regem decernentes Epiſcopi. *De Suintbilane vero*, ajunt S. Iſidorus cæterique Patres, *qui ſcelera propria metuens, ſeipſum regno privavit, & poteſtatis faſcibus exuit*. Patreſque alii de Wambane ſic loquuntur: *Wamba dum inevitabilis neceſſitudinis tenetur eventu, ſuſcepto religionis debito cultu, & venerabili tonſuræ ſacræ ſignaculo &c.* Iidem certe Epiſcopi, dum Suinthilanem ſe abdicaſſe ob metum ſuorum ſcelerum, & Wambanem inevitabili compulſum neceſſitate regnum deſeruiſſe ajunt, clam nemine eſſe ſinunt, quod Epiſcopale judicium imminens uterque prævenerat: ac proinde quanti eſſet Epiſcoporum poteſtas in Reges Gothos perſpicue docent. Reges nihilominus maluiſſe regno exui, quam tyrannide uſurpata, religionis atque Eccleſiæ virorum oſores fieri, quod prædeceſſores Ariani fecerant, ſummæ eorum pietatis indicium eſt. Quamobrem ſingularem illius Monarchiæ felicitatem quis merita non proſequatur laude, quum videat, ipſos illos Reges, quos ſpiritus vertiginis in arcum pravum converterat, religionis non eſſe oblitos? Verum præcipuæ hujus laudis partes ſanctitati ac doctrinæ Epiſcoporum debentur: inde enim populi obſequium erga Principes, inde Principum erga Eccleſiam reverentia, inde omnia religionis incrementa derivabantur. Hac autem de re alibi agendum erit.

Conc. Tolet. IV. cap. 75.

Conc. Tol. XII. cap. 1.

XXII. Regum Catholicorum pietas in Deum.

Depromenda nunc eſſe viderentur argumenta certa hujus reverentiæ Principum in Dei ſacerdotes. Præſtat nihilominus de illorum pietate in Deum nonnihil præmittere. Hanc equidem egregiam laudem nequaquam multis perſequar; nam infra de Conciliis agens, frequentia hujus rei argumenta in medium afferam. Præterquamquod, ſi Reccaredi pietatem omnigenam, Gundemari ſtudium ardens in domum Dei, Siſebuti amorem immenſum pro Catholicæ fidei propagatione, Chintilanis adverſus hoſtes Catholicæ religionis conſtantiam, Recceſvinthi lectionem meditationemque ſacrorum Bibliorum, ac Wambanis (quamquam ob violationem Canonum depoſiti) ſanctitatem velim ſingillatim exponere, modum capiti ſero admodum faciam. Id

Id tamen præterire non debeo, quod celebre id cognomentum *Catholici*, quo antonomaſtice appellant Hiſpaniarum Reges, non Pontificiæ inſtitutionis eſt, ita ut Sixto IV, Innocentio VIII, & Alexandro VI. quintidecimi ſeculi Romanis Pontificibus acceptum referant; ſed ab iiſdem Pontificibus merito inſtauratum quia deſueverat, longe antea Gothis ipſis tributum fuerat, ob catholicæ religionis fervorem natura illis inditum. Idque ab aliis recte obſervatum eſſe video, qui Chintilanem, eo quod lege ſanxerit, ad perfidiam Judæorum penitus convellendam, ut nullus in ſuo regno degeret, niſi catholicam fidem profiteretur, *Catholicum* eſſe cognominatum teſtantur. Sed ante Chintilanem annis fere quinquaginta S. Gregorius Magnus Reccaredo gratulans, quod ejus pietate, atque opera, *cuncta Gothorum gens ab errore Arianæ hæreſis in fidei rectæ ſoliditatem tranſlata eſt*, præ aliis multis, hæc illi ait: *Quum veſtra Excellentia conſtitutionem quamdam contra Judæorum perfidiam dediſſet, hi de quibus prolata fuerat, rectitudinem veſtræ mentis inflectere pecuniarum ſummam offerendo moliti ſunt, quam excellentia veſtra contemſit, & omnipotentis Dei placere judicio requirens, auro innocentiam prætulit*. Quamobrem Cardinalis Aguirrii ſententiam non amplecti non poſſum, qui a Reccaredo eodem ad ſua tempora præclarum *Catholici* cognomentum derivat. Quod ut alacrius faciam, Concilii Toletani III. unanimes Patres ſuam hanc de re apertiſſimam ſententiam mihi ſuppeditant: *Cui a Deo æternum meritum, niſi vero Catholico Reccaredo Regi?* Non igitur Chintilani ob laudatam legem, quam meritis effert laudibus Concilium Toletanum VI; ſed Reccaredo, qui facile omnium ſucceſſorum princeps pietate, ac Fidei catholicæ ardore eſt habendus, titulus ille inſignis, quo Hiſpaniarum Reges optimo jure utuntur, ſexto exeunte ſeculo a Nationali Synodo eſt tributum.

DISSERT. IV. CAP. I.

S. Gregor. l. 7. ep. 126.

Conc. Hiſp. t. 2. p. 518.

Conc. Tol. III. præf.

Conc. Tolet. VI. cap. 3.

XXIII. Unde eſt profectum Catholicorum Regū nomen.

Hoc animadvertere illos decuit, quorum animos intempeſtiva libido inceſſit indagandi, num Romani Pontifices recte tribuerint Ferdinando id cognomentum. Quamvis enim vis Maurorum ingens aut in Africam tranſfretare compulſa, aut in Catholicæ fidei ſinum recepta, jure comparaverint Ferdinando ac Reginæ Iſabellæ ejus conjugi Catholicorum titulum, qui Pontificia autoritate ad hæredes tranſiit; tamen ab antiquiſſima Gothorum Regum pietate in Deum profectum eſſe, Concilii nationalis Toletani ſententia niti, ac Romanorum Pontificum

Digitized by Google

DISSERT. IV. CAP. I.

valde opportuno decreto inſtauratum fuiſſe compertum exploratumque eſt. Ecquis enim neſciat, quod præclarum aliud cognomentum *Chriſtianiſſimi*, Franciæ Monarchiæ Regum ſingulare, cujus ſi Pontificiam inſtitutionem reputes, minime antiquiorem ſeculo eodem quintodecimo invenias, & ipſum inſtauratum potius teſtantur Monumenta vetera, quam recens a Pontificibus Romanis excogitatum? Nonne *Chriſtianiſſimum* Carolum Martellum S. Gregorius III. nuncupavit? Cauſæ quidem adſunt, cur neque Hiſpaniarum, neque Galliarum Reges perpetuum ſibi ac ſuis ſucceſſoribus illum titulum effecerunt. Francis ſiquidem magis arriſit Patricios Romanorum, deinde Imperatores nuncupari: Gothi autem maluerunt rebus geſtis Catholici eſſe, quam vocari. Id nihilominus nihil impedit, quin præclarum utrumque cognomentum, quo celebres toto orbe Monarchiæ, tanquam avito utuntur, inſtauratum a Romanis Pontificibus affirmemus, quum hæreditarium utriuſque Regibus fore decreverunt. Quamobrem optimo, meritoque jure hoc certo aſſerere mihi videor poſſe, quod Monarchiæ Hiſpaniarum extremo Leovigildi anno comparatæ, ſedis Regiæ Toleti conſtitutæ, ac Regalium Inſignium ab eo primum adhibitorum hæres Reccaredus, quum Chriſti anno 589. Regni ſui quarto ſubditos ſibi omnes populos deteſtari voluit Arianam hæreſim, lege inſuper adverſus Judæorum perfidiam lata, in Concilio univerſali totius Regni, ſeu Nationali, adeptus eſt inſigne illud cognomentum *Catholici*, quod diu neglectum, atque Apoſtolica autoritate inſtauratum Hiſpaniarum Reges, tanquam præcipuum majeſtatis decus ſibi vindicant.

XXIV. Regum Catholicorum reverentia erga Epiſcopos.

Reſtat nunc, ut quod extremum ſum pollicitus, de Catholicorum Regum erga Epiſcopos reverentia, dicendum eſſe aliquid videatur. Id genus argumentorum Concilia omnia plena ſunt, deque iis ſuo loco diſputans, tam multa proferam, ut luce ipſa clarius rem probaſſe ſim dicendus. Lubet hic delibare ex iis aliquod, ut ſtem promiſſis; nec vero ex ullo eorum Regum quos nuper recenſebam, tanquam pietate in Deum aliis celebriores; totum quippe Gothorum Catholicorum regnum tam ampla eſt virtutum ſeges, ut quacumque me vertam, ſummarum laudum argumenta videam. Audiatur igitur Ervigius ſucceſſor Wambanis, quem omnium ultimum nominavi. *En*, inquit, *Reverendiſſimi Patres, & honorabiles miniſteriorum cæleſtium Sacerdotes, ſoliditatem ſanctæ fidei veraciter tenens, & ſincera cordis*

Conc. Tol. XII. præf.

cordis devotione amplectens teſtimonium Fraternitatis veſtræ DISSERT. IV.
fortiſſimum in ſalutis noſtræ advoco adjumentum: ut quia re- CAP. I.
gnum fautore Deo ad ſalvationem terræ, & ſublevationem plebium ſuſcepiſſe nos credimus, ſanctitudinis veſtræ conſiliis adjuvemur..... Ut ſicut eadem regni noſtri primordia conventus veſtræ ſanctitudinis compererit divinitus ordinata, ita bis & orationum ſolamen impendat, & ſalubrium conſiliorum nutrimenta impertiat: quo ſuſceptum regnum ſicut jam veſtris aſſenſionibus teneo gratum, ita veſtrarum benedictionum perfruatur definitionibus conſecrandum, ut innovatio quodammodo noſtri videatur Imperii hæc numeroſa veſtri ordinis aggregatio &c. Hinc ſatis ſuperque emicat Gothorum Regum erga Epiſcopos reverentia. Siquis autem plura cupit, haud ita multo poſt de Conciliis Hiſpaniarum ſacroſanctis (quæ a nonnullis comitia Regni perperam dictitantur) verba facturus pro virili contendam, ut nihil eorum prætermittam, quæ ſingularem hanc Regum Gothorum obſervantiam magis magiſque comprobent.

XXV. Unde nata imitatio eorundé dum anathema infligebant.

Ad Regiam utique hanc reverentiam erga Epiſcopos referri debet conſuetudo illa Gothorum, qua ſuas Chartas, ſuaſque Donationes, ac publica omnia documenta anathematis interminatione concludebant. Cujus rei apud Marculſum extant formulæ: *Si quis huic voluntati meæ vel repetitor, convulſor etiam aut tergiverſator extiterit, anathema ſit.... Tam qui fecerit, quam qui conſentiendo fecerit, anathema ſit.... A conventu omnium Chriſtianorum, vel limitibus Eccleſiarum extraneus habeatur... A communione extraneus efficiatur.* Quamvis enim hæc magis ſpectent Epiſcopalem autoritatem, ob ſpirituales pœnas formidabiliorem populis, quam civilem temporales dumtaxat infligentem; tamen quâ Epiſcopalem eamdem autoritatem imitabantur Reges, ſatis apertam eſſe omnibus volebant ſuam ipſorum reverentiam erga Dei Sacerdotes. Neque aliunde originem habuiſſe quis putet hanc agendi rationem, quam Card. Baronius nil penſi habens ejus principium, generali admodum definitione, apud quemcumque obtinuiſſe affirmat octavo ſeculo; & Mabillonius a Gregorii Magni temporibus inoleviſſe animadvertit. Nam quod primum affert exemplum idem Mabillonius, eſt Chindaſvinthi privilegium hiſce inſperſum clauſulis: *Sit condemnatus, & perpetua ultione percuſſus in conſpectu Domini noſtri Jeſu Chriſti.... ſit anathema, Maranatha, ideſt duplici perditione damnatus, ut etiam de hoc ſeculo, ſicut Dathan, & Abiron vivus* *terræ*

Marculf. l. 1. form. 14.

De re dipl. l. 2. cap. 8. n. 23.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

DISSERT. IV. CAP. I.

terræ continuo abſorbeatur lacu, & Tartareas pœnas cum Juda Chriſti proditore perenni perferat cruciatu. Præterea ſi totus circumſpectetur Occidens ævi illius, conſuetudinem ex ſingulari pietate in Deum, atque ex ingenti erga Sacerdotium reverentia natam, nemo auſit adſcribere aliis, quam piiſſimis, & juxta obſequentiſſimis Gothorum Catholicorum Regibus, quos Palatini tum in Hiſpaniarum, tum in Narbonenſis primæ, ſeu Galliæ Gothicæ provinciis imitati: ad proxime ſequentes ætates rem, velut per manus, tranſmiſerunt. Huc etiam accedit, quod Catholici Gothorum Reges qui ſoli tunc temporis conſecrabantur Iſraelis inſtar Regum, velut Chriſti Domini habebantur a populis, ipſique ſe tales habebant: ac proinde Epiſcopos in iis rebus, quæ juriſdictionis non eſſe putabant, imitari ſe arbitrabantur poſſe. Neque ob id litem iis unquam moverunt Epiſcopi, tametſi neque eſſe fas Principibus excommunicationes infligere, neque ullius roboris anathemata illa eſſe certum ſcirent. Evidens quippe in iis argumentum adſpiciebànt tum Regiæ erga Sacerdotium reverentiæ, tum cauſæ cur in officio populi continerentur.

XXVI. Epiſcopi, & Clerus fidei ſacramentũ præſtabant ultro Regibus.

Et quidem jure. Nam coaleſcere in dies videbant Monarchiæ felicitatem illam, cujus diuturnitati tot ſacris legibus conſulere nitebantur. Quid quod iidem Epiſcopi, utut ſacrorum Canonum ſcientiſſimi, eamdem ob cauſam rem fecerunt ſcriptoribus Diſciplinæ perceptu arduam, aleæque, & invidiæ plenam? Nonne illi Epiſcopi ſacramento fidem Regibus pollicebantur, clerumque omnem, ac Religioſos totius Regni ad ſacramentum idem adigebant? Argumentis non egent res per ſe ſatis claræ.

Conc. Tolet. x. cap. 2.

Si quis, ajunt Hiſpani omnes Præſules, *Religioſorum, ab Epiſcopo uſque ad extremi ordinis clericum, ſive Monachum generalia juramenta in ſalutem Regiam, gentiſque, aut patriæ data reperiatur violaſſe voluntate profana; mox propria dignitate privatus, & loco & honore habeatur excluſus, & miſerationis obtentu tantummodo reſervato, ut an locum, an honorem, an utraque poſſideat, concedendi jus licentiamque poteſtas Principalis obtineat.* At hæc recentia nimis ſunt. Altius peti debent exempla, ne forte quis objiciat, vi magis, quam voluntate id præſtitiſſe Epiſcopos. Novæ hujus, atque antea inauditæ conſuetudinis antiquitatem aſſequemur a Concilio Toletano IV, cui

Conc. Tolet. IV. cap. 75.

præerat egregius Eccleſiæ Doctor S. Iſidorus: *Quiqumque*, ait, *amodo ex nobis, vel cunctis Hiſpaniæ populis, quolibet tractatu vel ſtudio, ſacramentum fidei ſuæ, quod pro patria, gentiſ-*

que

que Gothorum ſtatu, vel conſervatione regiæ ſalutis pollicitus DISSERT. IV.
eſt, violaverit, aut Regem nece attrectaverit, aut poteſtate re- CAP. I.
gni exuerit, aut præſumtione tyrannica regni faſtigium uſurpaverit, anathema ſit in conſpectu Chriſti, & Apoſtolorum ejus, atque ab Eccleſia Catholica, quam perjurio profanaverit, efficiatur extraneus, & ab omni conſortio Chriſtianorum alienus, & damnatus in futuro Dei judicio habeatur cum comparticibus ſuis. Itaque hujus ſacramenti ætatem, quæ in conſuetudinem jam abierat anno Chriſti 633. (certiſſime intra annos 40. quibus laudatum Concilium ab initio Catholici regni dividitur, ſtabiliendam) aut conſpirationibus, aut regni aliis turbis, quæ Epiſcopos Regum amantiſſimos, ac regiæ majeſtatis potiſſimos aſſertores id conſilii capere juberent, tribuamus; duo hæc perquam certa nobis erunt: quod Epiſcopi, Clerusque omnis Hiſpaniarum, inaudito antea exemplo, ſacramentum fidelitatis ſuis Regibus præſtiterunt; & quod iidem Epiſcopi, quorum ſacris legibus maxime indigebant Reges & regnum, non coacti ab ipſis Regibus, ſed ultro, ut exemplo aliis eſſent, ac diuturnam Eccleſiæ felicitatem compararent, ſacramento illo ſe, ſuoſque omnes Eccleſiaſticos devinciebant.

XXVII. Quod novum agendi genus res, & tempora exigebant.

Ad meas aures inſuſurrant eorum voces, qui rem Eccleſiaſticæ libertati noxiam in Hiſpaniis natam, ac futuris ætatibus alibi invaleſcentem ſua in origine per me laudari ægre ferunt. Bona verba quæſo. Apud Hiſpaniarum Epiſcopos præcipuæ partes erant in Electionibus Regum; Reges ſupremam ſuam poteſtatem Epiſcopali conſecrationi referre acceptam fatebantur; ab iiſdem Epiſcopis exautorabantur, abſolutis a juramento populis; potiſſimis regni legibus ab autoritate Epiſcoporum robur accedebat; Decreta Epiſcoporum Reges, horumque ſanctiones Epiſcopi confirmabant; Epiſcopos ſumma ſingularique benevolentia ii Reges proſequebantur, venerabantur, fere adorabant in Conciliis congregatos. Fiebantque hæc difficillimis iis Europæ temporibus, quum, ſi omnia circumſpectes regna & imperia, bellorum ſtrepitus, inſania hæreſum, amor tyrannidis ſacra omnia miſcent atque conculcant; ſummi ipſi Romani Pontifices abſque divali ſacra Cæſarum ad Petri Sedem, contra jus divinum aſcendere prohibentur. Quid igitur mirum, ſi, rebus ac temporibus id exigentibus, aliquid de ſuo jure remiſerunt Eccleſiæ tranquillitati proſpecturi, quam biſcentum fere annis fuiſſe miſeram, immo ad extremum miſeram ob Principum ſævitiam

DISSERT. IV. CAP. I.

tiam non ignorabant? Malo id quidem exemplo fuit; nam ſequioribus ſeculis quidquid ultro iidem fecerant, ſacriſque Conciliorum Canonibus poſteritati commendarant, in jus Principum tranſiit. Liberum tamen lectori eſto judicium ferre, num S. Iſidoro, ac cæteris Hiſpaniarum Epiſcopis verti debeat vitio rem geſſiſſe, quæ ſex priorum Eccleſiæ ſeculorum conſtantiam Epiſcopalem fregerit, ut ſummam Sacerdotii, & Regni concordiam ſtabilirent; an potius iis, qui Præſulum Hiſpanorum in ſuos Principes obſervantia ſunt abuſi, ut jus Principibus quærerent, quod ne catholicis quidem Regibus fuiſſe unquam, documento ullo veteri comprobaſſent. Cæterum ſacramento illi fidei ab Epiſcopis primum, deinde ab omni clero, populoque præſtito, ſummam illam Regni, & Sacerdotii concordiam Hiſpaniæ retulerunt acceptam, quæ felicitatem peperit tam diuturnam Eccleſiæ illi, unde ſanctitas, & doctrina Præſulum, cleri omnis integerrima diſciplina, maximaque omnium populorum pietas prodierunt.

XXVIII

Inde nata concordia Sacerdotii & Regni: dum pietate, cum Epiſcopis Reges certant.

Concordiam ſane neceſſariam, votiſque omnibus a Deo optimo maximo implorandam: concordiam ſcilicet, qua Principes pietate certent cum Epiſcopis, Epiſcopi officio cum Principibus, nec minus iſti optimæ adminiſtrationis Regni ſatagant, quam illi ſalutis Regum ac populorum. Mirum eſt ſiquidem, quantum Eccleſiæ proſit Regum pietas! Propterea S. Gregorius Magnus, ac Leo II. quorum ſolæ extant epiſtolæ ad Catholicos Reges, tantopere hanc commendant Regibus in præcipuis Eccleſiæ negociis: Gregorius nimirum Reccaredi pietatem laudans, virtutibuſque ex ea provenientibus ornatam volens: Leo autem illam in Ervigio excitans, ut Concilii generalis ſexti decreta toto ejus regno ſuſciperentur: *Veſtri*, inquit, *Chriſtiani regni faſtigium ſtudium pietatis aſſumat, quatenus hæc omnibus Dei Eccleſiis, Præſulibus, Sacerdotibus, Clericis, & populis ad laudem Dei pro veſtri quoque Regni ſtabilitate, atque ſalute omnium prædicentur*. Præſulum vero in ſuos Reges obſervantia quantum Eccleſiæ, ac regni felicitati conducat tum dicta hucuſque demonſtrant, tum quæ reſtant dicenda luculenter oſtendent. Utriuſque nihilominus poteſtatis concordia uſque adeo neceſſaria eſt in Eccleſia, ut inde hæc coaleſcat, ſecus innumeris obnoxia incommodis, atque calamitatibus. Perſpicue notavit diſcrimen Innocentius III. ſanctitate, & doctrina celebris Pontifex: *Sicut*, inquiens, *univerſitatis conditor Deus duo luminaria*

S. Gregor. l. 1. epiſt. 41. l. 7. ep. 126.

Leo II. ep. ad Ervig.

Innoc. III. geſta apud Bouſquet.

in Firmamento cæli conſtituit, luminare majus, ut præeſſet diei, luminare minus, ut præeſſet nocti; ſic ad firmamentum univerſalis Eccleſiæ, quæ cæli nomine nuncupatur, duas magnas inſtituit dignitates, majorem, quæ quaſi diebus, animabus præeſſet, minorem, quæ quaſi noctibus præeſſet corporibus, quæ ſunt Pontificalis autoritas, & Regalis poteſtas. Porro ſicut luna lumen ſuum a ſole ſortitur, quod revera minor eſt illo quantitate ſimul, & qualitate, ſitu pariter, & effectu; ſic Regalis poteſtas ab autoritate Pontificali ſuæ ſortitur dignitatis ſplendorem, cujus conſpectui quanto magis inhæret, tanto minori lumine decoratur, & quo plus ab ejus elongatur adſpectu, tanto plus proficit in ſplendore. Non nos latet, hanc ſancti Pontificis comparationem contemni ab aliis, ab aliis etiam rejici, tanquam falſam. Noſtra vero id parum intereſt; nam poſituri ſumus infra ob omnium oculos utriuſque potetaſtis concordiam in Monarchia Hiſpana, quod præcipuum eſt diſſertationis hujus inſtitutum. Hæc ſatis ſint de Catholicis Regibus: nunc ad Palatina officia me convertam, unde Reges aſſumi utplurimum conſueverunt, niſi forte, quod raro admodum evenit, Reges ſuperſtites, more Imperatorum, qui Cæſares Auguſtoſque dicebant filios, adſcitis in Regni conſortium liberis, Epiſcoporum Palatinorumque accedente conſenſu, velut ſucceſſivo jure iiſdem Regnum reliquiſſent.

CAPUT II.

De Officiis Palatinis Regum Catholicorum ſec. VII.

I. Officiorum Palatii Regum Gothorum neceſſaria cognitio.

QUAM neceſſaria ſit Officiorum Palatii Gothorum Regum cognitio ad rem tum Civilem tum Eccleſiaſticam Hiſpaniarum ævo Catholicorum Regum agnoſcendam vel inde conſtat, quod Civitatum, & provinciarum adminiſtratio iis demandabatur a Principe; ſacroſanctis Epiſcoporum Conciliis intereſſe, quin etiam ſubſcribere, quod Reges ipſi non faciebant, permittebatur; in cauſis rerum conveniebant ſuæ juriſdictionis Epiſcopos; ac viciſſim ab Epiſcopis admonebantur, quid in rerum adminiſtratione gerere eos oporteret: præterea ad Concilia evocabantur, ut Epiſcopi; quæ res Marianæ perſuaſit, ut crederet, ſacroſancta ea Concilia inſtar comitiorum Regni habenda eſſe. Quam ſane in opinionem multos, eoſque non ineruditos pertrahens cauſa fuit, cur vera comitia ſequentibus ſeculis in Galliis habita

Digitized by Google

DISSERT. IV. CAP. II.

cum Hiſpanis Conciliis nullo jure confunderentur, indeque illorum duceretur origo, quam ego opinionem falſo imbibitam ac propugnatam eſſe oſtendam, quum de Conciliis ſermo erit. Palatina inſuper Officia in comitiis Regni certis, aut pro electione Regum, aut pro gravioris momenti re aliqua convocatis, autoritatem Epiſcopali parem obtinebant; &, quod erat omnium maximum, ad Regni faſtigium jus habebant; ita ut non minus de hiſce Officiis diſputare oporteat; quam de ipſis Regibus, ut Eccleſiaſticam aſſequi valeamus hiſtoriam Catholici hujus regni. Unum id ſummopere enitendum eſt, ut certa eorumdem cognitio ex documentis certis deducatur. Laborem hunc magna mihi ex parte allevaſſet vir eruditus Petrus Pantinus Belga, modo ſuum de his Officiis commentarium diligentius elaboraſſet: is vero multa de Palatinis præcipue Illuſtribus congeſſit inutilia, multa etiam falſa: quippe Theodorici Gothorum Italiæ Regis autoritate uſus ex Caſſiodoro, eruditius loquitur pro dignitatibus Imperii a Theodorico inſtauratis, quam pro Gothorum Hiſpaniæ Regum inſtitutis. Quamobrem petenda hæc mihi erunt, ſeu derivanda ex clariori &, ſi Deo placet, uberiori fonte, ex Lege nimirum Wiſigothorum, quæ audit *Forum Judicum*. Hinc ſiquidem quæcumque ad meum inſtitutum facientia decerpſero, cum iis conlata, quæ in Conciliis Hiſpaniarum ſæpe occurrunt, non modo certam Officiorum Palatii exhibebunt hiſtoriam; ſed etiam plenam Catholicæ hujus Monarchiæ adminiſtrationem tam civilem, quam Eccleſiaſticam ſuppeditabunt. Eadem certe lex haberi non debet aut Officiorum, aut demandatorum iis munerum inſtitutrix; nam plura ante ejus ætatem obtinuiſſe conſtat apud Gothos: verum adhiberi eam oportet, tanquam utriuſque rei teſtem integerrimam, optimamque magiſtram. Eapropter, antequam derivem inde Officia, & eorum munera, de illius ætate, & autoritate quam breviſſime loqui me oportet.

Scott. Hiſp. Ill. to. 2. pag. 195. Aguir. concil. to. 2. p. 555.

II. Leges Vviſigothorum primæ.

Superius diximus, Gothorum gentem natura effrenem contineri legibus non potuiſſe, at mores & inſtituta Majorum ut ſequi pergeret conceſſum eidem eſſe a ſuis Regibus, qui nihilominus Romanos ſibi ſubditos ſua lege, ſive jure Romanorum vivere voluerunt. Ita perſeveravit res Gothorum publica, quoad Tholoſæ ii Reges conſederunt, toto nimirum quinto ſeculo: at Alaricus Rex Tholoſatium ultimus poſtremo ſui regni anno, Chriſti 506. leges demum tulit, quibus Gothorum gens parere in-

inſueſceret, fecitque iis nomen: *Autoritas Alarici Regis*: quamviſ eædem leges vulgo audiant: *Breviarium Aniani*. Diſſertiſſime de eo loquitur Gothofredus; at Breviarium hujuſmodi, quod mera eſt collectio legum ex Codice Theodoſiano, Gregoriano, Hermogeniano, ex Pauli ſententiis, Caii inſtitutis, atque ex Novellarum corpore, ut idem doctiſſime obſervat, confectum ſibi videtur ab Alarico, ut juxta leges in eo contentas Romani ſibi ſubditi diſceptarent. Nolim tamen, virum eruditiſſimum eſſe deceptum conjectura: ſi enim Romani Gothis ſubditi jam inde ab initio regni in Galliis, ſuo ipſorum jure uti erant juſſi; quid novam iis collectionem adornare oportuit poſt centum annos? Huc accedit quod Theodoricus Rex Italiæ, qui paucis poſt Alaricum annis tutorio nomine adminiſtravit Hiſpaniam, collegit & ipſe leges non ab Romanis diſſimiles, ut videre eſt in celebri ejus *Edicto* 154. capitibus abſoluto apud Lindebrogium; iiſque voluit ut Oſtrogothi uterentur. Oſtrogothos autem, & Wiſigothos ita appellatos a locorum quæ incoluerunt diverſitate, quis neſciat fuiſſe origine unam gentem, inque unam coaluiſſe iterum paulo poſt laudati legislatoris tempora? Nonne igitur melius conjecerit Gothofredus, poſt centum annos tentatum ab Alarico in Hiſpaniis & Gallia Narbonenſi, & in Italia a Theodorico, num ſeligendo aliquas ex jure Romanorum leges populi illi quondam oſores legum iiſdem paulatim obtemperare inſueviſſent? Profecto apud Gothos leges aliquas, præſertim Romanas, obtinere poſt annos quadraginta palam facit Legislator Recceſvinthus, quod paulo infra oſtendam. Quamobrem Gothofredo nullatenus adhærendum mihi videtur, ſed *Alarici Autoritatem*, ſeu mavis *Breviarium Aniani* primam legum collectionem eſſe habendam puto, quam Gothi noverint. Utrum autem Breviarium iſtud, an Theodoricianum Edictum, quod parva temporis intercapedine ab illo diſtat, an utrumque apud Wiſigothos obtinuerit, indagare nihil attinet, nam certo certius eſt, quod quadraginta poſt annos legum collectio quævis antiquata fuit.

Cod. Theod. Proleg. c. 5.

III. Officia Palatina ex iis legibus Imper. dignitatibus ſimilia.

Ex prioribus hiſce legibus ſi Palatina Gothorum Officia quis conetur exprimere, cum Petro Pantino ſentiat neceſſe eſt. Quid enim aliud præſeferant Romanorum leges, præter dignitates Imperii? Præterquamquod Theodoricum earumdem inſtauratorem fuiſſe & ſuo loco dixi, & nulli eruditorum eſſe ignotum pro certo habeo. At experiamur rem, utquumque inutilem, & quantocyus deferendam, in Breviario illo Aniani, quod pro-

DISSERT. IV. CAP. II. proculdubio ad Hiſpanias pertinet. Finem ejus ſpectare ſatis ſuperque erit: is autem ſic ſe habet: *Aniani V. S. ex præceptione Domini noſtri glorioſiſſimi Regis Alarici, ordinante vero viro Magnifico Illuſtri Gojarico Comite hunc Codicem legum*. Codex MS. Regius apud Gothofredum habet: *Subſcripſi & edidi ſub die III. non. Feb. anno 22. regnante Domino noſtro Alarico Rege &c.* Vides hîc virum *ſpectabilem* Anianum, Virumque *Illuſtrem* Gojaricum: qua de re Spectabiles Duces rei militaris inter Palatina Gothorum Officia enumeratos a Pantino, ſpectabileſque alios Notitiæ Dignitatum Imperii; necnon Illuſtres ejuſdem Notitiæ in Catholicorum Regum Palatium invehendos cenſeas. Quod tibi per me liceat ante Wiſigothorum legem, dum Breviarium Aniani, atque Edictum Theodoricianum obtinuerunt apud Gothos. Velim tamen animadvertas, quod hac de re nihil certum affirmari poteſt iis temporibus, quæ præiverunt legem, præter titulum *Illuſtrium*, quo Palatini omnes primi Ordinis utebantur, *Procerumque*, ac *Seniorum* Palatii, quæ duo Officia inter Dignitates Imperii nequicquam exquiruntur; quum tamen documenta plurima Palatio Gothorum eadem vindicent. Quod ut verum ſit, titulum *Gloriæ veſtræ*, qui majeſtatem refert noſtri ævi, monumenta Hiſpaniarum vetera paſſim tribuunt Catholicis iis Regibus: Gregorius nihilominus Reccaredo Regi *Excellentiam* impertiens, Claudio Emeritenſis provinciæ Duci *Gloriæ veſtræ* honorem elargitur ſemel, iterum, & tertio. Itaque ad legis Wiſigothorum ætatem deſcendam, ut certiora, meamque ad rem utiliora proferam de Palatii Gothorum Officiis.

Regeſt. l. 7. ep. 124. 126.

IV. Legis Vviſigothor. ſeu Fori Judicum ætas.

Qui primus omnium Regum leges tulit Gothicæ gentis proprias, is fuit Chindaſvinthus; nam ſubditis ſibi gentibus novum propoſuit Codicem latarum ab ſe legum anno regni ſui ſecundo, qui eſt Chriſti 643. Teſte utor Recceſvintho ejus filio & ſucceſſore, qui poſt quinquennium novis latis legibus *Forum Judicum* ſolenniter promulgavit. *Leges*, ait, *in hoc libro conſcriptas ab anno 2. bonæ memoriæ Domini, ac genitoris mei Chindaſvindi Regis in cunctis perſonis, ac gentibus noſtræ amplitudinis imperio ſubjugatis omni robore decernimus, ac jugi manſuras obſervantia conſecramus*. Nihilo tamen ſecius ejuſdem legis certa ætas differri debet ad ſolennem ejus divulgationem anno Chriſti 647. Recceſvinthi II. quum in generalibus Regni Comitiis XII. Calendas Novembres Rege jubente, ſola hæc vigere apud eam gen-

Leg. Vviſig. lib. 2. tit. 1. cap. 5.

gentem cœpit, Romanis, aliiſve quibuſquumque prorſus ablegatis a foro, itaut eruditionis dumtaxat gratia iiſdem uterentur qui Juriſprudentiæ navabant operam, de quibus omnibus liquet ex ipſa lege: *Sicut ſublime*, inquit, *in throno ſerenitatis noſtræ celſitudine reſidente, videntibus cunctis ſacerdotibus Dei, ſenioribuſque Palatii, atque Gardingis, earum manifeſtatio claruit; ita earumdem celebritas, vel reverentia in cunctis regni noſtri provinciis debeat obſervari .... Alienæ gentis legibus ad exercitium utilitatis imbui & permittimus, & optamus; ad negotiorum vero diſcuſſionem & reſultamus, & prohibemus ...... Nolumus ſive Romanis legibus, ſive alienis inſtitutionibus amodo amplius convexari ..... Nullus prorſus ex omnibus Regni noſtri, præter hunc librum, qui nuper eſt editus, atque ſecundum ſeriem hujus omnimodo tranſlatum, alium librum quocumque negotio, in judicio offerre pertentet.* Ex quibus non minus evidenter conſtat de certa legis Wiſigothorum ætate, quam de imbecillitate conjecturæ, qua Gothofredus inhærens, Breviarium Aniani pro ſolis Romanis inter Gothos degentibus factum eſſe contendit. Si enim Romanæ aliarumque gentium leges afferebantur in rerum cauſis, Gothi igitur conſuetudine, ac moribus majorum vivere jam deſierant, legeque agere jampridem cœperant. Quum vero præter Breviarium Aniani, & Theodoricianum Edictum, aliæ non ſuppetant Collectiones legum, queis Gothi uterentur, eo igitur referri oportet rem, quidquid alii ſecus doceant.

DISSERT. IV. CAP. II.

Ibid. capp. 1. 9. & 10.

V. Ejuſdem legis autoritas.

Quantæ autoritatis eſſe deberet ea Lex apud Gothos, inde liquet, quod nullum prorſus arbitrium relinquebatur Judicibus in iis rerum cauſis, quibus lege non erat cautum: ſed coram Principe diſceptandum erat, ut juxta ejus deliberationem res finiretur, novumque is legi caput adjungeret: *Nullus Judex cauſam audire præſumat, quæ legibus non continetur; ſed Comes Civitatis, vel Judex aut per ſe, aut per Exequutorem ſuum, conſpectui Principis utraſque præſentare partes procuret, quo facilius & res finem accipiat, & poteſtatis Regiæ diſcretione tractetur, quatenus exortum negotium legibus inſeratur*. In iis vero negotiis, quæ præſcribebantur in Lege, aut rerum ea eſſent, aut capitum, tanta Judices poteſtate utebantur, ut definitivam de iis ſententiam ferrent. *Omnium negotiorum cauſas, ita Judices habeant deputatas, ut & criminalia, & cætera negotia terminandi ſit illis conceſſa licentia*. Nec putes anguſtis ita circumſcriptam limitibus judicandi poteſtatem, ut Provinciæ dumtaxat

Leg. Wiſig. lib. 2. tit. 2. cap. 12.

Leg. Wiſig. lib. 2. tit. 2. cap. 16.

taxat

Digitized by Google

DISSERT.IV. CAP. II. taxat ſingulæ, ſingulæque ad ſummum Civitates ſuos habuerint Judices: nam Legis autoritate innumeri conſtituebantur Judices, ut facilius, demtiſque comperendinationibus jus unicuique ſuum tribueretur. *Quoniam*, ait lex, *negotiorum remedia multimodæ diverſitatis compendio gaudent; adeo Dux, Comes, Vicarius, Pacis Aſſertor, Tyuphadus, Millenarius, Quingentenarius, Centenarius, Decanus, Deſenſor, Numerarius, & qui ex regia juſſione, aut etiam ex conſenſu Partium Judices in negotiis eliguntur, ſive cujuſcumque Ordinis omnino perſona, cui debite judicare conceditur; ita omnes in quantum judicandi poteſtatem acceperint, Judicis nomine cenſeantur ex Lege*. Genti enim Gothorum natura erat inditum compendio actionum delectari. Eſtque apud omnes celebre Theodorici Italiæ Regis ſæpe laudati judicium adverſus eos Judices, qui cauſam Juveniliæ nobilis matronæ ex ſenatorio genere triennii ſpatio protelaverant. Nam accerſitis Judicibus, mortemque interminatus, niſi quantocyus cauſam definirent, obtinuit, ut intra biduum ſententia ex lege pronunciaretur. Tunc vero: *Quare*, inquit, *quod uno biduo confeciſtis, protraxiſtis in triennium? Et extemplo utriuſque partis Judices ſecuri percuſſit*. Suum tamen erat diſcrimen poteſtatis inter Judices, quos recenſui: moxque erit evidens ex Officiorum Palatii deſcriptione, quam aggrediar; de lege enim nihil attinet pluribus diſputare.

Ibid. tit. I. capite 26.

Chron. Alexan. an. 485.

VI. Officia Palatina ex eadem Leg. Vviſigoth.

Plura horum nomina ex capitibus Legis, quæ attulimus, ſunt prolata; quum enim legum exequutores fuerint Officia Palatii, difficile eſt recitare legem, quæ cum Officii alicujus nomine non ſit conjuncta. Ea vero triplicis omnino generis ſunt: Officia primi, ſeu majoris loci; Officia inferioris loci; & Officia infimi ordinis. Cujuſvis autem loci, aut ordinis Officia Lex enumerat. Primi nempe generis tria dumtaxat Officia erant. *Si majoris loci perſona fuerit, ideſt Dux, Comes, ſive etiam Gardingus*. Duces igitur, Comites, & Gardingi, utpote totius Gothicæ nobilitatis flos, & ornamentum, dignitate aliis præibant, eoſque videre eſt in Conciliis Toletanis præclaro Virorum Illuſtrium Palatinorum nomine nuncupatos. Officia inferioris loci, ſeu ſecundi generis numerando recenſeam propriis verbis, ne omnia Legis capita de iis agentia aut ſuperius allata referens, aut infra recitanda uſurpans, moleſtiam lectori injiciam, remque in immenſum protraham. Erant igitur: *Tyuphadus, Millenarius, Quingentenarius, Centenarius, Decanus, Exercitus Com-*

Leg. Vviſig. lib. 9. tit. 2. cap. 9.

Digitized by Google

Compulſor, *Annonarius*, *Defenſor*, *Pacis aſſertor*, *Numerarius*, *Villicus*, *Sajones*. Infimi demum Ordinis officia iſta enumerantur in Lege, Præfecti nimirum Stabulariorum, Gillonariorum, Argentariorum, & Coquorum: ſuntque ejus verba ſatis perſpicua: *Exceptis*, inquit, *ſervis noſtris, qui ad hoc regalibus ſervitiis mancipantur, ut non immerito Palatinis Officiis liberaliter honorentur, ideſt Stabulariorum, Gillonariorum, Argentariorum, Coquorum quoque Præpoſiti*. Primi & ſecundi Ordinis Officia tum Civilia tum Caſtrenſia rei noſtræ plurimum conducunt: tertium vero genus nec declarationis indiget (niſi forte quis ignoraret, *Gillonariorum Præfectos* eſſe apud Hiſpanos *Alcaydes de los Donzeles*) nec ſpecialis eorum cognitio neceſſaria eſt ad Eccleſiaſticam, ſeu etiam Civilem Hiſpaniarum hiſtoriam. Eorum quippe munus Palatii limitibus circumſcribebatur, & ſiquando in Conciliis mentio illorum occurrit, generali ſervorum Fiſcalium appellatione comprehenduntur. Perinde eſt de ſupremo ſecundi ordinis Officio, nempe *Sajonibus*: hos ſiquidem eſſe Apparitores aut Regios, aut Magiſtratuum ignorat nemo. Ea propter recenſuiſſe illa cum aliis contentus, ut, quatenus licet, integer habeatur eorum numerus, ne verbum quidem de iis faciam. Secus eſt de Officiis primi generis, quæ ſingillatim, ac ſedulo explicanda mihi erunt; ac de ſecundo eorum ordine, quæ, tametſi expeditiori, perſpicua tamen declaratione neceſſe habent.

DISSERT. IV. CAP. II.

Ibid. lib. 2. tit. 4. cap. 4.

VII. Officia Palatina majoris loci ſeu 1. ordinis.

Officia majoris loci aliquanto altius repetenda eſſe puto, quam Lex Wiſigothorum ſuadeat. Quamvis enim minus aperta inveniatur eorum mentio temporibus, quæ Legem præiverunt; tamen eorum conditio Illuſtris, ſeu nobilitas, unde ipſi Reges aſſumebantur, ad ipſa Catholicæ Monarchiæ principia nos redire compellit. In Concilio ſiquidem Toletano III. ita Reccaredus Rex de iis loquitur: *Adeſt omnis gens Gothorum inclyta, & fere omnium gentium gemina virilitate opinata*. Paulo infra de iiſdem loquens, *Gentis noſtræ primores* appellat. Poſt Regis alloquutionem profeſſio ſequitur Epiſcoporum, Presbyterorum, & *Primorum Gothicæ gentis*, in qua iidem appellantur *Majores natu*, & *Primores gentis Gothicæ*. Ac demum poſt ſubſcriptiones Epiſcoporum & presbyterorum eidem profeſſioni, legitur: *ſignum, quo ſignarunt Viri Illuſtres Proceres. Fonſa V. Ill. anathematizans ſubſcripſi. -- Aguila V. Ill. &c. -- Eila V. Ill. &c. -- Similiter omnes ſeniores Gothorum ſubſcripſerunt*. Eoſdem viros

Conc. Tol. III. præf.

DISSERT. IV. CAP. II. ros Illuſtres poſt annos quinquaginta *Primates totius gentis* vocari comperio. Clarius etiam non multo ante latam legem de iis verba fiunt cum aliquo inter eos diſcrimine: *Qui Primatum dignitate atque reverentiæ vel gratiæ ob meritum honorabiles in Palatio habentur, his a junioribus modeſtus honor per omnia deferatur. Qui etiam minores a ſenioribus, & dilectionis amplectantur affectu, & utilitatis imbuantur exemplo.* Profecto iidem Viri Illuſtres, quos Proceres, Primores, & Primates vidimus appellari, S. Iſidorus cum Toletano Concilio III. concinens, principe nobilitate Cives definit: *Proceres ſunt Principes Civium vel Civitatis, quaſi Procedes, quod ante omnes honore præcedant.* Ex iiſdem vero eligi conſueviſſe Officia Palatina majoris loci Toletana Concilia poſt editam Legem celebrata aperte docent. Enimvero ſubſcribunt Concilio Toletano VIII. *Dabilo Comes, & Procer. -- Euredus Comes, & Procer. -- Frolla Comes, & Procer.* Et Concilio Toletano XIII. quatuor item Proceres, qui tametſi officium reticeant; tamen compertum exploratumque eſt, quod Viri dumtaxat Illuſtres Officii Palatini Conciliis intererant: ac proinde non uſque adeo fidendum eſt ſubſcriptionibus, ut Officio minime audito rem vocemus in dubium. Et ſane duo ex iis Proceribus Theudila, & Audemundus, qui Officium ſiluerant in Concilio Toletano XIII. quinquennio poſt Toletano XV. ſubſcribunt, tanquam Viri Illuſtres Comites omiſſo Procerum præclaro nomine. Quin etiam poſt aliud quinquennium Audemundus idem Procer ſubſcribit cum viris Illuſtribus Comitibus, nec Comitivæ, aut Proceritatis mentionem facit. Prætermitto alias ſubſcriptionum varietates, quæ rem magis magiſque comprobant, quippe quæ obviæ omnibus ſunt.

Conc. Tol. IV. cap. 75. Conc. Tol. VI. cap. 13.

Orig. lib. 9. c. 4.

VIII. Officia eadem generali Procerum nomine appellabantur.

Eaſdem plane ſubſcriptiones, diffiteri non auſim, aliquam me in admirationem conjeciſſe, ubi animadverti nullum ex Ducibus uſurpare nomen Proceris. Quamvis enim pro certo haberem, quod experientia magis virtuſque Illuſtres Duces fecerit, quam princeps nobilitas gentis; ex Proceribus tamen aſſumtos ad eam dignitatem non fuiſſe, utpote primam poſt Regiam, ne cogitatione quidem amplecti auſus eſſem. Eamque mihi admiratiooem oppido auxit Pantini de Illuſtribus hiſce viris opinio: ait ſiquidem, Proceres dignitatem fuiſſe apud Gothos, *ſed ſine adminiſtratione juriſdictionis.* Cum iſta enim opinione pugnant tum Proceritas, quam nuper vidimus Viris quibuſcumque Illuſtribus tributam, tum Comitiva, qua ornatos Proceres

ceres audiamus. Quid? Nonne Proceres, Primores, ac Primates gentis Gothicæ & Rectores erant Provinciarum, & Palatinis ornabantur Officiis: *Præſto ſunt*, ajebat Rex Ervigius Concilii Patribus, *religioſi provinciarum Rectores, & clariſſimorum ordinum totius Hiſpaniæ Duces*. Et paulo infra hos ipſos alloquens: *Vos*, inquit, *Illuſtres Aulæ Regiæ viros*. Non diſſimili uſus ſermone erat Reccesvindus ſua in alloquutione, quæ præmittitur Concilio Toletano VIII. *In commune*, inquit, *jam vobis cunctis & ex Divino cultu Miniſtris idoneis, & ex Aula regia Rectoribus decenter electis*. Hos autem inter Palatinos provinciarum Rectores ſupra enumeravimus tres Proceres Dabilonem, Euredum, & Froilam. Mea igitur admiratio, quà Pantini Commentario aucta erat, jam ceſſat: quandoquidem Proceres generale eſſe Nobilium nomen intelligo, qui Palatinis Officiis decorabantur. Quamobrem mirari etiam deſino, quod Viri Illuſtres Duces Proceritatis non meminerint; tantæ enim dignitatis, atque autoritatis erant Duces, ut ingenitæ nobilitatis ſplendore eos gloriari non oportuerit. Reſtat quidem nonnihil dubitandum, curnam Comitum aliqui id ſibi nomen vindicent, pleriſque ſilentibus? Si enim Proceres omnes erant, aut ſilere omnes, aut ſibi omnes id nomen aſſerere oportebat. Reique hujus cauſam incompertam mihi eſſe non nego; ita ut ſæpe ego vetera nequicquam monumenta conſulens, modo Ordinem Nobilitatis aliquem, inſtar Equeſtrium, reputaverim; modo Proceritatem pro recentiori Grandatu acceperim; ſemper tamen eo pertraherer iiſdem monumentis, ut Proceres, Primores, & Primates generalia Palatinorum majoris loci nomina eſſe intelligerem, quidquid ſubſcriptiones Conciliorum extra aleam rem eſſe nolint.

DISSERT. IV. CAP. II.

Conc. Tol. XII. præf.

Conc. Tol. VIII. præf.

IX. Duces & Comites Viri Illuſtres.

De majoris loci Officiis ſingillatim delibare oportet quæ rem noſtram propius attingant. Ex iis igitur tribus priora duo ſunt adeo ſimul juncta tum ob civilem, tum ob militarem adminiſtrationem, ut de alterutro ſeorſim nequeat diſputari. Duces ſiquidem, utquumque unius eſſent generis; tamen Comitiva non ſemel accedente & Duces & Comites in Palatio erant. Quumque multiplex eſſet genus Comitum, idcirco non una Illuſtres Comitiva inveniuntur ii Duces. Nil melius rem declarat, quam Conciliorum ſubſcriptiones, tametſi non ubique pateant Officia ſingula, ut fit in duobus Toletanis VIII. & XIII. quorum ſubſcriptiones ſtatim recito. Octavo ſcilicet ſubſcribunt, ſervato ætatis

DISSERT. IV. CAP. II.

ordine, ut erat in more eorum poſitum, duo Comites Cubiculariorum & Duces, duo Comites Scanciarum & Duces; Tres Comites Scanciarum; Duo Comites & Duces; Comes Notariorum; Comes Patrimoniorum; Comes Spathariorum; Tres Comites & Proceres; & unus Comes. Concilio autem tertiodecimo ſubſcribunt, quinque Comites Scanciarum & Duces; duo Comites Scanciarum; Comes Cubiculi & Dux; Comes Theſaurorum; Comes Civitatis Toletanæ; Comes Patrimonii; Comes Notariorum; Comes ſtabuli; quatuor Spatharii & Comites; Spatharius Comes & Dux; Comes Spathariorum; Comes Spatharius; Comes; & quatuor Proceres. Uberrime hinc liquet tum de Officiis Palatii Gothorum, tum de eorumdem ordine: Officia ſiquidem omnia Comitibus demandari compertum eſt; proinde audivimus Comitem Cubiculi, ſtabuli, Spatharium, Spathariorum, Notariorum, Patrimonii, Patrimoniorum, Theſaurorum, Civitatis Toletanæ; Comites plures Cubiculariorum, pluresque item Comites Scanciarum. Ex duobus hiſce Officiis poſtremis plures vidimus fuiſſe Illuſtres Duces; Comitem etiam Cubiculi pari honore conſpicuum, itemque nonnullos Comites Officio vacuos, ſimul eſſe Illuſtres Duces. Præterea conſtat, quod Officium Spathariatus erat gradus non modo ad Comitivam, ſed etiam ad Ducatum; Spatharios vero non unius generis in Palatio Gothorum extitiſſe, ſed Comitem Spatharium, dignitate Spathariis Comitibus præſtitiſſe. Ac demum intelligimus, quod generali Illuſtrium Officiorum Palatii titulo Comites etiam officio vacui, & Proceres comprehenduntur. De ſingulari uniuſcujuſque Officii conditione aliunde non obſcura nihil attinet nunc diſſerere. Quæ autem cum re noſtra ſunt conjuncta, quam potero, brevius expediam.

X. Duces ſinguli adminiſtrabant provinciam, Comites Civitates.

Potiſſimum Ducum & Comitum officium fuit civilis Catholici hujus Regni adminiſtratio. Eos ſiquidem velut fidiſſimos Regni ſocios ſibi adſciſcebant ii Reges, quod conceptis verbis fateri eoſdem conſtat. *In regimine ſocios*, utroſque ſibi eſſe ait Receſvindus; & Epiſcopalium Decretorum ſe, ſuoſque Palatinos executores eſſe affirmat Ervigius: *Vobis prædicantibus, & nobis implentibus quæ divinis oculis complacent*. Id tamen diſcriminis Comitibus intercedebat cum Ducibus, quod hi provinciis ſinguli præficiebantur ſingulis; illi vero ſinguli unicam civitatem moderabantur. Ex hiſtoria Wambanis ſuperius allata utrumque evidens eſt. *Hujus tempore Hildericus Comes urbis*

Conc. Tol. VIII. *præf.*
Conc. Tol. XIII. *præf.*
Duchesn. to. I. *pag.* 822.

bis Nemauſenſis cum Gumildo Epiſcopo Magalonenſi, & Rani- DISSERT. IV.
miro Abbate Collegbis defectionis nititur ad ſe pertrahere Are- CAP. II.
gium Nemauſenſem Epiſcopum .... In eos Wamba Paulum Du-
cem mittit, qui & ipſe perfidus ſociis ſibi adjunctis Ranoſindo
Provinciæ Tarraconenſis Duce &c. Præterquamquod inter Of-
ficia nuper recitata Comitem Toletanæ Civitatis recenſeri audi-
vimus, quod veritati lucem adjungit. Qua quidem in re Go-
thorum politiam non admirari non poſſumus, quippe quam po-
tiorem illa eſſe novimus, quam in romana republica Conſtanti-
nus excogitavit. Iis ſcilicet non fuit ſatis unicuique provinciæ
rectorem, Præſidem nempe, aut Conſularem præficere, qui ſpe-
ctabili Vicario moremgereret, ſed Virum Illuſtrem Ducem
provinciæ unicuique præeſſe voluerunt, cui tot Comites, quot
erant in provincia urbes, tanquam Vicario Diœceſis Imperia-
les Præſides, & Conſulares, obſecundarent. Verum Illuſtres hos
viros provinciis oneroſiſſimo illo officio, quo ex notitia ute-
bantur Illuſtres Imperii, vetuerunt uti; ac propterea tot in foro
haud ſtrepebant Advocati, ſed ſuus Comiti Judex adjungebatur,
& uterque Duci provinciæ, tanquam Principi ſubordinabatur.
Si quis, ait Lex, *Judicem vel Comitem ſuſpectos habere ſe dixe-* *Leg. Vviſig. lib.*
rit, & ad ſuum Ducem aditum accedendi popoſcerit &c. Duces *2. tit. 1. cap. 23.*
vero ipſos in ſua quemque provincia judicaſſe vice ſacra in ne-
gotiis, quibus lege cautum erat, inde conjicitur, quod novo
cauſæ genere ſe offerente, ſtatim Comes, ſive Judex, Duce in-
conſulto, ad Regem recta adire jubebantur: *Comes Civitatis,* *Ibid. tit. 2. ca-*
vel Judex conſpectui Principis utraſque præſentare partes procu- *pite 12.*
ret. Quod minime mandadabatur in cauſis Lege præſcriptis,
tum quia compendio delectabantur Gothi, & idcirco ampliſſi-
mam Judicibus facultatem largiti erant; tum quia provinciæ
ſingulæ ſupremum velut Tribunal habebant apud Ducem, quem-
admodum Imperiali diſpoſitione apud Præfectum Prætorii con-
ſuevit fieri.

XII. Et quidem cum ſubordinatione autoritati Epiſcopali.

Hinc ſane originem ducunt ſequioribus ſeculis non obſcura
ea nomina Ducatuum, Comitatuum, Judicaturarum, quæ cur
potius Gothis, quam Francis malim accepta referri, cauſa eſt
Gregorii Turonenſis teſtimonium quo utitur Ducangius, ubi
conatur aſſerere primæ ſtirpi Franchorum hanc laudis partem.
Gregorius ſiquidem non Regem aliquem Franchorum affert ad
rem probandam, ſed Euricum Gothorum Regem præfeciſſe ait
Civitatibus pluribus Victorium Ducem. Noſtra vero parum

 in-

DISSERT. IV. CAP. II. intereſt, politiamne iſtam Gothi cœperint, quum in Gallia habuerunt ſedem, an poſtquam in Hiſpaniis regnarunt; modo iis, non Francis inſtitutio hæc vindicetur. Eumdem poſtea morem apud Franchos obtinuiſſe cum Aimoino, Eginharto, & Walafrido libenter ſentimus; eo nihilominus ſemper recidit opinio noſtra, quod Catholicæ Hiſpaniarum Monarchiæ tum civilis, tum Eccleſiaſticæ adminiſtrationis plura capita referuntur accepta. Cæterum & Ducum vaſtam, ampliſſimamque juriſdictionem, & Comitum contractiorem magiſque obnoxiam autoritatem moderabantur Epiſcopi. Quod profecto inſtitutum reipublicæ felicitati utiliſſimum jam inde a deteſtata hæreſi Arianorum cœptum eſſe teſtantur Patres Concilii Toletani III. *Sint*, ajunt, *proſpectores Epiſcopi, ſecundum Regiam adminiſtrationem, qualiter Judices cum populis agant; ita ut ipſos præmonitos corrigant, aut inſolentias eorum auditibus Principis innoteſcant. Quod ſi correptos emendare nequiverint, & ab Eccleſia, & a communione ſuſpendant.* Quæ res uſque adeo invaluit ſequentibus temporibus, ut nil aut novæ legis, aut antiquæ temperamenti Reges tulerint, publiceve obſervandum edixerint, quod Epiſcopali autoritate noluerint inhærere. Præ aliis celebre eſt temperamentum ab Ervigio allatum legi Wambanis ſui Prædeceſſoris; quode agens cum Epiſcopis: *Licet*, inquit, *eamdem legem noſtræ gloriæ manſuetudo temperare diſponat; veſtræ tamen paternitatis ſententia hos qui per illam titulum dignitatis amiſerant, reveſtiri iterum claro priſtinæ dignitatis teſtimonio devotiſſime optat.* Et infra de omnibus mox edendis decretis hæc pronunciat: *Ut quia præſto ſunt religioſi provinciarum Rectores, & Clariſſimorum Ordinum totius Hiſpaniæ Duces, promulgationis veſtræ ſententias coram poſiti prænoſcentes, eo illas in commiſſas ſibi terrarum latitudines inoffenſibili exerant judiciorum inſtantia.* Et quidem jure. Non enim optimæ ſategiſſent adminiſtrationis Epiſcopi, niſi tanta fuiſſet conjunctio Regiarum legum cum eorumdem decretis, & uno verbo niſi concordia Sacerdotii & Regni ſumma extitiſſet.

Conc. Tol. III. cap. 18.

Conc. Tol. XII. præf.

XII. *In ipſos tamen Epiſcopos aliquid juriſdict. habebant.*

Id nihilominus dignum notatu eſt, quod ipſi Epiſcopi in rerum temporalium cauſis tenebantur Ducibus & Comitibus reſpondere. non quidem laico tribunali ſacram ſuam ipſorum perſonam ſubjiciendo; ſed cauſæ patronum, ſeu Advocatum exhibendo, quod fieri conſueviſſe etiam apud Imperatores Orientis compertum exploratumque eſt, antequam melior his etiam de

de cauſis diſciplina obtineret, quod poſtea laudabiliter factum ac ſtabilitum non ignoramus. Contra, quod obſervari pariter velim, nonnulli nitebantur Epiſcopi, utpote Divinæ, atque Eccleſiaſticæ legis retinentiſſimi. At quia nondum Canone ullo, aut Decreto S. Sedis cautum erat ſpecialibus hiſce cauſis, idcirco neque ipſi ſatis firmiter repugnabant, nec Reges prohibebantur communi lege Epiſcopos comprehendere; ita ut contumacem eorum aliquem, propoſitis etiam pœnis compulerint ad legis obſervantiam; in cauſis, inquam, rerum temporalium, quod piiſſimos illos Reges Catholicos oportuit facere, quippe quibus hoc præcipue curæ fuit, ut ſuum unicuique jus tribueretur. Lex per ſe ſatis clara non eget interprete. *Si quilibet*, ait, *Epiſcopus admonitionem Judicis, fretus honore ſacerdotali contemſerit, & pro ſua perſona Aſſertorem dare diſtulerit, confeſtim a Judice negotii, ſeu a provinciæ ſuæ Duce, vel Comite compulſus quinquaginta ſolidorum damnum excipiat. Ex qua ſumma pecuniæ* xx. *ſolidi Judici pro contemtu proficiant, triginta vero Sacerdotis ipſius petitor conſequatur*. Hoc vero ipſum, quod fortaſſe alicui veteris diſciplinæ minus ſcienti, ſive etiam delicatulo, parum ſapiat, maximæ illius concordiæ Sacerdotii & regni novum fuit caput. Namque iidem illi Duces & Comites, qui ſuam vel in Epiſcoporum cauſas aliquot juriſdictionem videbant extendi, haud ægre ferebant ſuas ſententias parum æquas ab Epiſcopis reſcindi.

DISSERT. IV. CAP. II.

Leg. Vviſig. lib. 2. t. 1. cap. 18.

XIII. Caſtrenſi etiam munere erant conſpicui.

Præter civile iſtud munus Illuſtrium Ducum, & Comitum, quod optimo, meritoque jure appellabam præcipuum, quippe omnis adminiſtratio regni inter eos & Principem dividebatur; Caſtrenſi alio munere fungebantur, quo ſcilicet regnum ipſum ab hoſtibus arma inferentibus tutum conſervaretur, ejuſque tranquillitas turbari cœpta in ſplendorem priſtinum aſſereretur, Id vero muneris a Principe demandabatur Ducibus, Comitibuſve, occaſione dumtaxat ſe offerente; quemadmodum noſtro ævo videmus fieri, ubi Principes præſtantioribus virtute, atque experientia Ducibus, Comitibuſve rem militarem committunt. Neque alii ulli generalis armorum præfectura committi conſuevit, præterquam Duci, aut Comiti, qui vice Principis belli ſummam ſuſciperet; *Conſtituto*, ait Lex, *ac præfinito die, vel tempore, quo aut Princeps in exercitum ire decreverit, aut quemlibet de Ducibus, vel Comitibus profecturum in publica utilitate præceperit &c.* Quæ quum ita ſint, minus recte conjeciſſe mihi vi-

Leg. Vviſig. lib. 9. t. 2. cap. 9.

DISSERT. IV. CAP. II.

videtur Pantinus, quod præcipuum Ducum officium eſſet Caſtrenſe apud Gothos, quemadmodum apud Romanos fuiſſe dignitates Imperii, Notitia nos docet. Quaſi vero Wiſigothi provincias commiſerint ſuis Ducibus, ut in iis bellum gererent, Imperii more. Illuſtrium ſiquidem Officiorum Palatii Gothorum Regum præcipuum fuiſſe munus civilem provinciarum adminiſtrationem, & exempla ſuperius allata comprobant, & hiſtoria Wambanis alibi laudata extra omnem aleam rem ponit. Enimvero Waſconum bello implicitus Rex Wamba in Cantabriæ finibus, defectionem audit Narbonenſis provinciæ, mittitque eo Paulum Ducem cum parte copiarum ad reprimenda conjuratorum molimina. Paulus idem Duce Tarraconenſis provinciæ, aliiſque in ſuas partes vocatis, fit perduellis. Re iſta nova nunciata Regi, conficitur bellum in Waſcones, belliqne moles in conjuratos convertitur: quatuor mittuntur Duces cum parte exercitus, Rex cum parte alia Duces ſequitur. En Ducem Paulum perduellem, Duceſque alios quatuor Caſtrenſi Officio coſpicuos, quos ſi conferas cum Ducibus provinciarum Narbonenſis, & Tarraconenſis, qui defecerunt a Principe, non obſcure intelliges, quid ſit diſcriminis inter Caſtrenſes Duces, & Viros illos Illuſtres Duces provinciarum, de quibus frequens ſermo eſt in Toletanis Conciliis. Neque enim auſim inficiari, quod Duces ipſi provinciarum, & Civitatum Comites jure ſimul uterentur in milites; quî enim ſecus eſſe poterat in Monarchia Hiſpaniarum, in qua Oppidula quæque, ac vici omnes ſuos alebant milites? Id conſtanter affirmo, quod potiſſimum Ducum Comitumque officium fuit Civilis provinciarum ac Civitatum adminiſtratio; quamobrem Palatina hæc Gothorum Officia perperam cum Imperii dignitatibus confunduntur.

Duchesn. to. I. pag. 821.

XIV. Gardingi tertium genus Officiorum majoris loci.

Hæc ſatis ſint de Ducatu, & Comitiva Illuſtribus Officiis Palatii Gothorum. Reſtat nunc, ut dicendum aliquid videatur de tertio ejuſdem primi ordinis Officio, videlicet de *Gardingatu*. Quod ſane officium hauddum e tenebris fuiſſe eductum fidem facit V. C. Ludovicus Antonius Muratorius tota Europa celeberrimus Scriptor. Nam ſermonem de iis habens, perquam ſimiles *Gaſindiis* Langobardorum fuiſſe eos putat, vulgarique utroſque nomine appellat *Cortigiani*. Hæc autem definitio, quippe nimium generalis, mihi non arridet: Duces enim, & Comites, ut ſuperius vidimus, *Cortigiani* & ipſi ſunt, tametſi Officio multum diſcrepent inter ſe, ad Regni adminiſtrationem

De antiq. med. ævi diſſ. 4. pagin. 129.

quod

quod attinet. Gardingos vero autoritate, & dignitâte longe minores iis Officiis, civili licet & Caſtrenſi munere ipſi etiam fungerentur, miſcere cum prioribus Optimatibus nefas eſt, quod Lex Wiſigothorum nos admonet. *Si majoris*, inquit, *loci perſona fuerit, ideſt Dux, Comes, ſive etiam Gardingus*. Unde liquet, quod removere ab Optimatum ordine Gardingos non licet, quamquam a Ducibus, & Comitibus disjungere eos oporteat. Longe autem minus officium iis Palatinum debet eripi; tametſi Concilia Toletana nulla eorum ſubſcriptionem præſeferant. Erat ſiquidem Gardingatus Officium, unde ad Comitivam, & Ducatum Gothorum nobilitas perveniebat, quod teſtatur Julianus autor ſynchronus in ſæpe laudata hiſtoria Wambanis: *Sociis*, inquiens, *ſibi adjunctis Ranoſindo provinciæ Tarraconenſis Duce, & Hildigiſo ſub Gardingatus adhuc officio conſiſtente*. Quamobrem aut tirocinium agens in Palatio Nobilitas nondum provectæ ætatis Gardingatus officio fungi diceretur, aut vacantem aſſequi Comitivam expectans juventus eadem, officium aliud exerceret; certe Juniòres Optimatum nuncupari Gardingos ex monumentis conjicio: *Videntibus*, ait Rex Ervigius, *cunctis ſacerdotibus Dei, ſenioribuſque Palatii, atque Gardingis*. Et Concilium Toletanum ſextum de officiis Palatinis in genere ita loquitur: *His a Junioribus modeſtus honor per omnia deferatur. Qui etiam minores a ſenioribus &c.* Hinc fortaſſe illud noſtri idiomatis *Guardingo*, quod eſt alienis factis & exemplis ſua metiri, ſummaque cum diligentia quid faciendum, aut dicendum ſit expendere, quare circumſpectum id genus hominum latine dicitur.

DISSERT. IV. CAP. II.

Lib. 9. ti. 2. c. 4.

Duchesn. to. 1. pag. 222.

Leg. Wiſig. lib. 2. tit. 1. cap. 1.

Conc. Tolet. VI. cap. 13.

XV. Gardingatus Officium & domi & foris celebre.

Officium vero iſtud tertium ex Illuſtribus, ſeu majoris loci Palatinis, quamquam nec rei ſummam gereret in caſtris, nec provinciæ, aut civitati ulli præficeretur; tamen & in provinciis apud Duces, & in exercitu cum Duce aut Comite, non autoritatis, ſeu dignitatis, at illuſtrium honorum compos degebat. Quare cum Ranoſindo Tarraconenſis provinciæ Duce *Hildigiſum* nuper vidimus *ſub Gardingatus adhuc officio conſiſtentem*, quum Paulo perduelli utrumque eſſe adjunctum perſpeximus: & de Gardingis in bellum ituris ſatis perſpicue lex decernit: *Dux*, ajens, *Comes, atque Gardingus, aliique, quos ſecum ducunt in bellum, partim ſint zavis, & loricis muniti, partim ſcutis, ſpathis, ſeramis, lanceis, ſagittiſque ſint inſtructi*. Quapropter probe mihi videor aſſequutus eſſe Gardingatus officium, ubi

Leg. Wiſig. lib. 9. tit. 2. cap. 9.

DISSERT. IV. CAP. II.

ex flore Gothicæ nobilitatis homines, Optimatum nempe ſobolem in Ducatus, & Comitivæ ſpem domi, & foris ſeniorum exempla circumſpicientem, id Officium Palatii Gothorum fuiſſe conjeci. Quam ſane opinionem magis magiſque confirmat Receſvinthi alloquutio ad Officia illa Palatina, quæ aderant Concilio Toletano VIII. His enim verbis eos compellat: *Vos etiam Illuſtres viros, quos ex Officio Palatino huic Sanctæ Synodo intereſſe Primatus obtinuit, ac nobilitas ſpectabilis honoravit, & experientia æquitatis plebium Rectores exegit, quos in regimine ſocios .... quicquid innocentiæ vicinum, quicquid juſtitiæ proximum, quicquid a pietate non alienum, vel ſoli Deo cognoveritis exiſtere placitum, inſtanter, modeſte, & cum omni dignemini intentione complere.* Hinc ſiquidem arceri videns ſolos Gardingos, quod ſubſcriptionibus doceor, neque in penitioribus eos conſiliis, neque in præcipuis regni muneribus adhibitos fuiſſe intelligo, quoad ſpectata in Gardingatu indoles, &, ſi Deo placet, opportuna ætas ad Comitivam & Ducatum illos proveheret. Hactenus de Officiis Illuſtribus, ſive majoris loci. Venio nunc ad Officia ſecundi ordinis, quæ inferioris loci nuncupantur in lege: iſta vero brevi admodum narratione amplectar, quippe quæ cum Eccleſiaſticis rebus minus conjuncta ſunt.

Conc. Tol. VIII. præf.

XVI. Tyuphadus primum ex Officiis inferioris loci.

Princeps Officiorum inferioris loci eſt Tyuphadus, quod & Pantinus recte animadvertit. Eidem vero eſt Officium mere caſtrenſe, ac proinde Tyuphadiam interpretatur copias militum illi ſubjectas: Qua quidem in re mihi ſecum non conſtat. Tyuphados ſiquidem in ſua Tyuphadia, æque ac ſua in Civitate Comites, jus dixiſſe teſtatur lex: *Cum cæteris*, inquit, *negotiis criminalium etiam cauſarum Tyuphadis judicandi conceſſa licentia ſit: criminoſos a legum ſententiis ipſi judicare non audeant, ſed debitam in eis, ut competit, cenſuram exerceant.* Et, quod majus, ubi in bellum proficiſci oportuit Tyuphadum, ipſi injungebatur lege, ut Vicarium ſibi eligeret, qui ſe abſente jus diceret; *Tyuphadi tales eligant, quibus viciſſitudines ſuas audiendas injungant, ut ipſis abſentibus, illi cauſas & temperate diſcutiant, & juſte decernant.* Idque aliud ſibi vult, quam merum Caſtrenſe Officium; nam ſi ad bellum proficiſcens, Vicarium in ſua Tyuphadia jus dicturum relinquebat; non igitur Tyuphadus Caſtrenſe merum Officium erat, nec Tyuphadia erant copiæ illi ſubjectæ. Quare hariolari non dicar, ſi Tyuphadiam apud Gothos interpreter Oppida, ſive ut vulgo audiunt, communi-

Leg. Wiſig. lib. 2. tit. 1. cap. 15.

Ibidem.

munitates plures, paucioreſve Territorii urbium, quo ut jus Comitis minime perveniſſe non dicam; ſingulis Comitibus ſubordinari Tyuphados ſingulos, quemadmodum Comites ſubordinabantur Duci, affirmare non dubito: nam video Legem animadvertentem in eos, qui in aciem prodire recuſabant, his verbis: *Si de domo in hoſtem proficiſci noluerint, tunc Tyuphadus Præpoſito Cimitis Civitatis notum faciat, & ſcribat Comiti Civitatis, in cujus eſt territorio conſtitutus, ut Comes Civitatis vindictam, quæ in lege poſita eſt, his qui pro ſe rogant, aut qui ſe redimunt a Tyuphadis, vel Centenariis, aut Decanis, vel ſervis Dominicis, omnia ad integrum implere non differat.* Quis enim hinc aperte conſtare non dicat, quod milites e domo educendi in hoſtem, non erant in caſtris, ita ut Pantino Tyuphadiam accipienti pro copiis adhærendum ſit; verum in oppidis, pagis, caſtelliſve Territorii Civitatis, quæ mihi ſunt Tyuphadia? Quid quod in capitibus Legis ſtatim ſequentibus Centenarii, & Decani ex Territorio pariter Comitis Civitatis laudantur? Nonne hinc centenæ, & decaniæ *plebium*, aliorumque id genus Caſtellorum, quas novit Dufreſnius, inferuntur? Huc accedit, quod Lex alibi de Tyuphado, tanquam de Officio, cui civilis adminiſtratio demandata eſſet, loquitur: *Si quis*, ajens, *Judicem, vel Comitem, aut Vicarium Comitis, ſeu Tyuphadum ſuſpectos habere ſe dixerit, & ad ſuum Ducem aditum accedendi popoſcerit &c.*

DISSERT. IV. CAP. II.

Leg. Wiſig. lib. 9. tit. 2. cap. 1.

Ibid. lib. 2. tit. 1. cap. 23.

XVII. Cætera Officia inferioris loci.

Objicies, niſi ego fallor, legis caput aliud ſupra a me laudatum, quo Reges Gothi compendio litium ſummopere gaudentes, juriſdictionem in Officia quævis etiam mere Caſtrenſia extenderant, ut ſunt *Millenarii*, & *Quingentenarii*, quibus militum numerus nomen fecit, *ſervi Dominici*, ſeu *exercitus compulſores*, a compellendis in hoſtem Gothis ita appellati; aliique quos recenſere hîc nihil attinet. Verum ſi ſerio reputes, quod Gothorum Regum ingenium fuit Monarchiam ita optimis legibus regere, ut ubique ejus tranquillitas aut ſervaretur, aut pararetur armis; facile aſſequeris, quod ampliſſimi illius regni nullum oppidulum, vicuſque nullus militibus caruit; gens enim Gothorum bellicoſiſſima ad arma tractanda, quam ad colendas pacis artes pronior, ſuis Regibus procreabat abunde milites. Hinc eſt quod *Annonarios* Officium aliud Palatinum inferioris loci tota Hiſpania frequentiſſimos videre eſt, ut nimirum annonam militibus ſine fraude largirentur. Quamobrem *Millenarios*, quos

DISSERT. IV. CAP. II. quos mille militibus alicujus provinciæ præfectos fuiſſe docet Theodoricus Guduino Sajoni ſcribens : *Devotio tua Millenarios provinciæ , & Samnii ſine aliqua dilatione commoneat*: & *Quingentenarios* , quibus militum dimidia pars ſuberat , nemo auſit Tyuphadis , tanquam præcipuis Officiis Caſtrenſibus , juxta Pantinum ſubjicere ; nam ex ſuperius enarratis conſtat , quod Viris Illuſtribus Officiis majoris loci nempe Comitibus , & Ducibus copiæ militum committebantur , earumque generalem præfecturam aut Princeps , aut ex iis unus ſuſcipiebat . Diſtinguenda igitur ſunt inter officia inferioris loci , ſeu viliorum perſonarum , ut phraſi utar legis Wiſigothorum , quæ ſunt mere caſtrenſia ab iis , queis civilis adminiſtratio loco principe injuncta erat , tametſi Caſtrenſi ſimul officio fungerentur : cujuſmodi ſunt Tyuphadi , centenarii , & Decani , qui Tyuphadiis , Centenis , & Decaniis in Territorio Comitis Civitatis præerant . De utriuſque autem generis officiis pro re noſtra ſatis diximus , nec videtur aliud eſſe reliquum , præter Officiorum quatuor *Defenſoris* , *Pacis aſſertoris*, *Numerarii* , & *Villici* æque brevem , ac dilucidam cognitionem , ut Monarchiæ Hiſpaniarum optima adminiſtratio teneatur , quam Eccleſiæ rebus præmittere me velle ajebam . De hiſce igitur officiis in calce capitis , quæ neceſſaria erunt , afferam : deinde ad Eccleſiam Catholici regni totum me convertam .

Caſſiod. Var. l. 5. ep. 27.

XVIII. Eorũ quatuor ſingillatim deſcripti.

Horum ſane cognitio haud longe petenda eſt. Lex ſiquidem Wiſigothorum , cujus Codicem nondum depoſui , abunde ſuppeditat quidquid de iis oportet dici , aut noſci . Pacis itaque aſſertor , ex inferioris licet ordinis perſonis Palatinus ; Officium nihilominus temporarium fuit apud Gothos, quod ſupervacaneum reddidiſſet tranquillitas Regni ; nam ſola ex cauſa ſtabiliendæ pacis creabatur a Principe : *Pacis autem Aſſertores* , utor verbis Legis , *ſunt qui ſola facienda pacis intentione Regali ſola deſtinantur autoritate* . Hinc eſt , quod Tyuphado ipſi præcipuo hujus ordinis Palatino , lex quandoque præfert Aſſertorem , qui non modo a Tyuphado , ſed neque a Comitibus, Ducibuſve ullatenus dependebat . Secus eſt de annuis olim Magiſtratibus , ſive Officiis *Defenſore Civitatis* , & *Numerario* . Ii ſiquidem ſingulis in Civitatibus ab Epiſcopo & populo eligebantur quotannis : *Comperimus* , Lex ait , *quod Numerarii vel Defenſores annua vice mutentur : qua detrimentum de cauſa noſtris non ambigimus populis evenire. Ideoque jubemus ut Numerarius, vel Defen-*

Lib. 2. tit. 1. cap. 16.

Ibidem cap. 26.

fen-

ſenſor, qui electus ab Epiſcopo vel populis fuerit, commiſſum peragat officium: ita tamen ut dum Numerarius, vel Defenſor ordinatur, nullum beneficium Judici dare debeat, nec Judex præſumat ab eis aliquid accipere, vel exigere. Hac ſcilicet ex lege plura diſcimus: fuiſſe nimirum hos Magiſtratus annuos ante publicationem Legis Wiſigothorum, ac deinde perpetuos eſſe factos; eoſdem eligi conſueviſſe ab Epiſcopo cum aſſenſu populi; Inveſtituram Officii ab Judice Civitatis dari eis debuiſſe; ac nullam inde utilitatem Judici proveniſſe. Quæ diligenter attendi velim, ut certum ſciatur, quod ubi mores, & inſtituta unius gentis explorare quis cupit, commentariis eruditorum nequicquam inhæret, niſi autoritas Documentorum, quæ indidem ſint petita, illorum opiniones, & conjecturas tueatur. At enim quam diverſa ſunt quæ de Numerariis Pancirolus diſſerit in Notitia Dignitatum Imperii, ac de Defenſoribus Civitatum in tractatu de Magiſtratibus Municipalibus? Ducangius ipſe, qui medii ævi res expendit, electionem Defenſoris aliquanto variam exhibet, nam de electore Fpiſcopo, ac de Judice inveſtituram præbente nihil habet, at civium decretis eligi conſueviſſe ait in urbibus frequentia civium conſpicuis, eoſque cum antiquis Tribunis plebis conferre non dubitat. Munera quæ iis tribuit, ſunt, ut diſciplinæ invigilarent; plebem & Decuriones ab omni inſolentia compeſcerent; Naucleros & Mercatores tuerentur; tributa curarent; injuriam ferentium querelas exciperent, & id genus alia. Quum vero Iſidoro utamur teſte, quod *Numerarii* (Officium apud Gothos cum Defenſoribus conjunctiſſimum) publicum nummum, ſeu pecuniam regiam ex tributis portoriis, & vectigalibus confectam in æraria inferebant; idcirco Defenſoribus non omnia illa munera apud Ducangium enumerata adſcribimus; tametſi inter Officiales Judicum cur utroſque recenſeamus in cauſa eſt Inveſtitura ab Judice dari ſolita.

De *Villico*, quod Officium græci dicunt Œconomum, ocioſum eſſe arbitror plura his referre: quod nimirum Villici, ſeu Inſularii, ut eos vocat Papias cum Iſidoro, erant exactores penſionum Villæ. Atque hæc ſatis ſuperque ſunt ad Civilem Catholicæ Monarchiæ adminiſtrationem agnoſcendam, quatenus Eccleſiæ res mox perluſtrandæ, mihi videntur exigere. Diſputandum fortaſſe erit aliquando adverſus eos, qui Franchorum, & Langobardorum ſimilia multa de Officiis Palatinis in Hiſpaniam co-

DISSERT. IV. CAP. II.

XIX. Epilogus dictorũ duobus Capitibus.

conabantur invehere. Tunc vero uberius ex Lege Wiſigothorum quæ ad tuenda noſtra neceſſe erunt, hauriemus. Interim firmum ratumque id eſſe velim, quod Catholici Reges, & Palatina Officia, de quibus ſeorſim ab Eccleſia, quantum licuit diſputavi, uſque adeo cum Epiſcopis concordes Monarchiæ regimini adhæſerunt, ut difficile admodum ſit in Regno alio tantam Epiſcoporum autoritatem in temporalibus reperire; tantumque Epiſcoporum obſequium in ſuos Reges, atque in Officia Palatina amorem excogitare impoſſibile prorſus videatur. Reges primi omnium Regum per ſacram unctionem conſecrari ab Epiſcopis volunt; ad eorum pedes provoluti in ſacroſanctis Conciliis, ſibi, regiæ proli, regnoque auxilium ſacerdotale ſupplices petunt; ſuis decretis, atque edictis Epiſcopalem autoritatem accedere vehementer optant; Palatina demum Officia queis provinciæ, & urbes ad regendum committebantur, edoceri ab Epiſcopis adminiſtrandi rationem & cupiunt, & jubent; Officia alia minora iiſdem ſubjiciunt, ita ut non modo ex iis nonnulla eligant, ſed etiam quales in rebus geſtis ſe exhibeant, diligenter inſpiciant, injuſte agentes arguant, in nequiter ſe gerentes animadvertant. Contra Epiſcopi, novo, atque antea inaudito exemplo, fidei ſacramentum præſtant ſuis Regibus; ad ſacroſancta Concilia non conveniunt, niſi juſſione regia, aut regio minimum conſenſu præeunte; ſua decreta non inchoant, niſi poſt Regis ingreſſum, orationem, alloquutionem, benedictionem, ac diſceſſum; pro Regia incolumitate ſemper conſtituunt, quæ res & tempora iis ſuadent ſancienda eſſe. Erga Officia Palatii paternum potius amorem, quam poteſtatem ſibi a Rege conceſſam exercent. Hæc autem omnia, quorum partem explicuimus, pars enarranda adhuc reſtat, admirabilem eam concordiam Regni, & Sacerdotii pepererunt, quam ſæpe antea prædicavi, ac frequenter efferam ſummis laudibus de Eccleſiæ rebus diſſerens, quod jamdemum ingredior facere.

CAPUT

CAPUT III.

De Eccleſia Hiſpaniarum ſeptimi Seculi.

I. Eccl. Hiſpan. coaleſcit concordia Sacerdotii, & Regni.

PRINCIPIO hujus capitis ponendum eſt, Diſciplinam confirmandi Metropolitas omnes totius Patriarchatus Occidentis traditione Pallii, a Magno Gregorio primum inſtitutam in Angliæ regnis, ſero admodum in Hiſpaniis obtinuiſſe: quod, ni fallor, perſpicue oſtendam, quum de Pallii diſciplina veteri, & nova uberrime diſputabo. Quamobrem de Hiſpaniarum Eccleſia, qua ſanctiorem ac ſimul feliciorem (verbo abſit invidia) nullam in Occidente aut in Oriente reperire eſt per ſeculum ſeptimum, ſermonem inſtituturus, hoc veluti fundamentum pono, quod Hiſpaniarum Metropolitæ nulli ullum ab Apoſtolica Sede privilegium eſt conceſſum toto Regum Catholicorum tempore, quod excipientes Saraceni pervaſerunt Regnum illud florentiſſimum, omniaque miſcuerunt, Eccleſia cumprimis peſſumdata; ſed quæ Conciliorum, ac Romanorum Pontificum decretis unicuique Metropolitæ privilegia antea conceſſa fuerant, firma eadem perſeverarunt, ſumma cum Metropolitarum omnium concordia, ſummoque cum Eccleſiaſticæ rei emolumento. Quod plane certiſſimum fundamentum jure a me eſſe poſitum aliquando palam erit; nunc ſiquidem inſiſtendum mihi eſt propoſito. Illuſtrare oportet Eccleſiam iſtam ſuis ipſius monumentis plurimis, unde aliqui conati ſunt eruere tam multas tenebras, quibus eam inſpergerent. Conſtabit ſcilicet, non fuiſſe opus Romano Pontifici, ut, quemadmodum quinto, ſextove ſeculo fecerat, vices ſuas demandaret alicui Epiſcopo, quominus ſacri Canones, ac D. Petri ſucceſſorum Decreta contemnerentur; Metropolita enim quiſque eorumdem ſatagebat in ſua provincia; ac frequenter ſinguli convenientes in Regiam urbem Toletum, Concilium Nationale celebrabant, de totius Gothicæ Monarchiæ, tamquam de unius provinciæ diſciplina, rebuſque Eccleſiæ aliis ſollertiſſime inquirentes. Qua præſertim de re Catholici Reges adnitebantur, potiori haud dubie conſilio, quam plurimi Auguſtorum, ut probe norunt Eccleſiæ rerum non inſcii. Nullam profecto rempublicam optime inſtitutam apud Græcos, aut Romanos veteres reperire eſt, quicum Hiſpanienſis Monarchia illius ævi comparata, aut ſimilia multa, aut longe præſtantiora quædam non referat. At enim

DISSERT. IV. CAP. III.

enim honores & præmia honeſtis, juſtiſque hominibus; improbis vero pœnam; ſplendorem virtutibus, ac recte factis; vitiis contra, & ſceleribus ſupplicia proponere omnis debet reſpublica, ut ſtare poſſit. Eadem vero omnia, ſpectata primum religione ſtatuere, ipſamque religionem poteſtati Principis præferre, quin etiam Religioni ejuſque adminiſtris Epiſcopis Principem ſubdere, nulla prorſus reſpublica, ne romana quidem religioſiſſima excepta, apud veteres conſuevit: quumque id fieri licuiſſet Chriſti jam lege undique obtinente; ſchiſmata in Oriente, diſſidia & ſimultates Principum in Occidente fuerunt in cauſa, cur nulla hujuſmodi Monarchia, præter Hiſpanienſem, toto, quam longe lateque patebat, Catholico orbe per ſeculum ſeptimum, conſtitueretur. Hujus igitur Monarchiæ concordia Sacerdotii, & Regni præſtantiſſimæ ſpectanda Eccleſia eſt ſeorſim a Regno ipſo, quode egimus ſupra; ac deinde ipſius concordiæ vincula, quibus floruit Regnum, Eccleſia coaluit, ex Conciliis præſertim nationalibus exprimenda; antequam de diſciplina, judiciis, aliiſve rebus ſingillatim ſermo habeatur.

II. *Eadem nullam fere opem ab Ap. Sede habuit ſeculo ſeptimo.*

Decretales Romanorum Pontificum epiſtolas Præſulibus Hiſpaniarum miſſas per ævum illum totum, nequicquam quæris. S. Deusdedit unica ad Gordianum Hiſpalenſem Epiſcopum affertur; ac Sergii I. laudantur literæ, quæ Toletani Præſulis Juliani Apologeticum confirment: has vero nuſquam inveniens, Roderici id affirmantis fidei relinquas: *Reſcriptum*, ait, *per ſuprafatos legatos cum gratiarum actione, & cum honore remiſit; & omnia quæcumque ſcripſit, juſta, & pia eſſe depromſit.* Illam autem manifeſte falſam deprehendes, ſi memoria repetas quod S. Iſidori Epiſcopatus ab anno minimum 600. ad 636. producitur; quum enim S. Deusdedit in Apoſtolica Sede triennium, ac dies viginti permanſerit, a die 19. Octobris anni 615. ad 7. Novembris 618. in Hiſpalenſem Gordianum intrudere, dum maxime Iſidorus florebat, nedum ineptum, temerarium eſſet. Eaque propter confutationem doctrinæ hac in ſuppoſita decretali Epiſtola conflatæ, tamquam rem inutilem prætermittens, pro certo haberi volo, nullam ab Romanis Pontificibus decretalem Epiſtolam miſſam eſſe in Hiſpanias poſt S. Gregorii tempora uſque ad Mauricam invaſionem. Quod ſicui gratum eſt agnoſcere, quidquid Sanctæ Sedis documentorum certum Eccleſia iſta præfefert eodem ſpatio temporis; S. Gregorii ejuſdem Epiſtolæ, & inſtructio ad Joannem Defenſorem in una ex majoribus cauſis; & S. Leo-

Rod. Tol. Hiſt. Hiſp.

S. Leonis II. epiſtolæ quatuor, necnon unica Epiſtola Benedi- DISSERT. IV.
cti II. antequam conſecretur Pontifex, pro Concilii generalis VI. CAP. III.
publicatione in Hiſpaniis, extra omne dubium ſunt. (De iis plane, quæ ſcripſit Gregorius, dicam, quum venero ad Judiciorum formam, Sardicenſium quippe decretorum puram eæ ſummam exhibent.) Paucis ſcilicet ex S. Sedis iis epiſtolis nemo non videt, regimini Hiſpanienſis Eccleſiæ parum opis acceſſiſſe ubi tot annorum ſpatium ſecum reputet: immo potius uniuſcujuſque animum cupido ingens inceſſet deprehendendi, quidnam, præter Sacerdotii & Regni concordiam, qua nihil eſt utilius ad conſervandam Eccleſiam, præſidii habuerint Hiſpaniarum Præſules, ut Fidem integram, ac diſciplinam rectam conſtanter vigere in ampliſſima ea Monarchia gloriati ſint. Ecquem autem fugiat, duas potiſſimum res, doctrinam, ſanctoſque mores Epiſcoporum ſingularem hanc illi Eccleſiæ laudem peperiſſe? Ecquem lateat, eorumdem conſenſu unanimi Sacros Canones, ac Decretales Romanorum Pontificum Epiſtolas ſtabile id fundamentum fuiſſe poſitum, quo tanta Eccleſiæ felicitas, conſtanſque adeo illius tranquillitas eſt innixa? Quid vero? Num doctrina Epiſcoporum, diligenſque ea cuſtodia Canonum, decretaliumque Epiſtolarum, quæ fuerunt cauſa, cur nullæ ad S. Sedem conſultationes mitterentur, nullumque Sancta eadem Sedes Vicarium ſuum in Catholico eo regno conſtitueret, ut lapſis antea ſeculis fecerat, infallibilem S. Sedis doctrinam, ſupremamque ejus autoritatem minus neceſſariam eſſe ad unitatem Eccleſiæ ſervandam demonſtrarunt? Immo vero indidem utraque S. Sedis prærogativa perſpicue magis proferetur. Expediam ſingula.

III. Doctrina enim & ſanctitate præditi Epiſcopi eligebantur.

Ad Præſulum Hiſpanienſium doctrinam quod attinet, nil opus eſt ſingulorum merita exquiſitis proſequi argumentis, quod immenſum, fortaſſe etiam moleſtum negocium eſſet; ſatis eſt latam de hac re legem in Concilio Nationali anno 633. pro univerſis Hiſpaniarum Epiſcopis proferre: *Ignorantia*, inquit, *mater cunctorum errorum maxime in Sacerdotibus Dei vitanda eſt, qui docendi officium in populis ſuſceperunt. Sacerdotes enim legere Sanctas Scripturas admonentur, Paulo Apoſtolo dicente ad Timotheum: Intende lectioni, exhortationi, doctrinæ; ſemper permane in his. Sciant igitur Sacerdotes Scripturas Sanctas, & Canones: ut omne opus eorum in prædicatione & doctrina conſiſtat; atque ædificent cunctos, tam fidei ſcientia, quam operum diſciplina*. Miſſa facio quæ ad hujus legis in Hiſpaniis latæ Conc. Tolet. IV. cap. 25.

ſimi-

DISSERT. IV. CAP. III. ſimilitudinem, Romani Pontifices pro univerſæ Eccleſiæ Epiſcopis decreverunt, videnda per ocium apud Juris Pontificii peritos. Illud dico, quod poſt S. Leandri tempora, aureo videlicet iſto ævo, de quo ſermonem inſtitui, non erat prodigii ſimile, ut teſtari ajebam Marianam de priorum ſeculorum Epiſcopis, horum aliquem doctrina præditum invenire, ſed tantum honorem aſſequi nullus poterat qui doctrinæ expers eſſet, quod cautum lege vidimus. Animadverti nihilominus debet, quod cum inſtaurata in Hiſpaniis Catholica fide eo ſimul doctrina continuo revocari non poterat; ac proinde multam adhuc ignorantiam ævo S. Iſidori in aliquibus reperiri, quæ allatum decretum elicuerit, quis miretur? Secus fuit poſt latam hanc legem; doctrinæ ſiquidem expers minime eligebatur Epiſcopus. Neque eam quidem a ſanctitate disjunctam putes. Si enim præ aliis Metropolitas, utpote Epiſcoporum parentes conſideres, pleroſque horum videas ad tantam dignitatem aſcendiſſe tirocinio in monaſteriis prius poſito. Cujus rei erunt teſtes Metropolitas inter præſtantiſſimi Toletani, quorum ſeries ſuppetit ex libro Virorum Illuſtrium. Ii ſcilicet fere omnes ex celeberrimo Agalienſi Monaſterio prodierunt, tamquam ex Seminario, unde educerentur Epiſcopi; quod olim eveniſſe noſti apud Gallos ex Lerinenſi; fereque omnes Abbates, ſeu Patres Monachorum extiterant. Pleroſque inquam; haud ſiquidem contenderim ex Monaſtico tantum Ordine electos eſſe, quos tenemus generali lege doctrinæ S. Scripturæ & Canonum adſtringi, quocumque ex Ordine eligerentur. Monachorum autem inſtitutio quam non abluderet a doctrina Epiſcopis neceſſaria nos docet Regula S. Iſidori, quam præ aliis ſpectandam cenſeo, quippe ab eo conditam, qui Nationali Concilio præerat, cui lex illa refertur accepta:

S. Iſidor. Reg. Mon. cap. 8. *De his autem quæſtionibus*, inquit, *quæ leguntur, nec forte intelliguntur, unuſquiſque Fratrum aut in collatione, aut poſt veſperam Abbatem interroget, & recitata in loco lectione, ab eo expoſitionem ſuſcipiat, ita ut dum uni exponitur, cæteri audiant. Gentilium libros, vel hæreticorum volumina Monachus legere caveat: melius eſt enim eorum perniciosa dogmata ignorare, quam per experientiam in aliquem laqueum erroris incurrere.* Quare qui ex Monachis aſſumebantur, & ſanctioris vitæ inſtitutum certum, & doctrinam quæ minime dedeceret Epiſcopos, in Epiſcopales Cathedras afferebant. Suntque argumentum rei minime dubium egregia tot eorum Opuſcula de Eccleſiaſticis rebus,

bus, quorum ſæpe fiet mentio, ubi opportuna id fieret occaſio, doctrinam quod ſpectat. Sanctos enim mores, vitæque Epiſcopalis genus rigidum, ut nobis videtur, conſtitui perſequi, quum ſermo erit de Judiciis. DISSERT.IV. CAP. III.

IV. Sacra nimirum Scriptura, ſacriſque Canonibus, & Decretis Romm. Pontt. imbuti.

Cuncta igitur ſuppellex librorum, unde ſuam Epiſcopi doctrinam eruere jubebantur, Sacra Scriptura erat, & Sacri Canones, Patrum voluminibus non exceptis. Ethnicorum ſcriptis uti eruditionis gratia conſueviſſe, extra Monaſteria vacantes literis (ut reor) antequam dignitatem aſſequerentur, abunde teſtatur tam multis ſuis operibus Iſidorus: at Monachi legere, ut dictum eſt, prohibebantur Gentilium, & hæreticorum volumina. Propterea qui Epiſcopi ex Monaſteriis aſſumebantur, Sacræ Scripturæ, Conciliorum, & Patrum documentis imbuti, nonniſi ſancte, & recte inſtruere commiſſos ſibi populos poterant. De Præſulibus ex Monaſterio non eductis tametſi affirmare id pro certo nequeam; tamen mecum reputans nuper allatam legem, ſeu Canonem, aliumque in ipſo limine deteſtatæ hæreſis latum, *Ut in omni Sacerdotali convivio lectio Scripturarum Divinarum miſceatur*, necnon titulum quadrageſimum libri tertii Cod. veterum Canonum *De non ignorandis Canonibus* autoritate Decretalium Epiſtolarum Cœleſtini, Leonis, & Gelaſii confirmatum; quoſcumque Epiſcopos dixerim doctrinam ſuam omnem ex illibatis iiſdem fontibus haurire debuiſſe, poſtquam ad tantam dignitatem aſcenderant. Quod equidem fecero tum autoritate Opuſculorum quæ aut extant, aut lucubrata ab iis Epiſcopis memorantur; tum præcipue ſtatum, ſeu conditionem Eccleſiæ iſtius omnem memoria repetendo. Catholicam enimvero fidem quod ſpectat, nullis eam erroribus contaminatam videre eſt ſeculo iſto ſeptimo; nullum omnino Canonem, poſt Concilium Toletanum III. adverſus aliquam Hiſpanorum hæreſim Concilia condidiſſe diſcas; Epiſcoporum nullum a Nicæna fide alienum, moleſtiæ vel minimum ingeſſiſſe Fratribus deprehendas. Peccatum quandoque in diſciplina eſſe; turbatam quoque non ſemel rempublicam ab Epiſcopis compertum erit. Hinc autem magis magiſque S. Scripturæ, Canonum, ac S. Sedis Decretorum ſola niti autoritate Epiſcopos confirmabitur: proindeque ſola imbutos doctrina illa eos fuiſſe ſtatuetur. Nam aut Divinis freta oraculis Concilia, aut inhærentia ſacris legibus antea latis compoſuiſſe omnia, quominus S. Sedem fatigarent, quemadmodum prioribus ſeculis fecerant, palam fiet. Quid plura? In ipſos Re-

Conc. Tol. III. *cap.* 7.

Reges, quorum autoritas æque Epiſcopis, atque Ordinibus laicorum cæteris metuenda ſemper fuit, animadverſum in Conciliis eſſe liquet, Sacræ Scripturæ, ſacrorumque Canonum autoritate propoſita: neque ut abſolverentur ab juramento ſubditi eiſdem populi, ſuprema Romani Pontificis poteſtas quærenda fuit; tot ſiquidem ſacræ leges tum ex Conciliis, tum ex Decretalibus Romanorum Pontificum literis, tum præcipue ex ſacrorum interpretatione bibliorum ſuppetebant aureo illo ævo; ut optime eas callentes ii Præſules non neceſſe habuerint, quaſi de re nova Romanum Pontificem conſulere; ſed acerrimi eorum vindices, quæ deſinita fuerant, in quoſcumque ſacrarum legum violatores ſententiam ferre non dubitaverint. Ipſi autem Principes, perinde atque alii omnes ex Chriſti grege ſancta, ea Præſulum doctrina inſtituti, ubi ſe violatores earumdem eſſe ſenſerunt, terreno, quam Cæleſti exui Regno maluerunt.

V.

Sacros Canones, & Decreta Pontiff. Regulam ſibi in omnibus fore ſtatuunt ipſo in limine deteſtatæ hæreſis Arianor.

Nec vero ſatis Hiſpanienſibus fuit S. Scripturæ, Canonum, Decretorumque Apoſtolicæ Sedis optime inſtitutos Epiſcopos deſignare; at ſanctiſſimas eaſdem diſciplinas tum populis edocendis, tum cæteris dignitatis illius officiis peragendis oppido quam neceſſarias, inſtar Regulæ habitum iri ab iiſdem tota in Gothorum ditione decretum fuit, quumprimum Arianam hæreſim deteſtati, conſtans, ac perpetuum Catholicæ Fidei fundamentum unanimes totius gentis Epiſcopi Rege ipſo præſente poſuerunt:

Conc. Tol. III. cap. I.

Pace, inquiunt, *Eccleſiæ Chriſti miſericordia reparata, omne quod priſcorum Canonum autoritas prohibet, ſit reſurgente diſciplina, inhibitum: & agatur omne quod præcipit fieri. Maneant in ſuo vigore Conciliorum omnium conſtituta, ſimul & Synodicæ Sanctorum Præſulum Romanorum Epiſtolæ*. Concilia, & documenta quæ extant, alternis eoſdem autoritatibus inhæſiſſe, dum aut de fide, aut de moribus fuit quæſtio, fidem faciunt. Adhibitos equidem Canones ob frequentiam prætermitto; quæ autem de Pontificum Romanorum decretis in oculos incurrerunt, non præteream, ne novas res meditantibus arma videar miniſtraſſe, quum toto Catholicorum Regum tempore Conſultationes Roma petitas non eſſe dixi. In Concilio Hiſpalenſi agitata quæſtio de Triennali poſſeſſione: quare Patres

Conc. Hiſp. II. cap. 2.

ne in dubium ultra, inquiunt, *inter eos noſtra advocaretur ſententia, prolatis Canonibus, Synodalia decreta perlecta ſunt.... hoc enim & ſecularium Principum edicta præcipiunt, & Præſulum Romanorum decrevit autoritas*. Et infra iidem Patres de dua-

duabus Chriſti naturis pleniſſime agentes Athanaſii, Baſilii, Cyrilli, Flaviani ſcriptis adhibitis, nulla Patriarchalis honoris ratione habita, ubi ad ſupremum Eccleſiæ Rectorem veniunt: *Beatus quoque Leo*, ajunt, *Apoſtolicæ Sedis Antiſtes &c.* In Concilio Toletano IV. de trina, aut ſimplici merſione baptiſmi definientes: *Quid a nobis*, inquiunt, *in huc Sacramenti diverſitate fiendum ſit*, *Apoſtolicæ Sedis informemur præceptis*, *non noſtram*, *ſed Paternam inſtitutionem ſequentes*. *Beatæ igitur memoriæ Gregorius Romanæ Eccleſiæ &c.* deinde recitant ejus Pontificis decretalem Leandro epiſtolam. Iidem infra Apocalypſim Joannis aliquibus dubiam vindicant & Conciliorum, & S. Sedis decretis. *Apocalypſim librum multorum Conciliorum autoritas*, *& Synodica Sanctorum Præſulum Romanorum decreta Joannis Evangeliſtæ eſſe præſcribunt*. Liberalius etiam paulo poſt ſummæ Romani Pontificis autoritati teſtimonium ex Patribus iiſdem accedit, dum impedimenta omnia ordinationum enumerata per hæc confirmant: *Quicumque igitur deinceps in nullo horum deprehenſus fuerit*, *tunc ſecundum ſynodalia*, *vel decretalia conſtituta cum omni Clericorum vel civium voluntate conſecrabitur*. Quod ſicui lubeat uſurpare oculis Decretales iſtas Epiſtolas, quas brevitatis gratia Toletani Patres prætereunt, adeat Codicem Veterum Canonum certiſſimum diſciplinæ Hiſpanienſis indicium: Siricii, Innocentii, Cœleſtini, Leonis, Hilari Decreta, ſingillatim enumerata comperiet.

DISSERT. IV. CAP. III.

Ibid. cap. 13.

Conc. Tol. IV. cap. 6.

Ibid. cap. 17.

Ibid. cap. 19.

Cod. Vet. Can. l. 1. t. 34.

VI. Romani præſertim Pont. autoritatem ſupremam, pro fidei dogmate habẽt Hiſpanienſes Epiſcopi.

Spectatis jam ſententiis Præſulum Hiſpanienſium in duobus Conciliis Hiſpalenſi II. provinciali, & Toletano IV. Nationali, quorum utrique egregius Eccleſiæ Doctor Iſidorus præfuit, primo tamquam Metropolita, alteri, tamquam Metropolitarum ſenior; rationi conſentaneum eſt, ut eodem ex ſancto Doctore Catholicam de ſuprema Romani Pontificis poteſtate in univerſam Eccleſiam ſententiam depromam. Hinc ſiquidem erit evidens, quod Hiſpanienſes Conſultationes per ſeptimum ſeculum haud Romam miſſæ, ſupremæ illius poteſtatis ignorationem non inferunt, ſed Præſulum Hiſpanienſium diligentiſſimam cuſtodiam eorum, quæ antea definita fuerant; ita ut minime opus iiſdem fuerint nova decreta, quippe qui a veteribus ne minimum quidem declinabant. Supremis ſuæ vitæ annis S. Iſidorus ab Eugenio Toletano Præſule de nonnullis quæſtionibus interrogatus, breviter reponit, ſapienti viro ajens pauca reponenda eſſe: ad Romani autem Pontificis autoritatem quod attinet,

DISSERT. IV. CAP. III. hæc præ cæteris docet: *Qui igitur debitam ei non exhibet reverenter obedientiam, a Capite ſejunctus Acephalorum Schiſmati ſe reddit obnoxium*: quod ſicut illud S. *Athanaſii* (nondum

S. Iſid. ep. ad Eug. quæſtio erat de Autore Symboli Quiquumque) *de fide ſanctæ Trinitatis ſancta Eccleſia approbat, & cuſtodit, quaſi ſit fidei Catholicæ articulus. Quod niſi quis fideliter firmiterque crediderit, ſalvus eſſe non poterit*. Præclarius enimvero teſtimonium minime deſideratum iri confido. At doctrinæ praxim pergamus ex Conciliis petere. In Concilio Toletano VI. quod paulo poſt S. Iſidori mortem, ac proinde non multo poſt illam epiſtolam, celebrabatur ab omnibus Hiſpaniarum Epiſcopis, Eugenio eodem

Conc. Tolet. VI. cap. 8. Toletano præſente, valdequam ardua definita quæſtio eſt *de priſtinis conjugiis quorumdam pœnitentium*. Sedulo inſpectari oportet caput iſtud, quod & fecit Joannes Morinus cap. 24. libri 5. de pœnitentia. De re ſatis difficili ordiuntur Patres infallibili S. Sedis doctrina inhærentes: *Antiqui, & ſanctiſſimi eſt Patris ſententia Papæ Leonis, ut is qui &c.* Sententiam ipſam S. Pontificis ex Epiſtola ad Ruſticum Narbonenſem interpretan-

S. Leo ad Ruſt. cap. 13. tur. Quid vero? Legunt in Leonis Epiſtola: *In quo tamen non Regulam conſtituimus, ſed quid ſit tolerabilius, exiſtimamus*: atque ea propter tametſi ſententiam epiſtolæ ſibi videantur clarius explicaſſe; tamen continuo ſubdunt ipſius explicationis œconomiam: *Quod nos, ſicut de viris, ita & de fœminis æquo modo cenſemus, non quidem generaliter & legitime præceptum, ſed conſtat a nobis pro humana fragilitate indultum*. Qui ſane agendi modus in Concilio univerſali Epiſcoporum totius Regni, quos non fugiebat ſuarum Eccleſiarum neceſſitas (dum diligenter S. Sedis autoritatem expendunt, nilque niſi œconomiæ, moderationiſque plena declaratione conſtituunt) & ſuam eos ſubordinationem Eccleſiæ Capiti probe noſſe, & nihil de diſciplina, nedum definiri, uberius explicari poſſe abſque ſuprema Romani Pontificis autoritate intellexiſſe palam facit. Quam rem aliquanto penſius conſiderari oportet.

VII. *Doctrinam ejus tanquam infallibilem ab aliorum doctrina Patrum ſecernunt.*

Eſt profecto id notatu dignum, quod Hiſpaniarum iſti Præſules, optime, ut vidimus, inſtituti tum S. Scriptura, tum Sacris Canonibus, & Decretis Pontificum Romanorum, ubi ad Fidei, aut morum dogmata comprobanda, Patrum vetera teſtimonia adhibent, nomina eorum ſemper cum diſcrimine autoritatis proferunt, ſi eos inter Romanus aliquis Pontifex recenſetur. Ita in Concilio Hiſpalenſi II. eſſe factum nuper vidimus.

Ita

Ita & in Concilio Nationali actum comperimus, in quo Eccleſiæ Doctorum Ambroſii, Auguſtini, Iſidori illuſtria nomina, citra Epiſcopalis dignitatis mentionem afferuntur, de Romano autem Pontifice ſecus fit: *Beatus etiam Gregorius Papa & libris & meritis honorandus &c.* Nam momenti aliquid res iſta præſefert. Contendunt ſcilicet eruditi, ac præ aliis ſcriptor veteris & novæ diſciplinæ, præclara ea nomina Papæ, Apoſtoli, Præſulis Apoſtolici, & Apoſtolicæ Sedis Epiſcopi communia olim fuiſſe Epiſcoporum omnium, aliquo tamen ſervato diſcrimine honoris Romano Pontifici; a ſexto autem ſeculo cœpiſſe Papæ nomen privatum eſſe Romani ejuſdem Pontificis, quod Liberati autoritate comprobat; is enim ab Agapeti electione, ab anno nimirum 535. incipiens, nudo Papæ nomine deſignat Romanos Pontifices. Equidem adverſari iiſdem nolo; tametſi *Apoſtolica Sede digniſſimus*, *Apoſtolatus*, & id genus alia meris Epiſcopis tradita, nec mihi, neque ulli eruditorum eſſe idem poſſint aut debeant, atque *Apoſtolicæ Sedis Antiſtes*, uni Romano Pontifici tributum nomen. Quid enim vetat, quin genus illud honoris cæteris adſcriptum Epiſcopis interpretemur, tanta laude, tantiſque Antiſtitem meritis, ut Summi Pontificatus honorem aſſequi videatur dignus? Apoſtolatus vero gloriam quis zelo, non dicam Epiſcoporum, ſed Religioſi cujuſvis congruere noſtra etiam ætate non ſentiat? Apoſtolicæ autem Sedis, ſeu Principis Apoſtolorum Cathedræ Antiſtitem nullum omnino tota in antiquitate appellatum invenies, præter Romanum Pontificem. Cæterum quidquid ſit tum de iis, tum etiam de *Papæ* illo nomine, apud Orientales præcipue, omnium Epiſcoporum immo & Sacerdotum communi ante ſeculum ſextum, ſeptimumve; quod ipſis ab Hiſpanienſibus tributum videmus Syrgæ ignoto Antiſtiti; quum certo ſciamus, Romanum Pontificem eo deſignari per ſeculum ſeptimum tam in Oriente, quam in Occidente, nil novi nobis affert frequens apud Hiſpanos Papæ nomen, ubi Romani Pontificis mentio eſt; quemadmodum nihil novi afferunt ii Præſules; ubi præclaris Romanum Pontificem nominibus cæteris, ejuſdem propriis, frequenter appellant in ſuis Conciliis: quippe quorum obſequium ac ſubordinationem palam vidimus vel quum præcipuas Catholici Regni partes hæreſis Ariana peſſumdabat. Quod momenti alicujus haud dubie eſt, maximeque notari debet, aut de Fide, aut de moribus Hiſpanienſes diſputent, S.Scripturæ Sanctorumque Patrum autoritate ſuam inhærere doctrinam

DISSERT. IV. CAP. III.

Conc. Tol. VIII. cap. 2.

De Benef. P. 1. l. 1. c. 4.

C. Aguir. Concil. to. 2. pag. 273.

nam volunt. Ad Patres vero quod attinet, quacumque fulgeant Patriarchali, aut Epiſcopali dignitate, nudis eos afferunt nominibus, doctrina enim, non dignitate opus habent. Contra ubi Romani autoritas Pontificis affertur, laudatur doctrina Papæ, doctrina Sedis Apoſtolicæ Antiſtitis, autoritas Præſulis Romani. Num commentariis quiſpiam ſe indigere jactat? Adeat is quæ ſuperius de Patribus Synodi Bracarenſis dixi, ſerioque reputet quæ nuper de ſynodicis Romanorum Pontificum decretis ajebam: profecto intelliget Romani Pontificis haud teſtimonium in rebus quæri, ſed judicium; non ſuffragium, cæterorum inſtar Patrum, ſed autoritatem, ſed definitionem ſed infallibilem ſententiam. Idcirco aliorum Eccleſiæ Doctorum ſatis ſuperque eſſe putant proferre nomina; at Romanorum Præſulum aut dignitatem, aut ſedem pronunciant.

VIII. *Res graviſſimas definiunt ſola autoritate Pontificis qua in terris majorem non noverunt. Conc. Tol. XI. cap. 10. 12.*

Niſi tam multa de Eccleſia Hiſpana ſeculi hujus ſeptimi dicenda ſupereſſent, rem iſtam luce ipſa clariorem fieri documentis ſola ex Hiſpania petitis vellem. At ne uno inſiſtens argumento, cæteris deſim, duo tantummodo ex iis proferam, diligenter perveſtiganda relinquens plura ſtudioſo veritatis cuilibet. In Concilio Toletano XI. duæ res graviſſimæ ſunt definitæ: *de ſubordinatione Epiſcoporum*: & *de reconciliatione pœnitentium in periculo mortis*: Hierarchiam quod ſpectat, ſeu ſubordinationem minorum Epiſcoporum dignitate majoribus, ſic decernunt: *ut debitum per omnia honorem, atque obſequii reverentiam præminenti ſibi unuſquiſque dependat juxta illud beati Papæ Leonis edictum: Qui ſcit, ſe quibuſdam eſſe præpoſitum, non moleſte ferat, aliquem ſibi eſſe prælatum; ſed obedientiam, quam exigit, etiam ipſe dependat*. Decretalem hanc Leonis epiſtolam, cujus autoritate tantam rem ſtabiliunt, intellexeris ni fallor eſſe eam ipſam, quam Hierarchici ordinis adhibui olim teſtem; eamque ipſam, qua Theſſalonicenſem Anaſtaſium ſibi æquo plus arrogantem redarguit, ſe eum ajens vocaſſe *in partem ſollicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis*; eique diſertiſſime oſtendit, comparatione utens humani corporis, Epiſcoporum quidem diſtinctionem excogitatam in Eccleſia eſſe, ſed omnium Principem eſſe Romanum Pontificem: & ab omnibus Epiſcopis minorem, majoremque Eccleſiæ curam ſuſcipiendam; ita tamen, *ut ad unam Petri Sedem univerſalis Eccleſiæ cura conflueret, & nihil uſquam a ſuo capite diſſideret*. Quod vero ad reconciliationem attinet pœnitentium, quæ momenti etiam gravioris eſt, unius auto-

S. Leo ep. 84.

to-

toritate Pontificis decernunt: *Si mortis*, ajunt, *urget periculum, pœnitentia per manus impoſitionem accepta, ſtatim ei reconciliatio adhibenda eſt*. Deinde ipſis Leonis verbis utuntur: *His, qui in tempore neceſſitatis, & in periculi urgentis inſtantia, præſidium pœnitentiæ, & mox reconciliationis implorant, nec ſatisfactio interdicenda eſt, nec reconciliatio deneganda: quia miſericordiæ Dei nec menſuras poſſumus ponere, nec tempora definire.* Quid autem mirum, tanti per Præſules Hiſpanienſes fieri Decretales Romanorum Pontificum Epiſtolas, ſi præter S. Scripturæ Oracula, nullum majori autoritate ſcriptum in Eccleſia eſſe, quam Decretales eaſdem, proprio ore fatentur? Juliani ſcilicet Toletani Antiſtitis, ſive, ut verius dicam, Hiſpaniæ omnium Præſulum epiſtolam, qua confirmantur Decreta Concilii Generalis VI. ſanctorum Patrum tum Græcorum, tum Latinorum autoritatibus, cupiunt Patres Concilii Toletani XIV. ſummo in honore ac veneratione haberi. Tantam vero æſtimationem colligi eidem non poſſe fatentur, præterquam Decretalium illi honorem ac reverentiam epiſtolarum vindicando. *Illa igitur*, inquiunt, *apologetica defenſionis noſtræ reſponſa, quæ ob iſtorum confirmationem ſunt edita, pro multorum inſtructione, & utilitate Eccleſiaſticæ diſciplinæ, ſimili honoris, & reverentiæ vigore firmamus, atque ad vicem decretalium Epiſtolarum ea permanenda ſancimus.*

DISSERT. IV. CAP. III.

S. Leo ep. 91.

Conc. Tol. XIV. cap. 11.

IX. Ipſis tamen in rebus bene geſtis neceſſitate Pontificiæ vigilantiæ oſtendunt.

Quod ſane præclariſſimum obſequii argumentum in Decretales Epiſtolas rem Hiſpanienſis Eccleſiæ illuſtrationi valde utilem, ſimulque totius Catholici orbis neceſſariam Eccleſiis hic minime prætereundam eſſe nos admonet. Eccleſiæ ſiquidem cujuſvis regimini non eſſe ſatis quæ Concilia vetera, quæve antiqui Pontifices de fide & moribus decreverunt; ſed aſſiduam ſummi Rectoris, ſeu Pontificis vigilantiam eſſe neceſſariam palam fiet: concordia enim Sacerdotum unius Regni parum prodeſt, ſi quamquam nihil diffideant a Capite, hujus tamen aſſiduam non experiuntur ſollicitudinem. Præſules enimvero Hiſpanienſes, ac præ iis Toletanus, Rexque ipſe, ſingulis a Leone II. epiſtolis, moniti, Concilium Generale VI. (quod iiſdem nil de quinto ſcientibus eſt V.) tota ut Hiſpania vigeat, non ſolum ſynodaliter confirmari ſatagunt, ſed ſapientiæ plenam confirmationem, cui Apologetici nomen faciunt, ab Juliano Toletano Antiſtite confectam, probatamque ab aliis Præſulibus, Romam mittunt. Quid agendi ratione iſta ſanctius? quid confirmationis genere

iſto

Dissert.IV. Cap. III.

iſto illuſtrius? Ipſam hanc confirmationem, utpote quæ continebat doctrinam de duabus Chriſti voluntatibus uberiorem, ac luculentiorem, quo majori apud omnes veneratione, atque honore digna haberetur, unanimes pari autoritate muniunt, ac Romani Pontificis Decretalem Epiſtolam. Quodnam ſupremæ in univerſam Eccleſiam Pontificiæ poteſtatis præſentius monumentum? Tamen factum eſſe utrumque temere ipſi Eccleſiæ rerum rudes intelligunt. Concilium quippe generale, quod pro univerſæ Eccleſiæ concordia confirmandum acceperant a Romano Pontifice ex S. Sedis more, quum Nationes ſaltem per Legatos Œcumenicis Synodis non interfuerant, expendere, & cum præcedentibus Synodis conferre ſtudent, ſeque illud confirmare profitentur, non quia infallibilis doctrinæ plenum, & ab infallibili Eccleſiæ Capite probatum fuerat, ſed quia cum præcedentibus Conciliis concinebat: *Supradicti*, ajunt, *Acta Concilii in tantum a nobis veneranda ſunt, & recipienda conſtabunt, in quantum a præmiſſis Conciliis non diſcedunt; immo in quantum cum illis concordare videntur*. Quod accipiendi Concilia genus inſolens nuſquam tota in antiquitate comperies: immo improbatum ab Eccleſia eſſe noſces, dum neque iſtud, neque aliud ullum ex duodecim Concilii Toletani XIV. capitibus relatum in Corpus Canonici Juris, ſeu in Decretum videas, ut de aliorum Conciliorum aliis factum fuit. Confirmationem vero ipſam, ſeu Apologeticum ad tantum autoritatis audacter fuiſſe elatam vel ii contendent, qui autoritatem Concilii Generalis cum Pontificia conferunt; quippe quorum nemini in mentem venit Eccleſiarum unius gentis autoritatem cum Romani Pontificis poteſtate comparare. Quamobrem quidquid Hiſpani Præſules hac occaſione geſſerunt, laudabile admodum eſt, quatenus & Concilium generale VI. tota Hiſpania vigere fategerunt, & ſupremam Romani Pontificis poteſtatem præclara Decretalium Epiſtolarum commendatione teſtati ſunt. Quatenus vero novo generalis Concilii confirmandi genere uſi ſunt, ſuæque ipſorum deliberationi plus æquo tribuere non dubitarunt; deflendam Eccleſiarum conditionem proponunt, quæ ab Eccleſiæ Capite Chriſti Vicario, non dico diffident, ſed aſſidua ſollicitudine non gubernantur.

Conc. Tol. XIV. cap. 6.

X. Ne aut plus æquo ſibi uſurpent, aut do-

Quibus de rebus ut liqueat, expedire oportet breviter hanc hiſtoriæ partem. Antequam in Hiſpaniis celebraretur Toletanum id Concilium XIV. die nempe 20. Novembris an. 684. in quo

ctrinam adhibeat minus certam.

quo & diſcuſſio inſolens generalis Concilii, & nimius ille honor Apologetico tributus, emicant; Petrus Regionarius, qui Acta Concilii generalis, S. Leonis II. epiſtolas, & Benedicti II. adhuc electi literas, ſeu Inſtructionem in Hiſpanias afferens, eo pervenerat principio ejuſdem anni, aut ſuperiori exeunte, indidem cum Legatis Hiſpanienſibus profectus erat, fortaſſe etiam pervenerat Romam. Tam is, quam Legati, Pontificem admonent concordiæ Præſulum Hiſpanienſium, qui Toletani opera Generale Concilium in provinciis confirmaverant, quod in Nationali Synodo, ex ejus gentis inſtituto, præſtitiſſent; niſi aliter viſum eſſet Toletano Antiſtiti, ne domum nuper reverſi poſt Concilium Toletanum XIII. ſi evocarentur iterum urgente hieme, crebris itineribus, atque anni tempore conficerentur. Concordiæ ejuſdem teſtem Apologeticum Juliani exhibent, non ſecus ac ſynodica illa eſſet omnium Præſulum Hiſpanorum. Diligenter diſcutit Benedictus ſententiam ejus: deprehendit nonnihil aut correctione, aut perſpicuitate indigens; quare nni ex Hiſpanienſibus Legatis animadverſiones ſuas dictat Juliano quantocyus ſignificandas. In ea ſcilicet verba: *Voluntas genuit voluntatem; ſicut & ſapientia ſapientiam*, hæc animadvertit: *Naturali ordine cognoſcimus, quia verbum ex mente originem ducit; ſicut ratio, & voluntas; & converti non poſſunt, ut dicatur: quia ſicut verbum, & voluntas de mente procedit; ita & mens de verbo, aut voluntate: & ex iſta comparatione viſum eſt Romano Pontifici voluntatem ex voluntate non poſſe dici*. Deinde alia in tria capita ſuas dictavit animadverſiones, quorum primum erat, Hiſpanienſes *dixiſſe*; *tres ſubſtantias in Chriſto Dei Filio profiteri*: quod incaute dictum putavit Pontifex. De cæteris duobus non liquet; quum nulla ſuperſint documenta, præter Concilia hæc Toletana duo, unde omnia oportet erui: & ipſa autem tribus inhærere ſubſtantiis minime dubium eſt. Hiſce animadverſionibus in Hiſpaniam allatis, continuo Julianus repoſuit privatis ſuis literis quidquid ad priorem doctrinam ſeu illuſtrandam, ſeu corrigendam ſatis fuit: deinde annis quatuor elapſis in Concilio Toletano XV. Nationali Apologeticus alter, qui unus ſupereſt, conditus fuit, in quo aperte emendatur doctrina de tribus ſubſtantiis; tametſi æſtimationis gratia coram totius Hiſpaniæ Epiſcopis, qui priorem apologeticum Decretalium Epiſtolarum autoritate donatum norant, viribus omnibus ac nervis curatum ſit teſtimoniis Patrum oſtendere, quod ſæpe

Conc. Tol. xv. num. 9.

Ibid. num. 12.

voces abſtractæ pro concretis erant adhibitæ; ita enim & Romano Pontifici mos gerebatur, & Juliani apud Epiſcopos cæteros æſtimatio, utquumque, ſuſtinebatur. Verbis quidem Julianus quandoque utitur nimis liberis (licet ſubobſcure) adverſus Romam, eoquod ſua ipſius ſententia, quæ tam acuta interpretatione opus habuit, minus recta viſa fuerit: ſumma tamen eſt, quod priorem idem ſententiam juxta Romani Pontificis monitum aut mutavit, aut declaravit: ac proinde Apologeticus ille prior honorem, quem obtinuerat, prorſus amiſit, ut æquum erat.

XI. *In Eccleſia enim infallibilis ſola eſt S. Sedis doctrina, ſola ejuſdem ſuprema autoritas.*

Alterum hunc Apologeticum Romam eſſe miſſum per legatos, probatumque a Romano Pontifice Benedicto, qui juſta & pia eſſe omnia depromſerit, Rodericus Toletanus teſtatur *lib.2. cap.3.* ejuſque in verba omnes jurant. Abſit, ut, ne a communi eruditorum opinione diſcedam, fucum ego faciam veritati. Quum in Concilio Nationali Toletano XV. ad trutinam revocabatur Apologeticus prior, anno videlicet 688. quinto Idus Majas, in Apoſtolica Sede Univerſali Eccleſiæ præerat Sergius Benedicti ſucceſſor poſt Joannem V. & Cononem: quare niſi velimus cum Scriptore nupero, cætera eruditiſſimo, contra fidem Roderici Sergio adſcribere, quod Benedicto ille tribuit, de re omni, quæ utrumque Apologeticum ſpectat, ne verbum quidem ſuperius dictis addendum nobis erit. Quid enimvero ſibi volunt vindiciæ iſtæ Apologetici? num infallibilitas in ſede Epiſcopali aliqua, præter Romanam, ſeu Apoſtolicam, quæritur? Veſania eſt. Juliano Toletano & ſanctitate, & doctrina facile præferendus Cyprianus Carthaginienſis non modo dubiam, ſed omnino falſam, &, uno verbo, hæreticam tuebatur doctrinam, adverſus S. Sedis Romanæ Pontificem. Quid vero? Niſi Auguſtino teſte falſam hanc opinionem exuiſſet, de ſanctitate ejus & doctrina actum erat: hujuſmodi autem deteſtationem ſatis nobis eſt referre acceptam Auguſtino, cujus verba attulimus ſuo loco. Eaque propter ſatis ſuperque erit noſſe, quod Juliani Apologeticus primus dubia inſperſus doctrina, improbatus fuit a Benedicto, & juxta animadverſiones ejus in Hiſpaniis clarius explicatus; nec Pontificiam tueri approbationem eſt opus, Roderici tanto proximi intervallo hærentem fide; quum præſertim laborent ejus dicta inſigni anachroniſmo. Huc accedit, quod iſtam de tribus ſubſtantiis doctrinam, quam nullibi apud veteres obtinuiſſe comperies, utquumque ſubtili ea interpretatione vindicatam,

Cl. Sommier. Hiſt. dogm. l.8. cap. 17.

tam, prodire permiſit Deus ab Eccleſia illa, quæ per ſeculum ſeptimum ſanctitate & doctrina Præſulum, concordia Sacerdotii & Regni, veneratione & obſequio in Sacros Canones, & Decreta Romanorum Pontificum, Eccleſiis cæteris anteibat; ut ratum firmumque apud omnes ſit, infallibilem Apoſtolicæ Sedis doctrinam, ſupremamque ejus autoritatem a Chriſto inſtitutam ſapientiſſimo conſilio eſſe, ut inde tantum, veluti ex puriſſimo fonte certa Fidei, ac diſciplinæ dogmata peti poſſe omnes ſciant. At enim Hiſpanienſes Præſules haud confirmare contenti quæ in Generali Concilio fuerant definita, & a Romano Pontifice approbata, diſcutere eorum ſententiam, deque iis ferre judicium voluerant: judicium ipſum novo doctrinæ genere conſignatum literis, privata autoritate ad Decretalium Epiſtolarum honorem extollere auſi erant. Quid inde expectandum, ubi neque infallibilitatem, neque autoritatem ſupremam exiſtere certo ſcimus? Profecto nihil aliud, niſi aut error, aut anceps doctrina eorum, qui ab unitatis centro aut receſſerunt, aut digredi parumper auſi ſunt. Cæterum hunc Hiſpanienſis Eccleſiæ optime inſtitutæ nævum, perpetuum fore arbitror monimentum aliarum gentium Eccleſiis, ut unum judicium S. Sedis certum & infallibile in rebus fidei, ac morum, ſupremamque illius autoritatem vereantur. DISSERT. IV. CAP. III.

XII. Quod oſtenditur argumenta ipſa in contrarium allata examinando.

Sentio equidem, Concilium ipſum generale VI. Literaſque ipſas de eodem confirmando a S. Leone II. in Hiſpaniam miſſas, mihi objectum iri, adverſus hanc S. Sedis infallibilitatem, cujus novum eſſe argumentum contendo quidquid Hiſpanienſes Præſules ea occaſione geſſerunt. Etenim tam Concilium, quam literæ, nomen Honorii Romani Pontificis præſeferunt inter damnatos Monothelitas. Verum, quum nihil mea interſit argumenta omnia tum contra hæreticos, tum adverſus nonnullos Catholicos a doctiſſimis viris adhibita hîc congerere, interpolatas aliis demonſtrantibus binas eas Honorii literas ad Sergium, jure aliis contendentibus, quod prudentiſſimo conſilio nomina duarum, vel unius voluntatis antea inaudita prohibuit Pontifex, ut naſcentem, ſi fieri potuiſſet, hæreſim conficeret, quum cæteroqui ipſis in literis id conſilii ferentibus duas voluntates, totidemque operationes docuerit; quum nihil, inquam, id mea interſit; de Honorii nomine tam in Concilio, quam in Leonis II. Epiſtolis occurrente iſta loquar, ut eædem epiſtolæ commentariorum inſtar ſint damnationis in Concilio latæ. In eo ſcilicet Honorium

C. Bellarm. de Rom. Pont. l.4. cap.11.

DISSERT. IV. CAP. III. inter Monothelitas recenſeri non eſt dubium. Num vero damnetur tamquam Monothelita, quod audaciſſime autumant hæretici, & nonnulli Catholici, teſtabuntur duæ ex Leonis Epiſtolis in Hiſpaniam miſſis. In harum prima ad omnes Præſules: *Æterna condemnatione*, inquit, *multati ſunt: Theodorus Faranitanus, Cyrus Alexandrinus, Sergius, Pyrrhus, Paulus, Petrus Conſtantinopolitani, cum Honorio, qui flammam hæretici dogmatis, non ut debuit Apoſtolica autoritate incipientem extinxit, ſed negligendo confovit*. In altera autem ad Ervigium Regem: *Theodorus &c. Pyrrhus & Petrus, quondam Conſtantinopolitani Præſules; & una cum eis Honorius Romanus, qui immaculatam Apoſtolicæ traditionis Regulam, quam a præceſſoribus ſuis accepit, maculari conſenſit*. Refert Pontifex definitum in Concilio eſſe, præſide per ſuos Legatos Agathone Romano Pontifice, adverſus Monothelitas, enumeratque eos omnes, quorum ſcripta damnata erant, & nomina. Eos inter Honorium audis: at negligentia, non hæreſi laborantem intelligis. Scriptis nimirum Sergio Epiſtolis Catholica plenis doctrina, perfunctorie illud caput de una vel duabus voluntatibus pertractavit, quod poſtea erupit in hæreſim. Quod igitur naſcenti hæreſi non obſtiterit ſumma ſua in univerſam Eccleſiam autoritate, ſed quæſtionem grammaticis relinquendam putaverit, quæ univerſam deinde Eccleſiam conturbavit; propterea quum de radicitus evellenda nova hæreſi ageretur, Honorius etiam, tanquam ſua negligentia fautor, condemnatur. Et quidem jure; unus enim is poterat tantum ab Eccleſia malum avertere; unuſque is debuit dogmatizantem Patriarcham reprimere, quem ut Sophiſtam contemſit: prævidere ſiquidem poterat, quod a turbulentiſſima illa Sede nil, niſi periculi, & audaciæ plenum imminebat. Quod ſiquis verſutia hæreticorum Sergii literas ita conſarcinatas, ut ex Honorii reſponſo aliquid ſuſpicionis exprimeretur, tenere cupit, doctiſſimum is adeat Deſirantium, nuperrimumque alium Cl. V. non enim vacat his diutius immorari. Cæterum gratias bene multas objicientibus Leonis II. Epiſtolas; inde enim præclariſſima ſupremæ autoritatis, atque infallibilitatis Pontificiæ argumenta ſuppetunt.

Leo II. ep. 4.

Idem ep. 4.

Ill. Claud. Som. Hiſt. Dogm. l. 7. c. 15. & ſeqq.

XIII. Atque Eccleſiæ Hiſpanienſis præſtantiſſimo exemplo propoſito.

Profecto id quadriennii ſpatium, quo Romanos inter Pontifices, & Præſules Hiſpanienſes commercium fuit, literis ultro citroque miſſis, Concilii generalis VI. cauſa, præteriiſſem lubens, ne florentiſſimam Eccleſiam illam obſequii, ac reverentiæ imme-

immemorem in Apoſtolicam Sedem oſtenderem. Nil autem a ſcriptore integro magis abſonum, quam laudabilia omnia congerere; ac ſiqua reprehendenda ſunt, ſilere. Male feriatorum hominum proprium eſt ſcribendi genus iſtud, quo eviciſſe videantur aliquid adverſus S. Sedem. Quidquid enim vel abuſu, vel inſcitia, vel temeritate factum ab Epiſcopis Annalium monumenta teſtantur, id illi omne diligentiſſime colligunt, ſcriptiſque voluminibus ſiſtema rerum novum conficiunt, quod quæſtionibus Eccleſiam impleat, Sedis Apoſtolicæ autoritatem labefactet, ſcindatque unitatem Eccleſiæ. Hæc tamen præcipua gloria eſt Hiſpanienſis Eccleſiæ, quod, tametſi æquo majorem ſibi autoritatem arrogarit, palamque diſceſſerit ab obſequio in S. Sedem; tantam nihilominus ſubordinationem ſemel monita demonſtravit, ut cupidis novarum rerum novum nullum præbuerit argumentum: nam priorem illum Apologeticum, quem Pontificiæ æquaverat poteſtati, ſuſtulit; alterumque ad illius interpretationem exquiſitiſſimam confectum, & inter Eccleſiaſticæ diſciplinæ documenta vix recenſendum, ne ipſa quidem adhibuit unquam, ne ſuæ, ut opinor, inobſervantiæ, doctrinæque ancipitis teſtis eſſet. Hæc autem brevis Eccleſiæ Hiſpanienſis ab officio diſceſſio, valdequam utilis Eccleſiaſticæ Monarchiæ putanda eſt. Si enim tot ſpatio annorum ſupremo haud Rectore indigens perſeveraſſet; nec ſuam in ſeptimi ſeculi Pontifices venerationem tranquillitatis tempore teſtata eſſet; neque, unitatis ſervandæ gratia, ſupremi Capitis, doctrinæque infallibilis fontem Romanam Sedem conſulendam eſſe ab Eccleſiis omnibus demonſtraſſet. Itaque Hiſpani Præſules, qui ſuperioribus ſeculis præclara adeo teſtimonia prærogativæ multiplicis Chriſti Vicariorum dederant, ſeptimoque hoc ſeculo Decretalibus eorumdem Epiſtolis adhærendo graviſſimas Fidei, morumque controverſias explicaverant, ubi ſemel auſi ſunt ſuis deliberationibus utquumque Catholicis, S. Sedis autoritatem tribuere, proprio didicerunt periculo, quod ſoli ſucceſſores D. Petri infallibilitatem doctrinæ in centro Religionis divino jure poſſident; magnoque ſubordinationis Epiſcoporum omnium exemplo, ex autoritate illa, quam ſibi arrogaverant, maluerunt excidere, juxta Pontificis Romani mentem retractantes quæ ſcripſerant; quam pro ſua ipſorum opinione pugnantes, infallibilitatem Romani ejuſdem Pontificis in dubium vertere. Inde autem factum eſt, quod Eccleſia illa ejuſmodi defectionis tenebras vix ullas paſſa, ut antea felix, flo-

DISSERT. IV. CAP. III. XIV.

Eccleſia Hiſpana nullum Vicarium Apoſtol. habuit ſeculo ſeptimo.

florentiſſimaque uſque ad Mauricam invaſionem perſeveravit.

Præcipuam hucuſque cauſam vidimus felicitatis Hiſpanæ Diœceſis, ſeu mavis Gothicæ Monarchiæ, ſubordinationem Præſulum doctrinæ & ſanctitatis laude conſpicuorum S. Sedi. Ubi enim nihil a ſuo Capite diſſidet, ut phraſi utar S. Leonis Magni, ibi Sacerdotum concordia eſt, qua parvæ etiam res creſcunt, ſecus vel maximis dilabentibus, ut innumera tam vetera, quam recentia exempla fidem faciunt. Eamdem vero concordiam penitius ſpectare oportet non modo intra Univerſam Eccleſiam, quæ unum conſtituit maximum Corpus; ſed etiam intra Diœceſim, ſive, ut pro noſtra ætate loquar, intra unum Regnum; totidem quippe minora corpora Eccleſiam univerſam conficiunt, quot Regna Catholicum Orbem componunt, juxta Apoſtolicam inſtitutionem, quam D. Petri ſucceſſores adimpleverunt, & uſque ad hunc diem conſtantiſſime conſervarunt. Quæ quidem res evidentior eſſe cœpit, poſtquam ſciſſo Imperio cœperunt Regna floreſcere; nam neminem latet, quod ubi Eccleſiam nominamus Hiſpanienſem, Gallicanam, Germanicam &c. ſingula minora corpora intelligimus, quæ in Fidei unitate cum Eccleſiarum omnium Capite conjunctæ, Catholicæ Eccleſiæ maximum Corpus efficiunt. Unum igitur ex minoribus his corporibus Hiſpaniarum Eccleſiam, quæ noſtri inſtituti eſt, quamque florentiſſimam, beatiſſimamque vidimus, quia nunquam ab univerſæ Eccleſiæ capite diſcrepavit, juvat nunc inſpicere, ſeorſim a magno corpore, ſex in provincias diviſam, quarum unaquæque ſuum caput, ſeu Metropolitam, multis præfectum Præſulibus, ut aliæ omnes provinciæ, habuit. Compertum exploratumque eſt ex ſuperius dictis, nullum in Regnis Occidentis Primatem extitiſſe præter Africanum, ſed Vicarios Apoſtolicos a Romanis Pontificibus conſtitutos fuiſſe, quibus Metropolitæ alicujus ditionis obtemperarent. Vicariorum vero hujuſmodi cum Primatibus diſcrimine hîc minime attento (ſumma enim utriuſque dignitatis eſt Metropolitis præeſſe) minora iſta corpora peculiare ſuum Caput quandoque habuiſſe vidimus, ubi Vicarios ab Apoſtolica Sede acceperunt: idque ſemel, iterum, & tertio eveniſſe in Hiſpaniis ante ſeculum ſeptimum liquet. Quæ ſcilicet capita, utquumque Metropoliticam juriſdictionem non turbarent; *Si enim*, ait Morinus, *Primas in provincia Metropolitæ ſibi ſubditi proprio officio fungeretur, quid opus eſſet Metropolita? Similiter, ſi Metropolita in Paræcia Epiſcopi ſui Epiſcopali officio fungeretur, quid*

Lib. 1. exerc. 23

Digitized by Google

quid opus eſſet Epiſcopo? tamen potiſſima erant cauſa concordiæ Sacerdotum cujuſvis Regni, perque eos fiebat compos Romanus Pontifex rerum Eccleſiæ totius, ut *nihil unquam a ſuo Capite diſſideret*. At in iiſdem Hiſpaniis nullum omnino Vicarium inſtitutum eſſe toto hoc ſeculo ſeptimo (quod certo certius eſt) ac proinde nullius Metropolitæ prærogativam fuiſſe aliis cauſam, ut eximiam illam concordiam conſtantiſſime tuerentur, res dictu incredibilis, credituque difficilis videretur; niſi vetera omnia documenta, factaque ipſa minime dubia ſecus docerent. DISSERT. IV. CAP. III.

XV. *Toletanus ipſe Archiep. nullũ ab Apoſtolica Sede privilegium habuit.*

Regiæ Urbis Antiſtitem, ſeu Metropolitam Toletanum ſeculo eodem declinante, unanimi aliorum omnium conſenſu ordinare cœpiſſe Epiſcopos tota Hiſpania, præſtantioremque aliis eſſe habitum, itaut ex cæteris ſedibus Metropoliticis ad Toletanam evehi, celſiorem veluti in ſedem,glorioſum fuerit, valdeque optandum Præſulibus, teſtes exceptione omni majores ſunt Synodi Nationales Toletanæ. Id vero falſum omnino eſt, quod Vicariatus (abuſive Primatum paſſim appellari vidimus) ex una in aliam ſedem migrans, Hiſpaniarum Eccleſiam cum ſuo peculiari capite præſetulerit. Equidem de Regiæ urbis Primatu nonnihil dicam, quum omnia explevero, quæ ſpectant Eccleſiam illam in genere. Interim ſtatui hoc velim pro certo, quod nullum ab Apoſtolica Sede privilegium aut Toletani, aut cæteri Metropolitæ per ſeculum iſtud ſeptimum obtinuerunt. Quod ſicui lubeat mihi objicere Rodericum tertiidecimi ſeculi Scriptorem, qui de Rege Chindaſvintho: *Hic*, inquit, *a Romano Pontifice obtinuit privilegium, ut ſecundum beneplacitum Pontificum Hiſpanorum, Primatiæ dignitas eſſet Toleti, ſicut fuerat ab antiquo*: diſciplinæ veteris prorſus inſcium libere hunc appello; quandoquidem vices ſuas Pontificem demandare conſueviſſe alicui Epiſcopo ad cæterorum arbitrium, nuſquam legi. Præterquamquod ad rem tanti momenti aſſerendam, ſeu potius obtrudendam, non eſt ſatis Romani meminiſſe Pontificis: privilegium ipſum proferri oportuit; aut ſaltem Pontificis nomen fuit enunciandum. Quis autem non ſentiat, vetuſtatis tenebras eſſe adhibitas data opera? Quaſi vero unico id argumento Conciliorum Regiæ Urbis VII. & VIII. non corruat. Anno ſcilicet 646. qui erat Chindaſvinthi Regis quintus a die 28. Maji celebrabatur Toleti die 18. Octobris Concilium VII. ab Epiſcopis 38. iiſque præerat Orontius Metropolita Emeritenſis, tanquam aliis ſenior; hunc ſequebatur Hiſpalenſis Antonius, & tertio loco Eugenius

De Reb. Hiſp. lib. 2. cap. 21.

genius Toletanus. Regnat Chindaſvintus ſolus annos 6. m. 8. d. 11. anno autem Regni ſeptimo ſocium ſibi adſciſcit filium Receſvinthum anno videlicet 649. qui eſt Martini Pontificis primus, deinde, ut Vulſa teſtatur, Rex ipſe ſupereſt annos tres menſes octo, dies undecim, uſque ad annum nimirum 652. exeuntem, ut numerator ſim liberaliſſimus. Anno autem ſequenti ſeu 653. fere exacto, die 16. Decembris celebratur Concilium Toletanum VIII. ab Epiſcopis 52, Præſide item Orontio Emeritenſi, eumque conſequentibus eodem ordine Antonio Hiſpalenſi, & Eugenio Toletano, prout ætatis ratio exigit. Satin liquet, gratis id privilegium obtrudi? Theodori Pontificatum, primoſque Martini annos, quos calamitates ejus exceperunt, perluſtrare ocioſus quiſque poterit; mihi enim ſedulitate abuti non arridet, ut certis rebus fidem addam: quum præſertim conſtet ex ſupradictis, quod poſt Magni Gregorii ævum, nullum fuit commercium literarum inter Romanos Pontifices, & Hiſpaniarum Præſules uſque ad S. Leonem II. ſeculo nimirum ſeptimo in finem vergente.

XVI. Nullius Metropolitæ autoritas aliorum autoritati præſtabat.

At fuerit id commercium, atque injuria temporum, tum Regia, tum Pontificia omnia Diplomata, & quævis monumenta vetera hanc rem docentia exciderint; certe hujus privilegii veſtigia ſaltem levia ex iis quæ ſuperſunt documentis ſuppeterent. Quid, ſi contrarium eadem monſtrent? Tunc vero ut falſi arguatur affirmatio iſta, nil deſiderari amplius poterit. Perluſtrentur igitur Concilia Hiſpanica poſt Toletanum VIII. ne forte hauddum emerſiſſe autoritatem Metropolitica majorem ex privilegio S. Sedis quis autumet. Poſt biennium Toleti congregantur iterum Præſules Hiſpanienſes, tametſi minores numero, ac non ex omnibus provinciis; qui de judiciis Epiſcoporum ita decernunt: *Si talia Epiſcopus agere tentet, Metropolitano ejus hæc inſinuare procurent. Si autem Metropolitanus talia gerat, Regis hæc auditibus intimare non differant.* Rem videamus oppido luculentiorem in Concilio omnium Hiſpanienſium Epiſcoporum poſt annos duodetriginta: *Quicumque*, ajunt Patres, *ex Clericis, vel Monachis cauſam contra proprium Epiſcopum habens, ad Metropolitanum ſuum cauſaturus acceſſerit, non ante debet a proprio Epiſcopo excommunicationis ſententia prædamnari, quam per judicium Metropolitani ſui, utrum dignus excommunicatione habeatur, poſſit agnoſci .... Quod etiam & inter Metropolitanos convenit obſervari; ſi prægravatus quis a Metropolitano pro-*

Conc. Tol. IX. cap. 1.

Conc. Tol. XIII. cap. 12.

proprio, ad alterius provinciæ Metropolitanum moleſtiam præſſuræ ſuæ agnoſcendam detulerit; aut ſi inauditus a duobus Metropolitanis, ad Regios auditus negotia ſua perlaturus acceſſerit &c. Hæc quidem ad judicia pertinent; interea tamen ad rem ſpectat animadvertere, quod ubi aliquis expertus eſſet jus ſuum adverſus proprium Epiſcopum apud Metropolitam, intra corpus Eccleſiæ Hiſpanicæ ſuperius Tribunal non habebat; quare unicum ei præſidium aderat alterius provinciæ Metropolita. Quæ res eo comprobat evidenter parem Metropolitarum omnium autoritatem, quo Regium patrocinium poſtremo implorandum decernitur. Patrocinium, inquam; neminem enim latet, quod ſiqui pii Principes Eccleſiæ rebus ſe immiſcent, de poteſtate cum Epiſcopis non contendunt, ſed ſuum pro religione ſtudium demonſtrant. Idque de Gothorum præcipue Regibus non obſcure vidimus ſupra, & valdequam apertius futurum eſt ſequenti capite, quum de eorum convocatione, & confirmatione, quam Concilia præſeferunt, ſermo erit. Et ſiquando ab ipſis Epiſcopis eorum poteſtas imploratur in rebus momenti pro Eccleſiæ bono, illa etiam libere utuntur: *Principes ſeculi nonnunquam intra Eccleſiam poteſtatis adeptæ culmina tenent; ut per eamdem poteſtatem diſciplinam Eccleſiaſticam muniant. Cæterum intra Eccleſiam poteſtates neceſſariæ non eſſent; niſi ut, quod non prævalet Sacerdos efficere per doctrinæ ſermonem, Poteſtas hoc impleat per diſciplinæ terrorem.* Quod in Hiſpaniis faciendum Concilia centies decreverunt (ita enim ſumma Sacerdotii & Regni concordia perſuadebat) juxta allatam Eccleſiæ Doctoris ſententiam. *C. Principes 23 q. 5. ex S. Iſid. Sentent. lib. 3. cap. 53.*

XVII. Quod demonſtratur exemplo Gallicanæ ſimilis diſciplinæ ſec. 8.

Abs re non erit, majorem noſtris fidem adjungere ex Gallicana Diſciplina per octavum ſeculum, quum inter omnes convenit, nullum inibi Metropolitam autoritate cæteris præſtitiſſe. Namque Apoſtolicæ Sedi cum Galliis tanta id temporis concordia erat, ut quæ indidem teſtimonia Diſciplinæ veteris repetuntur, plurimi ſint facienda, quia Romanis invitis Pontificibus minime facta ſunt. Anno poſtquam Rex Pipinus Aiſtulphi audaciam in Italia fregerat, Romanumque Pontificem imminenti periculo liberaverat, Concilium in Palatio Vernis celebrari voluit, in quo Patres, perinde ac nuper vidimus de Hiſpanienſibus, hæc decernunt: *Si quis omnia iſta contemſerit, & Epiſcopus emendare minime potuerit, Regis judicio exilio condemnetur.* Quin etiam præclarius multo argumentum ſuppetit ex *Conc. Vern. c. 10.*

DISSERT. IV. CAP. III.

Concilio Francofordienſi, Adriani Pontificis autoritate congregato, ac Præſide Paulino Aquilejenſi, anno 794. antequam Carolus Rex Romanus Imperator coronaretur. In eo ſiquidem præ ceteris ſtatuitur: *Si aliquid eſt, quod Epiſcopus Metropolitanus non poſſit corrigere, vel pacificare, tunc tandem veniant accuſatores cum accuſato, cum literis Metropolitani, ut ſciamus veritatem rei*. Hoc enimvero ex argumento liquet, tum Metropolitica majorem autoritatem non agnoſci apud Gallos; tum Regem Carolum nil ſibi autoritatis intra Eccleſiam arrogare, ſed judicii a Metropolitano lati defenſionem, quod eſt executorem Eccleſiaſtici judicii gerere, maximo cum Diſciplinæ emolumento. Aliud non eſſe tributum Catholicis Regibus per Præſules Hiſpanos tam certum eſt, quam quod maxime. Non enim ad Regem deferri jubentur negotia, ut ab eodem definiantur, ſed ut Metropoliticum judicium, quo in Hiſpaniis non habebatur majus illo ævo, patrocinio Regiæ autoritatis inhærens formidabilius contumacibus fieret. Hinc vero tam evidenter colligitur, gratis obtrudi privilegium illud ab Apoſtolica Sede conceſſum Toletanis Epiſcopis, ut libere dicam mentiri eos omnes, qui eo nitentes, Vicariatum Apoſtolicum ex una in aliam ſedem tranſmovent. Longe alia origo eſt, longeque alia conditio Toletanæ illius præſtantiæ, quæ uſque ad hanc diem viros etiam eruditiſſimos torſit; ſed quia fuſiori eam ſermone perſequi oportet, ne ab univerſæ Eccleſiæ Hiſpanienſis agnitione lectorem avertam, de eadem ſeorſim diſſerere deliberavi, quod utique præſtabo, ut ſum pollicitus. Interim ſtatuere hoc certo poſſumus de eadem Eccleſia, quod præter Vicariatum Apoſtolicum ſexto ſeculo demandatum uni, aut alteri Metropolitæ Hiſpalenſi, atque Joanni Illicitanæ Sedis Epiſcopo, neceſſitate tunc rerum cogente, nullus omnino alius aut Metropolita, aut Epiſcopus talem ab Apoſtolica Sede honorem eſt aſſequutus: quare ab ſeculo iſto ſeptimo laudatum ejuſdem S. Sedis privilegium amoveri prorſus debet.

Conc. Francof. cap. 6.

XVIII.

Non neceſſe habuerunt Hiſpani Vicariatu Apoſtolico, per ſecul. VII.

Quod ſiqui fortaſse me interrogent, cur florentis adeo Eccleſiæ nullum Præſulem Apoſtolica Sedes dignitate illa Vicariatus ornarit, ii profecto mihi videntur nondum opinionem illam falſam depoſuiſſe, qua in Regnis ſingulis, ſeu mavis Diœceſibus, unus Primas, quem Metropolitæ tanquam Caput Eccleſiæ ſuæ gentis agnoſcerent, conſtituitur. Neque ego a meta, ut dicitur, redire ad carceres ſum paratus, ut illam prorſus eliminem. Satis

tis

tis mihi eſt, declaraſſe diſcrimen, quod Vicariatui cum Primatu intercedit; effeciſſe ut ipſis manibus teneretur, quod calamitates Eccleſiæ Hiſpanienſis, Canonum conculcatio, ignorantia Præſulum, ſtudiumque ardens alicujus ex illis, ſemel, iterum, & tertio, eam in Hiſpanias dignitatem aliqua cum temporis intercapedine invexerunt; demonſtraſſe, quod eadem dignitas primum cum Zenone Hiſpalenſi Metropolita defecit, deinde iterum cum Hiſpalenſi Salluſtio, & Joanne Illicitano ex æquo eadem fruentibus, unoquoque in provinciis ſibi decretis, deſiit, neque inſtauratam illam uſquam vidit Hiſpania; ac demum exemplo Gallicanæ Eccleſiæ nuperrime allato comprobaſſe, quod præter Metropoliticam autoritatem, unicum Epiſcopis confugium erat ad Regem, cujus præſidio, & patrocinio Eccleſiæ negotia non habuerant opus, ſi Apoſtolicæ Sedis Vicarius, cui Metropolitæ parerent, in eo Regno erat. Verum enimvero quæ erat Vicariatus neceſſitas in Hiſpaniis ſeculo ſeptimo? Tota hæc autoritas Vicariorum S.Sedis, ut recte Thomaſſinus obſervat, inſtituta erat, ut ſalvis Metropolitanorum privilegiis, ad accuratiſſimam Canonum ſanctimoniam tuendam, Decretaliumque Romanorum Pontificum Epiſtolarum autoritatem vindicandam conſpiraret, ſive infligendo tranſgreſſoribus pœnam, ſive admonendo Romanum ipſum Pontificem, tamquam Eccleſiæ omnium legum Cuſtodem, & vindicem: quod ſexto ſeculo in Hiſpaniis eſſe factum deprehendimus. Seculo autem ſeptimo Metropolitis, ac Regibus & Sacrorum Canonum, & Eccleſiæ legum omnium certatim ſatagentibus in Conciliis tum provincialibus, tum Nationalibus, ocioſa omnino erat ea dignitas; Romanique Pontifices, niſi veteris diſciplinæ retinentiſſimos Metropolitas eoſdem, rei novitate turbatum iri præſenſerant; non de inutili tunc temporis Vicariatu inſtaurando cogitaſſent, ſed de diſciplina nuper a S.Gregorio inſtituta, confirmandi nimirum Metropolitas omnes per Sacrum Pallium, egiſſent. Qua ſane diſciplina quid accomodatius ad Eccleſiæ unitatem conſervandam? Teſtes appello provincias illas longe diſſitas, quæ aut ingruentibus in Italia bellis, aut inteſtinis diſſenſionibus impeditæ, raro ad fontem diſciplinæ omnis, rectæque omnis doctrinæ apicem acceſſerunt. Nonne parum abfuit, quin Hiſpania noſtra ſuis illis diſputationibus de tribus ſubſtantiis errorem ſequeretur? De Africa nihil dico; ſatis enim de ea ſuperius ſum locutus. Et Gallicana, nonne prorſus intercidit? Contra vero, quos non fecit progreſſus Anglicana, licet recens in-

DISSERT. IV. CAP. III.

De benef. P. 1. l. 1. c. 30. n. 2.

inſtituta? Eademque Gallicana nonne in felicitatem priſtinam hujus diſciplinæ gratia eſt reverſa? Providum ſane, atque æterna dignum laude conſilium fuit Romani Pontificis capita ſingula provinciarum, ſeu Metropolitas, ſacri traditione Pallii confirmare: promiſſio enim, & profeſſio, quæ ipſum Pallium præeunt, nihil unquam a capite diſſenſurum in provincia pollicentur. At de his ſuo loco.

XIX. At vinculo arctiori cum Sancta Sede conjungi debuerūt, ſervandæ unitatis gratia.

Nequicquam autem mihi ominor quæ haudquaquam evenerunt. Hiſpaniarum itaque Eccleſia poſtquam ab Arianis diutiſſime lacerata, maximo Dei optimi beneficio, convaluit, ſimulque cum hæreſi, Sacrorum Canonum, ac Decretalium Epiſtolarum inſcitiam depoſuit, nulla fere ope Apoſtolicæ Sedis per totum ſeculum ſeptimum, florentiſſima, ſanctiſſimaque perſeveravit. Rarum profecto exemplum, cujus ſimile tota in Eccleſiaſtica hiſtoria nullum reperitur. Qua quidem in re ſanctimoniam potius eorum Præſulum; ſummamque Catholicorum Regum religionem cum maxima inter utroſque concordia admireris, quam alio in Regno imitationem quæras. Non enim ævi omnis eſt, quæ ſacris Canonibus definita ſunt de Fide & diſciplina, conſtanter adeo ſequi, ut ne generalis quidem Concilii decreta confirmentur alia de cauſa, quam quia cum prioribus Conciliorum decretis concinunt, quod vidimus præſtitiſſe Hiſpanienſes, qua cæteroqui in re, niſi quem ſibi propoſuerant finem attendas, magis eos reprehendas, quam commendes. Quamvis enim una ſit Fides, nullique mutationi ſit obnoxia; mens tamen hominum feraciſſima errorum, Fidei adverſantia multa ſemper produxit, quæ, niſi detecta damnataque eſſent ab integerrimæ Fidei cuſtode Romano Pontifice, in ſchiſmata & hæreſes coaluiſſent. Præterea ſi ſerio animadvertamus, quam multa deerant Eccleſiæ Hiſpanienſi, ut quemadmodum fide, ſanctiſque moribus Apoſtolicæ Sedi adhærebat; ita & deteſtatione omnium hæreſum, & agnitione decretorum omnium, quæ ab eadem S. Sede emanaverant, arctiſſimo cum ipſa vinculo jungeretur; vel maxima in illius felicitate inſpiciemus, quantum accipiunt detrimentum Eccleſiæ, quas ſummi Paſtoris aſſidua ſollicitudo non gubernat. Multum enimvero Eccleſiæ Hiſpaniarum profuit perinde Sacros Canones, ac Decretales Romanorum Pontificum epiſtolas ſanctiſſime cuſtodire, quod facere juſſa erat Decretis Cæleſtini, Siricii, Leonis, & Gelaſii; at Concilii generalis V. adverſus Origeniſtas celebrati, ejuſque tot controverſiarum ne verbum quidem audierant

Cæleſtin. ep. 5. n. 1. Siric. ep. ad Him. n. 20. Leo ep. 4. n. 7. Gelaſ. Decret. n. 6.

rant

rant ii Præſules. Quare illud omnino prætereunt, continuo poſt Chalcedonenſe collocantes Cp. tertium, ſeu generale VI. *Poſt Chalcedonenſe igitur Concilium, hæc debito honore, loco, & ordine collocanda ſunt, ut cujus glorioſo themate fulgent, ei & loci & ordinis coaptentur honore*. Attamen Gregorius *Quintum*, ait, *Concilium pariter veneror, in quo epiſtola, quæ Ibæ dicitur, erroris plena, reprobatur, & Theodorus perſonam Mediatoris Dei & hominum in duabus ſubſtantiis ſeparans ad impietatis perfidiam cecidiſſe convincitur &c*. Nihil dico de tot Romanorum Pontificum decretis contra Monotheliſmum antequam Generale Concilium haberetur, quæ omnia Hiſpanienſes latuerunt. Unum id affirmo, quod ſervandæ unitatis gratia Romano Pontifici Univerſalis Eccleſiæ Monarchæ ita adhærere neceſſe eſt, velut generali armorum Præfecto Duces omnes adhærent; ut naſcentes ſubinde errores noſcantur; aliique atque alii diſciplinæ gradus, quos Chriſti Vicarius pro conditione locorum & temporum conſtituit, non ignorentur. Venio ad Concilia.

DISSERT. IV. CAP. III.

Conc. Tol. XIV. cap. 7.

S. Greg. lib. 1. ep. 24.

CAPUT IV.

De Conciliis tum Nationalibus, tum Provincialibus Hiſpaniarum per Seculum VII.

SACROSANCTA Hiſpaniarum Concilia aliquanto uberiori perſequi diſputatione, quam ea, de quibus hactenus fermonem habui, me oportet. Quum enim firmum ea ſint fundamentum, quo inhærent non modo Eccleſiæ res, verum etiam Regni moderatio omnis, ac præcipue inſignis ea Regni & Sacerdotii concordia, quæ Diœceſim Hiſpaniarum, ſeu Catholicorum Regum Gothorum Monarchiam multo aliis omnibus tum Occidentis, tum Orientis ditionibus feliciorem, præſtantioremque per ſeculum ſeptimum fecit: idcirco de illorum genere, & autoritate agendum mihi erit adverſus eos, qui utramque rem aut minime aſſequuti ſunt, aut ſtudio ſtimulante depravarunt. Duo Conciliorum genera in Hiſpaniis celebrata eſſe conſtat *Univerſalia* (quæ nobis audiunt Nationalia, diſcriminis gratia cum Œcumenicis, ſeu generalibus, quibus frequenter univerſalis nomen adſcribitur) & *Provincialia*. Horum celebrationem decretam primum in Concilio generali Nicœno I. deinde ubique in provincialibus Synodis confirmatam, & exequutioni mandatam,

I. Concilia Hiſp. duplicis generis univerſalia, & provincialia.

tam,

DISSERT. IV. CAP. IV. tam, quum in Hiſpaniis Arianorum tempore peſſum iviſſet, ſtatimatque Arianiſmum deteſtati ſunt ii Præſules, inſtaurarunt: Conc. Tol. III. cap. 18. *Præcipit hæc ſancta & univerſalis Synodus, ut ſtante priorum autoritate Canonum, quæ bis in anno præcipit congregari Concilia, conſiderata itineris longitudine, & paupertate Eccleſiarum Hiſpaniæ, ſemel in anno in locum, quem Metropolitanus elegerit Epiſcopi congregentur*. Univerſalia vero Concilia, ſeu mavis Nationalia, quæ in Urbe Regia ſunt habita, utquumque eorum celebratio ab Œcumenicis Synodis non præcipiatur, nec minus frequenter coacta eſſe, nec minus perſpicue diverſa a Provincialibus fuiſſe, compertum, exploratumque habemus; nam ad eorum numerum quod attinet, inter 27. omnino Concilia, quæ extant ævi Gothorum Catholicorum, tredecim univerſalia, Provincialia quatuordecim numerantur. Diverſitatem tum ipſa per ſe oſtendunt Metropolitarum, provinciæque cujuſvis Epiſcoporum conventu; tum congregati Epiſcopi conceptis declarant verbis, ut E. G. Patres Concilii provincialis Toletani V. Conc. Tolet. V. cap. 2. 7. agentes de decretis Nationalis Concilii Toletani IV. *Quæcumque*, ajunt, *in univerſali & magna Synodo proviſa &c.* Pariterque Concilii Nationalis Toletani VI. tam de eodem loquentes: Conc. Tolet. VI. capp. 2. 3. 6. 9. 18. *Univerſalis*, inquiunt, *autoritate cenſemus Concilii*; quam ſæpe laudantes ſtatuta quarti prædicti, *Univerſalem* ſemper appellant Synodum; tum denique decretum pro utriuſque generis Conciliorum celebratione: Conc. Tolet. IV. cap. 3. *Si cauſa Fidei eſt, aut qualibet alia Eccleſiæ communis, generalis totius Hiſpaniæ & Galliæ Synodus convocetur: ſi vero nec de fide, nec de communi Eccleſiæ utilitate tractabitur, ſpeciale erit Concilium uniuſcujuſque provinciæ, ubi Metropolitanus elegerit peragendum*.

II. Provincialium certa, ſed varia erant tempora. Univerſalium incerta.

Quo ex decreto non ſolum duplex Hiſpaniæ Conciliorum genus agnoſcitur, verum etiam occaſio, ſeu tempus, quum celebranda eadem erant. Atque univerſalia quidem, cauſas potius, quam præfinitum tempus attendere oportebat; eaque propter alia temporibus aliis celebrata videre eſt. Concilia autem provincialia, tametſi arbitratu Metropolitarum hac, vel illa in civitate cogi poterant, certis tamen temporibus, licet ſubinde Conc. Tol. III. cap. 18. mutatis, habebantur. Et ſane poſt decretum Concilii Toletati III. ut provinciales Synodi celebrarentur quotannis Calendis Novembris, uſque ad Concilium Toletanum IV. præſcripto tempore celebrata eſſe conſtat Concilia Narbonenſe an. 589. Hiſpalenſe I. au. 590. Cæſarauguſtanum 592. Barcinonenſe 599. Toletanum

num 610. parvo novem dierum diſcrimine; & Hiſpalenſe II. 619. modica item dierum dilatione; unica Egarenſis Synodus an. 614. erat celebrata Idibus Januariis, incerta bimeſtris dilationis cauſa. Concilium autem Toletanum IV. ita decrevit: *Quintodecimo Calendarum Juniarum congreganda eſt in unaquaque provincia Synodus propter vernale tempus, quando herbis terra veſtitur, & pabula germinum inveniuntur*. Nihilominus Concilium Toletanum IX. provinciale juxta decretum priſtinum Calendis Novembris celebratum fuit. Quare opportunitatis licet, commoditatiſque Epiſcoporum gratia ad hunc vel illum menſem coarctata non fuiſſe Concilii provincialis celebratio videatur, dummodo unoquoque anno fieret; tamen Concilium Toletanum XII. ita decrevit can. 12. *Placuit hoc venerando Concilio, ut juxta priorum Canonum inſtituta Epiſcopi ſingularum provinciarum annis ſingulis in unaquaque provincia Cal. Nov. Concilium celebraturi conveniant. Quiſquis autem in prædictis Cal. Nov. pro celebratione Synodi venire diſtulerit excommunicationi debitæ ſubjacebit*. Cur decreta hujuſmodi ſervata non fuerint, ut liquet parvo admodum ex numero Conciliorum quæ extant, ex tanta antiquitate cauſas repetere nihil attinet: nam Concilium quoque Œcumenicum Tridentinum decrevit, ut *Provincialia Concilia, ſicubi omiſſa ſunt, pro moderandis moribus, corrigendis exceſſibus, controverſiis componendis, aliiſque ex ſacris Canonibus permiſſis renoventur . . . . quolibet ſaltem triennio*: attamen raro admodum celebrata eadem ſuppetunt. Cæterum pauca illa, quæ extant Hiſpanienſia non unum exhibent firmitatis argumentum adverſus eos, qui animadvertentes, iiſdem intereſſe etiam laicos, neſcio quid de Comitiis Regni muſſitant: *Hæc enim Concilia Toletana*, ait Scriptor multo eruditiſſimus, *veluti regni comitia erant, conventuſque generales, ubi non tantum de religione ſed etiam de republica communi conſenſu diſputabatur*. Quod ut in hiſtorico videatur ferendum, ſcribenti de diſciplina veteri, *Generales hi conventus Hiſpaniarum & Concilia erant Nationalia, & Comitia generalia Regni*, nulla venia danda eſt. Quamobrem quanquam Nationalia tantum Concilia ii Scriptores intelligant; tamen quum utrumque genus ejuſdem naturæ ſit, ut mox oſtendam, & Nationalia, & Provincialia ab illiberali iſta nota vindicare conſtitui, tum ut meo non deſim officio, tum ut opinionem falſam abjiciam ab omnium animis.

[Margin: DISSERT. IV. CAP. IV. — Conc. Tolet. IV. cap. 3. — Seſſ. 24. cap. 2. de refor. — Maria. lib. 6. cap. 9. — Tomaſſin. P. 2. l. 3. c. 50. n. 10.]

III. Tam univerſa-

Antequam longius digredior ab allato decreto de Conciliis utriuſ-

DISSERT. IV. CAP. IV. libus, quam provincialibus intererant Officia Palatina.

Conc. Milev. 2. cap. 9.

utriuſque generis celebrandis; ex univerſali Africæ Synodo, unde tantam cum Hiſpanienſi Eccleſia ſimilitudinem ſæpe eduxi, ut diſciplinæ magiſtram huic fuiſſe non obſcure oſtenderim, juvat huc Canonem afferre, ex quo, veluti ex fonte, Toletanum profluxiſſe pro certo habeo. *Placuit*, ajunt Patres, *ut non ſit ultro fatigandis fratribus anniverſaria neceſſitas, ſed quoties exegerit cauſa communis, ideſt totius Africæ, undecumque ad hanc Sedem pro Concilio datæ literæ fuerint, congregandam eſſe Synodum in ea provincia, ubi opportunitas perſuaſerit. Cauſæ autem quæ communes non ſunt, in ſuis provinciis judicentur*. Illuſtrius nihil, ut ego arbitror, deſideratur ad utriuſque generis Conciliorum Hiſpanienſium naturam detegendam, quam caput iſtud univerſalis Concilii Carthaginenſis VIII. ut vocat Codex veterum Canonum, licet vulgo audiat Milevitanum, cujus ſunt
Bar. an. 516. primi octo Canones tantum Baronio docente, reliquis aliunde congeſtis. Quamvis enim ſit aliquid diſcriminis Carthaginenſi decreto cum Toletano; tamen ſumma eadem eſt: ſiquidem in communi Africæ, & Hiſpaniæ cauſa univerſale Concilium habendum ſtatuitur; in ſpeciali autem provinciæ alicujus, provinciale. Venio nunc ad inſtitutum. Ipſo illo anno 589. quum Arianiſmum deteſtati ſunt Hiſpanienſes in Concilio Toletano III, decreverunt Patres ad Concilium provinciale convocandos eſſe etiam laicos, ſeu Officia illa Palatina, quæ Civitates, & loca alia moderabantur; ut nimirum Epiſcopis utentes magiſtris, opti-
Conc. Tol. III. cap. 18. mam populorum adminiſtrationem diſcerent: *Judices*, inquiunt, *locorum, vel actores fiſcalium patrimoniorum ex decreto glorioſiſſimi Domini noſtri ſimul cum Sacerdotali Concilio autumnali tempore, die Calendar. Novembr. in unum conveniant, ut diſcant, quam pie, & juſte cum populis agere debeant, ne in angariis, aut in operationibus ſuperfluis ſive privatum honorent, ſive fiſcalem gravent: ſint enim proſpectores Epiſcopi ſecundum regiam admonitionem, qualiter Judices cum populis agant; ita ut ipſos præmonitos corrigant, aut inſolentias eorum auditibus Principis innoteſcant*. Et revera Conciliis interfuiſſe liquet ex
Conc. Hiſp. II. præf. Synodo Hiſpalenſi II. an. 619. *Conſedentibus nobis in Secretario Sacroſanctæ Jeruſalem Spalenſis Eccleſiæ cum Illuſtribus Viris Siſiſclo rectore rerum publicarum, atque Suanilane actore rerum fiſcalium &c.* Epiſcopalem vero inſtructionem pro recta adminiſtratione comprobat Decretum Epiſcoporum provinciæ Tarraconenſis pro fiſco Barcinonenſi, an. 592. poſt Concilii Cæſaraugu-

gu-

guſtani II. celebrationem : *Quoniam ex electione domini & filii ac fratris noſtri Scipionis Comitis Patrimonii in Officium Numerarii in Civitatem Barcinonenſem provinciæ Tarraconenſis electi eſtis, & a nobis, ſicut conſuetudo eſt, conſenſum ex territoriis quæ nobis adminiſtrare conſueverunt, poſtulaſtis; idcirco &c. Quod ſi ab agentibus veſtris aliqua ſuperexacta fuerint, quam conſenſus noſtri tenor demonſtrat; vos emendare, & reſtituere cui male ablata ſunt, ordinetis.* DISSERT. IV. CAP. IV.

Quod ſane argumentum niſi abunde vindicat Sacroſancta Concilia Hiſpanienſia, decretum de Concilio celebrando, qualecumque illud fuerit, inſtar erit quorumlibet hac de re argumentorum indigens diſceptatio ſit: *Hora itaque prima diei, ante Solis ortum ejiciantur omnes ab Eccleſia, obſeratiſque foribus, cunctii ad unam januam, per quam Sacerdotes ingredi oportet, oſtiarii ſtent: & convenientes omnes Epiſcopi pariter introeant, & ſecundum Ordinationis ſuæ tempora reſideant. Poſt ingreſſum omnium Epiſcoporum atque conſeſſum, vocentur deinde presbyteri quos cauſa probaverit introire. Nullus ſe inter eos ingerat Diaconorum. Poſt hos ingrediantur Diaconi probabiles, quos ordo popoſcerit intereſſe: & corona facta de ſedibus Epiſcoporum, presbyteri a tergo eorum reſideant. Diacones in conſpectu Epiſcoporum ſtent. Deinde ingrediantur laici, qui electione Concilii intereſſe meruerint. Ingrediantur quoque & Notarii, quos ad recitandum, vel excipiendum ordo requirit, & obſerentur januæ. Sedenteſque in diuturno ſilentio Sacerdotes, & cor totum ad Deum habentes, dicat Archidiaconus: Orate. Statimque omnes in terra proſtrabuntur: & orantes diutius tacite cum fletibus, atque gemitibus, unus ex Epiſcopis ſenioribus ſurgens, orationem palam fundat ad Dominum, cunctis adhuc in terra jacentibus. Finita autem oratione, & reſponſo ab omnibus: Amen; rurſus dicat Archidiaconus: Erigite vos. Et confeſtim omnes ſurgant, & cum omni timore Dei, & diſciplina tam Epiſcopi, quam Presbyteri ſedeant. Sicque omnibus in ſuis locis in ſilentio conſidentibus, Diaconus alba indutus, Codicem Canonum in medium proferens, Capitula de Conciliis agendis pronunciet. Finitiſque titulis Metropolitanus Epiſcopus Concilium alloquatur, dicens: Ecce ſanctiſſimi Sacerdotes recitatæ ſunt ex Canonibus Sanctorum Patrum ſententiæ de Concilio celebrando. Siqua igitur quempiam veſtrum actio commovet, coram ſuis Fratribus proponat. Tunc ſi aliquis quamcumque querelam, quæ contra Canonem*

IV. Ordo in Conciliis utriuſque generis celebrandis. Conc. Tolet. IV. cap. 4.

nem agit, in audientia ſacerdotali protulerit, non prius ad aliud tranſeatur Capitulum, niſi primum quæ propoſita eſt actio terminetur. Nam etſi Presbyter aliquis, aut Diaconus, Clericus, ſive Laicus, de his qui foris ſteterint, Concilium pro qualibet re crediderit appellandum, Eccleſiæ Metropolitanæ Archidiacono cauſam ſuam intimet, & ille Concilio denunciet. Tunc illi & introeundi, & proponendi licentia concedatur. Nullus autem Epiſcoporum a cœtu communi ſecedat, antequam hora generalis ſeceſſionis adveniat. Concilium quoque nullus ſolvere audeat, niſi fuerint cuncta determinata: ita ut quæcumque deliberatione communi finiuntur, Epiſcoporum ſingulorum manibus ſubſcribantur. Tunc enim Deus ſuorum Sacerdotum Concilio intereſſe credendus eſt, ſi tumultu omni abjecto ſollicite, atque tranquille Eccleſiaſtica negotia terminentur. Poſtrema decreti verba de abjiciendo omni tumultu, utpote Eccleſiaſticis judiciis damnoſo, fuſius expenduntur in Concilio Toletano XI. lata in violatores ſacræ legis excommunicatione trium dierum.

Conc. Tolet. XI. cap. 1.

V. Ordinem celebrandi Concilia hinc exſcriptum, multoque ampliorem habent collectiones omnes Conciliorum; puriorque alius extat in quartodecimo ex ordinibus a Mabillonio collectis; quem conferre non pigeat cum ordine per Card. Aguirrium edito ex Cod. Wigilano, nam ipſiſſimus ille eſt, qui in Hiſpaniis viguit, ſaltem poſt Concilium Toletanum XI. tametſi antiquiſſimus Cod. Wigilanus, ſeu Albeldenſis extans in Bibliotheca regia S. Laurentii, quo eſt uſus eruditiſſimus Cardinalis, Wigilæ Monachi additiones fortaſſe aliquas, ac mutationes vocum, quæ conferenti occurrunt, præſeferat. Tria ſiquidem ſpectari oportet eludendæ eorum opinioni, qui Conciliorum Hiſpanienſium dignitatem minuunt, maxime conducentia, autoritatem ejus Ordinis, antiquitatem, & extenſionem. Autoritatem quod ſpectat, ſatis eſt eum inſpicere in Codicibus Ordinis Romani tum editis, tum MSS. utquumque auctum, atque alicubi emendatiorem, ſi enim S. Sedes amplexa eum eſt, voluitque ut celebrationi Conciliorum regula univerſalis fieret, nemo non videt, quantum hinc laudis ad Concilia Hiſpaniarum accedat, quantumque autoritatis, dum fons, & radix Eccleſiaſticæ omnis autoritatis, decreta eorum tanti habet. Antiquitatem facile quis deprehendat, ſi animadverterit, quod primus omnium eſt ordo a me ſuperius allatus ex Concilio Toletano IV. anno Chr. 633. celebrato; eum ſequitur Wigilanus ab Aguirrio editus; poſtremus omnium

Ejuſdem autoritas, antiquitas, extenſio. Muſe. Italic. to. 2. p. 393.

Digitized by Google

nium habetur Romanus (ita eum lubet nuncupare, compendii gratia, quia in Ordinibus romanis extat) qui ſcilicet non a primo Toletano, ſed a Wigilano proficiſcitur; quemadmodum mox planum faciam. Denique extenſionem ignorare nemo poteſt; dum apud Juſtellum, Canonumque veterum collectores, atque editiones omnes Conciliorum, necnon Ordines Romanos MSS. & editos ulla non reperitur forma celebrandi Concilii, quæ ab iſta Hiſpanienſi non fuerit derivata. Quumque hoc ſit argumentum multo validiſſimum ad abſtergendam Conciliis Hiſpanienſibus notam, quæ in dies invaleſcit, ut videre eſt apud Scriptorem Hiſpanum ſuis hinc ratiociniis robur maximum adjungi pro certo habentem; idcirco aliquanto penſius mihi agendum erit de tribus Ordinibus celebrandi Concilium, quos indicavi, citra examen id minutum vocum, & additionum, quæ ſummam rei non mutant, poſſuntque per otium ab unoquoque expendi, iiſdem collatis Ordinibus. Quamobrem ea tantum perſequar, quæ Concilia Nationalia Hiſpaniarum ſeptimi ſeculi, perinde ac provincialia inibi aliiſque in provinciis celebrata, ſacroſancta, ac venerabilia eſſe probent, ſummamque iis injuriam fieri ab Joanne Mariana, ſcriptoribuſque eum ſequutis, dum aut Concilia & ſimul Comitia, aut mera Comitia (ita inſignis inſcitiæ aliquis vocat) eadem fuiſſe contendunt.

DISSERT. IV. CAP. IV.

P. Caſtaſ. mem. pag. 114.

VI. Alius ordo aliquanto poſterior, primum illum illuſtrat.

Porro ex Ordine Concilii Toletani IV. non ſatis lucis affertur antiquis iis Conciliis Hiſpanienſibus, quamquam de laicis inter Epiſcopos, Presbyteros, & Diacones Concilium celebraturos admittendis aperta fiat mentio. Quare illuſtrandus idem eſt poſteriori illo ordine, quem Aguirrius edidit, ne Regis acceſſio, alloquutio, & ſiquæ alia perſpicuitatis indigent, relinquantur. Notandum tamen videtur, quod iſte Ordo poſterior, utquumque poſt Concilium Toletanum XI. factus videatur, nam Canonem ejus primum, *ne tumultu Concilium agitetur*, legendum præcipit, aliud non eſt, quam Ordo ille prior expanſus, alloquutione Metropolitæ ad Concilium mutata, cæteriſque additis, quæ plenam Conciliorum Hiſpanienſium cognitionem ſuppeditant. Et ſane recitata oratione, quam primus indicat, proſequitur. *Quando autem plurimi Metropolitani fuerint, tunc ab altero hac oratio dicatur*: deinde alias ponit, quinque numero, quarum unaquæque juſti judicii in rebus divina ope ferendi a Concilio, teſtis eſt; quemadmodum omnes ſimul teſtantur, quod tam provinciale, quam Nationale Concilium una eadem-

C. Aguir. Conc. to. 1. pag. 227.

que ratione a legitimis Eccleſiæ judicibus ſancte, ac rite celebratur, non a Conſiliariis Regum, aut Epiſcopi illi eſſent, aut Optimates. Poſt orationes pergit cum primo ordine, venienſque ad promenda capitula de Conciliis agendis: *Iueſt*, ait, *ex Concilio Chalcedonenſi era* 18. *item ex Capitulis Orientalium Patrum, quæ Martinus Epiſcopus de græco in latinum vertit, era* 18. *de Synodo facienda. Item ex Concilio Toletano IV. era* 3. *Item ex Concilio Agathenſi, era* 33. *ſive ex Sermone S. Ambroſii de Pace, vel aliud de Canonibus, quod Metropolitano aptius viſum fuerit ut legatur.* Quibus ſane capitibus, loco *Eræ* ſubſtitui debet *Caput*, aut *Titulus* eademque ſi adeantur, hæc diſcere erit: Præcipi a Patribus Chalcedonenſibus celebrationem Concilii provincialis bis in anno, ad corrigendas cauſas Eccleſiaſticas, correptionemque Præſulum advenire detrectantium: In Martini collectione idem juberi, addique *ita ut in his Conciliis prodeant omnes Presbyteri, Diaconi, vel hi, quorum in Concilio cauſæ examinatæ ad juſtum judicium prodantur .... Nulli autem Epiſcopo liceat propria apud ſemetipſum Concilia facere*, quibus prohibentur fieri Diœceſanæ Synodi: Concilii Tol. IV. cap. 3. negligentiam Sacerdotum deplorari, qui pravos mores Eccleſiaſticorum nullas cogendo Synodos ſinebant gliſcere; decerni, ut quotannis provinciale, aut generale, pro cauſæ qualitate, Concilium fiat; illuc cauſas tum contra Epiſcopos, tum contra Judices, & potentes deferendas: & animadverti debet, quod de provinciali tantum Concilio, hac in parte, res eſt: Denique in Agathenſi Concilio Comprovinciales a Metropolitano admonitos, ſi ad Synodum venire diſtulerint, infirmitate, ſeu gravi alia cauſa non impediti, *charitate Fratrum, & Eccleſiæ communione* privari uſque ad proximam Synodum.

Conc. Chal. c. 19. — *Collect. Mart. cap. 18.* — *Conc. Tolet. IV. cap. 3.* — *Concil. Agath. cap. 35.*

VII. Mutationes, & additamenta poſterioris expenduntur.

Quatuor iſtis Canonibus Ordo Romanus præmittit caput octavum decimum Toletani Concilii III. a nobis ſuperius allatum, nec facile perceptu eſt; cur ab antiquiori Wigilano ejuſdem non fiat mentio: niſi forte, quum ſcriptus idem fuit vocari ad Concilium deſierant actores patrimonii fiſcales, & Judices, poſtquam videlicet Nationalibus Conciliis intereſſe, & ſubſcribere jam cœperant Palatina Officia primi Ordinis, quibus præcipua adminiſtratio Regni commiſſa erat. Lectionem capitulorum excipit alloquutio Metropolitæ, quam videre eſt vocatam tum in Wigilano, tum in Romano *Exhortationem*: eaque eſt omnino alia ab alloquutione quam audivimus in Toletano veteri. Poſt allo-

Digitized by Google

allocutionem, ſeu exhortationem hujuſmodi leguntur in Wigilano hæc quæ ſequuntur, nec in Romano extant, utpote ad ſolas Hiſpanias pertingentia: *Poſt hanc exhortationem Concilii, qua Metropolitanus ſolet Synodum alloqui univerſalem, ſtatim Rex cum ſuis Optimatibus ingreditur in Concilium, & in primis corona Sacerdotum poſt ſe dimiſſa, ad altare converſus, ibi orationem dicit: ſed ipſa oratione ſupra acta, ad Concilium converſus dicit: & humo proſtratus atque inde ſe erigens, & ſe ipſum precibus Sacerdotum commendat, & adloquendo Concilium, ut juſtiſſime agant, religioſa exhortatione inſinuat. Poſtquam autem expleverit exhortationem ſuam, a Diacono dicitur, Oremus. Tunc Rege converſo ad Orientem, omnes Sacerdotes in terra pariter proſternantur, ſicut & prius: ſicque dicatur hæc Oratio Dominica. Rex Deus, a quo Regum regitur regnum: quo gubernante ſublime, quo deferente fit fragile, famulo tuo N. ſolers moderator adſiſte. Da ei Domine fidei rectitudinem firmam, & legis tuæ cuſtodiam indefeſſam: ita morum honeſtate præpolleat, ut tuæ Majeſtati complaceat; ita tunc præſit populis, ut coronetur poſt tranſitum cum electis. Pater noſter. Benedictio. Benedicat tibi Sereniſſime Princeps, Virtutum Dominus, & Omnipotens Deus. Amen. Inſpiret tibi facere miſericordiam & temperare juſtitiam. Amen. Qui tibi tribuit regnum, ipſe cor tuum conſervet inlæſum a nocibilitate omnium populorum. Amen. Et qui conventum noſtrum pro Domino veneraris, cum tuis omnibus poſt longa ſecula coroneris. Amen. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui cum Deo Patre, & S. Spiritu, unus Deus gloriatur in ſecula ſeculorum. Qua benedictione ſuſcepta, dicitur illi a Diacono: In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, ite cum pace. Sicque cunctis reſpondendum eſt. Deo gratias. Statimque idem Princeps ſecedit a conventu Concilii. Poſt egreſſum igitur Regis & exhortationem Metropolitani, quæ prius dicta eſt, &c.* Hinc uſque ad finem uterque Ordo concors procedit, tametſi mutationes nonnullæ vocum occurrunt, & ſecundi tertiique diei orationes in Romano poſtponuntur narrationi omnium rerum in Concilio agendarum.

DISSERT. IV. CAP. IV.

VIII. Ratio celebrandi Concilii de eodem ordine eruitur.

Quæ hucuſque poſterioris Ordinis præſidio expoſui, ad primam Concilii diem pertinent, meliuſque appellarentur, inchoatio Concilii, quam ejuſdem celebratio. Hæc ſcilicet non incipiebat niſi poſt Regis egreſſum in univerſalibus, ſive poſt exhortationem Metropolitæ in provincialibus Synodis. Eademque

erat

DISSERT. IV. CAP. IV.

erat duplex: tridui nimirum ſpatium, quod letaniarum dicebatur, omnis quæſtio verſabatur circa Myſterium Sanctæ Trinitatis, circa ordines ſacros, & circa officiorum inſtituta; quocirca ingrediebantur omnes *Presbyteres, Diacones, vel Religioſi ad audiendam doctrinam*; quæ erat lectio, & inſtructio, præcedente collecta. Altera vero celebratio inchoabatur die quarto, *nullo eorum interveniente, qui in retroactis diebus pro ſpirituali inſtructione interfuerunt*. Quamdiu hæc fieret, agitandæ res docebant: quare inter Concilia tum provincialia, tum Nationalia comperire eſt nonnulla pluribus, paucioribus alia diebus celebrata eſſe, tametſi retuliſſe eos in ſuum Codicem, inter Decretales Pontificum, celebrem illam ad Anaſtaſium, non obſcure docet, intra quindecim dierum ſpatium abſoluta fuiſſe. (*Cod. Vet. Can. lib.3. tit.26.*) Unoquoque die ingreſſus in Concilium idem erat, quem docuit Ordo antiquus, ſeu Toletanus, nullo ex aliis diſcrepante; at Collecta aliter fiebat triduo illo litaniarum, aliter diebus reliquis: quippe poſt triduum id, minime proſternebantur omnes, ſed ſtabant: *In reliquis tamen diebus, cunctis adſtantibus oratio colligenda eſt. Et ſic conſidentes cauſarum negotia judicabunt*. Nec putes Concilii ſolutionem minus ſancte, ac ſolenniter fieri: nam omnia conſtituta plurium ſpatio dierum diligenter retractabantur, coram omnibus relegebantur, ſubſcriptione omnium confirmabantur; ac denique de Paſchate celebrando & aliis nonnullis admonebantur, quæ quanquam neminem latere poſſunt Concilia perlegentem; tamen collecta hîc ipſis Ordinis verbis audire neminem, arbitror, tædeat. *Ante duos, vel tres dies, quam ſolvatur Concilium, omnes Conſtitutiones a ſe editas diligenti conſideratione retractent.* (Romanus addit: *ne in aliquo offendiſſent*.) *Item in die, qua Concilium abſolvendum eſt, Canones qui in ſancta Synodo conſtituti ſunt, coram Eccleſia in publico relegantur. Quibus explicitis reſpondetur. Amen. Deinde ad locum redeuntes ubi in Concilio reſidebant, Canones ipſos ſubſcripturi ſunt. Admonendi quoque a Metropolitano ſunt de paſcha venturo, quo veniat die. Admonendi ſunt etiam quo tempore, ſuperveniente anno ad Concilium faciendum veniant, & eligendi etiam de Epiſcopis, qui cum Metropolitano dies feſtos Nativitatis Domini, & ſanctum paſcha debeant celebrare*. Poſt hæc ſequitur oratio, & benedictio, explicitque Ordo Concilii.

IX. Vvigilanus or-

Cauſam forte quæret aliquis, cur Wigilanum Ordinem Romano

mano prætulerim, eoque, quam iſto, ad explicandum Toletanum uti maluerim. Ratio autem in promtu eſt. Additamenta ſcilicet nonnulla Romanus habet, quæ referunt ſequiora tempora. Eſtque præ aliis celebre illud pone principium, de presbyteris: *Quos tamen ſeſſuros ſecum Metropolitanus elegerit, qui utique & cum eo judicare aliquid, & definire poſſunt.* Quem locum de ſuffragiis presbyterorum in Concilio etiam provinciali obſervare jubeor a Mabillonio. Ego vero, bona cum venia doctiſſimi Viri nihil hinc elicio præter corruptam diſciplinam, quam ſuo loco expendam, hîc in anteceſſum monens, quod Ordo iſte Romanus a Jacobo Gajetano exſcriptus videtur ex Gallicano aliquo Codice octavi ad ſummum ſeculi declinantis. Quapropter eumdem rejicio, Codicemque Wigilanum puram putamque diſciplinam ſeptimi ſeculi præſeferentem optimo, meritoque jure adhibeo ad Toletanum ordinem illuſtrandum, quod manibus teneri faciam paulo infra. Interim abjiciendi gratia ab Synodis Hiſpaniarum additionem illam Ordinis Romani, animadverti velim, quod ſolis Conciliis Toletanis, aut Nationalia ea fuerint, aut Provincialia tum interfuerunt, tum ſubſcripſerunt Abbates, & Archipresbyter, Archidiaconus, ac Primicerius Regiæ Urbis ab anno 653. quum Concilium Toletanum VIII. celebrabatur. Quod cum cæterarum Conciliis provinciarum diſcrimen, & præſtantiam Regiæ Sedis demonſtrat, & uno eodemque tempore exſufflat eam additionem Ordinis Romani, quæ ad provinciale quodvis Concilium presbyteros cum Metropolita judicaturos, ac definituros admittit; rem ſcilicet ne ſeculo quidem quintodecimo ab Abbate Panormitano toleratam in Concilio Baſileenſi, ut docet Æneas Sylvius in Concilii ejuſdem hiſtoria. Cæterum quam comparavi laudem Card. Aguirrio, dum monumentum ab eo editum præſtare alii, quod doctiſſimus Mabillonius evulgavit, indicavi, eam ipſe ſibi eripit, dum viam Regiam, ſeu exhortationem ad Regem plus nimio æſtimat, ſeptimo ſaltem ſeculo obtinuiſſe contendens. Verba illa paulo ſub initium: *Quia de femore Regis, regalique deſcendis proſapia*: clam nemine eſſe jubent, quod ſumma hujus exhortationis antiquitas a Mauricæ invaſionis ævo repeti poſſet; quum Catholici Reges regia omnes progenie ad ſolii faſtigium evehebantur, electionis jure inter Gothos obſoleto. Idque obiter dictum velim, ne in obtrudendo vetera monumenta delectum ſequi nullum judicer; nam Ordo Concilii ad meum inſtitutum me revocat.

do antiquior, & prçſtantior Romano.

Mabill. Muſe. Ital. to. 2. pagina m. 393.

Collect. Concil. to. 1. pag. 232.

Equi-

DISSERT. IV.
CAP. IV.

X.
Inchoatio Conciliorum juxta ordinem comprobatur.

Conc. Tolet. IV. præf.

Equidem conciliare fidem monumento nequicquam niterer, afferendo vim rationum immenſam, niſi Conciliorum autoritas iiſdem accederet. Quamobrem præcipua Ordinis capita ſubjicere oculis aggredior ab inchoatione Concilii principium ſumens. Ipſum Toletanum IV. unde antiquus ordo prodiit, ita cum Wigilano concinit: *Dum in baſilica beatiſſimæ, & ſanctæ Confeſſoris Leocadiæ omnium noſtrorum pariter jam cœtus adeſſet, tali pro merito fidei ſuæ cum magnificentiſſimis viris ingreſſus* (Rex Siſenandus) *primum coram Sacerdotibus Dei, humo proſtratus cum lacrymis & gemitibus pro ſe interveniendum Domino poſtulavit: deinde religioſa proſequutione Synodum exhortatus eſt, ut paternorum decretorum memores, ad conſervanda in nobis jura Eccleſiaſtica ſtudium præberemus, & illa corrigere, quæ dum per negligentiam in uſum venerunt, contra Eccleſiaſticos mores, licentiam ſibi de uſurpatione fecerunt.* Perinde factum eſſe in Toletano V. utquumque provinciali, teſtantur Patres in eadem Eccleſia S. Leocadiæ congregati. Sextum compendioſa narratione rem omnem amplectens, clariora etiam indicia continet inchoatæ juxta ordinem Synodi. *Quum primum*, inquit, *Omnipotenti Domino pro corona fratrum tam numeroſa, gratiæ a nobis fuiſſent peractæ, uihil melius, nihilque ſalubrius omnium inſedit animis, quam more Synodi univerſalis poſt ſolennia perfunctæ orationis quod mente ruminavimus lingua narraremus.* Ex Concilio autem VIII. Ordinis pars in ſuperioribus non explicita evidens fit: *Poſt hujus exultationis beatæ gaudium, & cœleſtis gloriæ hymnum, eidem Sacro Principi benediximus.* Quod ſi etiam diſceſſio Principis conceptis verbis expreſſa deſideratur, ea ſuppetit ex Concilio Toletano XII. *Gratias retulimus Domino noſtro Jeſu Chriſto, & etiam benediximus Principi glorioſo. Poſt egreſſum igitur ejuſdem Sereniſſimi Principis &c.* Adeat Concilia ipſa qui plura cupit: mihi enim ſatis ſuperque eſt demonſtraſſe, quod non immerito Ordinem illum poſteriorem ſeu Wigilanum omnino ſimilem Toletani antiquioris eſſe dixi, licet Metropolitæ exhortationem aliam præſeferat. At enim Ordo iſte non denuo factus antiquato illo credendus eſt; ſed in Rituali, ſeu Pontificali, aut mavis Cæremoniali libro deſcriptus, cujuſmodi libros, & in Eccleſia Romana, & alibi mutationes, additioneſque pati conſueviſſe inter omnes conſtat. Itaque ad inchoationem Concilii quod attinet, rite ſancteque omnia juxta Ordinem facta eſſe compertum eſt, atque exploratum. Pergam

Conc. Tolet. V. cap. I.

Conc. Tolet. VI. cap. I.

Conc. Tol. VIII. præf.

Conc. Tol. XII. præf.

modo

modo exquirere, num triduana illa celebratio, quam Ordo præſcribit, rite pariter, ſanċteque in utriuſque generis Synodis per-ageretur. DISSERT. IV. CAP. IV.

XI. Tridui actiones de Trinitate, ordinibus, & officiis.

De S. Trinitate cæteriſque in ordine præſcriptis tridui actum ab Hiſpanienſibus, ſingulæ licet Synodi aperte non teſtentur; tamen earum aliquæ extra dubium omne rem iſtam ponunt. *Hæc eſt*, ajunt Patres Concilii Toletani XI., *confeſſionis noſtræ fides expoſita, per quam omnium hæreticorum dogma perimitur, fidelium corda mundantur; per quam etiam ad Deum glorioſe acceditur, cujus ſacroſanctum ſaporem ſub triduano dierum jejunio continua relationum collatione ructantes, ad ea, quæ ſubnexa ſunt, ſequenti die diſcernenda tranſivimus*. Clarius etiam Synodus Cæſarauguſtana III. *Dum nobis*, inquit, *de Sancta Trinitatis myſterio ſecundum formulam Nicæni Concilii triduo mutua fuiſſet collatio, & quæ ſe cœtui noſtro ad ædificationem totius plebis ingeſſerunt, conſpicua, diligentique ratione pertractantes &c.* Itaque in omnibus Conciliis Hiſpaniarum, ubi aut de fide Nicæna dumtaxat, aut de fide Catholica quatuor Conciliorum ſe ajunt Patres pertractaſſe, quamquam utplurimum dierum numerum non declarent, ſemper laudatum triduum debet intelligi. Quod ne gratis aſſeram, facit Concilium Toletanum XII. Ubi enim ait: *Primi diei Synodali exordio conſidentibus Epiſcopis atque ſenioribus Palatii univerſis, habita primum eſt de Sancta Trinitate collatio*: poſtmodo ſubjungit: *Præmiſſa ſemper lectio præcederet quod ſequens expoſitio aperiret*. Quod ſi *ſemper* præcedebat lectio, ergo juxta Ordinis præſcriptum collatio per triduum agebatur. At argumenta non ſunt opus, quando ſuppetunt documenta. Concilium enimvero Toletanum XVII. ſive ultimum ex iis, quæ ad nos ſeros poſteros pervenerunt, decretum edidit, quo prohibebantur ſeculares intereſſe triduanis ejuſmodi collationibus, ut antea conſueviſſe eos docet nuper allatum caput, fortaſſe quia correptionis morum Sacerdotalium teſtes laicos eſſe indignum videbatur. *Ternarius numerus*, verba ipſa ſunt, *in eo quod initium mediumque finemque ſortitur, Trinitatis ſpeciem ſignare videtur. Ac proinde quia numeroſitas ſacerdotum in nomine S. Trinitatis pro Synodo agenda ſolet congregari, opportune inſtituendum credimus in initio totius adunationis, ut trium dierum ſpatiis percurrente jejunio, de myſterio S. Trinitatis, aliiſque ſpiritualibus, ſive pro moribus Sacerdotum corrigendis, nullo Sæcularium aſſiſten-*

Conc. Tolet. XI. præf.

Conc. Cæſaraug. 3. præf.

Conc. Tol. XII. cap. 1.

Conc. Tol. XVII. cap. 1.

 te, inter eos babeatur collatio: ita nempe ut dum ſcriptis cauſis, ſub nominis divini timore per triduum habita fuerit altercatio, ejuſdem S. Trinitatis juvamine cæterarum cauſarum negotia inoffenſibili peragantur inſtantia. Quod ſane decretum quam ſancte ac ſalubriter conditum fuerit, patet ex Potamii Bracarenſis cauſa; nam Concilii locum deſerere maluerunt Epiſcopi, quam laicis, ſeu Palatinis ſcandalum eſſe: *Solitarie tantum, ſecretimque adunatis Pontificibus Dei prædictum Epiſcopum adeſſe coram nobis fecimus &c.*

XII. Præter collationem de Trinitate alia ſubobſcura eſſe videntur.

Equidem negare non auſim, quod Concilia Hiſpanienſia, prout ad nos venerunt, ſeu etiam prout in acta referebantur, neſcio quid obſcurum præſeferunt. Alia enim principium, alia finem negligunt; alia etiam Actorum rationem non habent, ſed priora cum poſterioribus miſcent. Et quod magis dolendum, nonnulla mutila evidenter ſunt, quemadmodum præ aliis fidem facit Concilium Nationale Toletanum X. nuper laudatum. Hujus ſiquidem ſolenne initium, conſuetus finis, ſervatuſve celebrationis ordo nequicquam quæruntur. Subſcriptiones ipſæ Abbatum, Officiorumque Illuſtrium Palatii deſiderantur. Quamvis autem ſoli illi Epiſcopi qui ſeceſſerunt, ut de Potamio judicium ferrent, quos conſtat ex Decreto ipſo ſubſcripſiſſe omnes numero viginti, ſua præbent nomina poſt Eugenii ſubſcriptionem, quæ eſt: *Eugenius indignus Metropolitanus Toletanæ Sedis Epiſcopus hoc judicii noſtri decretum ſubſcripſi*: ipſiſque repetitur verbis poſt alterum Decretum, ubique addendo: *ſimiliter & alii Epiſcopi ſubſcripſerunt numero viginti*: Infra tamen præter viginti eos Epiſcopos, recenſentur & quinque Vicarii aliorum Epiſcoporum, nullo ex Abbatibus Carthaginenſis provinciæ, nulloque ex Illuſtribus Officiis memorato. Præterea caput ejuſdem Concilii ſeptimum quod in excuſis deſiderabatur, novas affert tenebras; nam ſeptima appellatur collatio, incertum num dies Concilii ſeptimus indicetur, tribus prioribus computatis, an capita ſingula Actiones, ſeu Collationes ſingulas ſibi velint, poſt triduanam de Trinitate & reliquis Collationem. Ea propter quum perſpicuum fecerim, quod Concilia tum Nationalia, tum provincialia illud triduum litaniarum, quod Ordo exquirit, ſanctiſſime cuſtodiebant, cætera felicioribus perſcrutanda ingeniis ultro relinquo. Caveant ii tamen, quibus provinciæ parte hac defungi per me licet; ne cum Scriptore veteris diſciplinæ, Syrtim evaſuro Comitiorum, affirment, quod ſpatio illius tridui de

Thomaſſin. de benef. P.2.l.3. cap.50.n.10.

de fide, moribus, ac diſciplina Clericorum diſceptabatur, deinde *ad alia mixta, vel mere temporalia negotia cum laicis tractanda deſcendebatur*. Namque, ut paucis multa complectar, Concilia omnia contrarium docent. DISSERT. IV. CAP. IV.

XIII. Negotia poſt triduum litaniarum tractari ſolita.

Num decretum illud novum Concilii Toletani XVII. quod triduanæ collationi litaniarum cauſas adjunxit morum ac diſciplinæ Clericorum, excluſis laicis, vigere cœperit, otioſa petitio eſt; nullam ſiquidem Synodum habitam eſſe liquet poſt ejus celebrationem, Chr. an. 694. præter Toletanam XVIII. primo anno octavi ſeculi, cujus Acta deſiderantur. Quod autem Thomaſſino viſum ſit, ita fieri conſueviſſe in præcedentibus Conciliis; ratio hæc nova argumentandi, ut ex poſteriori inſtitutione colligatur antecedens conſuetudo, immenſi operis ſcriptori danda eſt: at rerum veritas indagari ſerius debet. *In reliquis autem diebus*, ait Ordo, *Cauſarum negotia judicabunt*. Hujuſmodi vero cauſas tum Clericorum, tum laicorum eſſe docet Ordo Toletanus, ſeu Caput IV. Concilii Toletani IV. ſuperius allatum. At quoniam Thomaſſino libuit cum ſacroſanctis his Conciliis Comitia Regni miſcere: *Quod*, inquit, *nobilitatis vertices ipſi adeſſent delectu & juſſu Regis, una cum Epiſcopis*: audiamus Recceſvindum Regem alloquentem utroſque in Concilio Toletano VIII. cui primum ſubſcribunt Palatina Officia: *Atteſtantes*, inquit, *univerſitatem veſtram* (Epiſcoporum), *ut quæcumque* traſ. *negotia de quorumlibet querela veſtris auditibus extiterint patefacta, cum juſtitiæ vigore miſericorditer, & cum temperamento miſerationis juſtiſſimæ, cum noſtra conniventia terminetis in legum ſententiis, quæ aut depravata conſiſtunt, aut ex ſuperfluo, vel indebito conjecta videntur ..... Canonum obſcura quædam & in dubium verſa in meridiem lucidæ intelligentiæ reducatis, omniumque negotiorum conventus, ordinumque ſtatus, qui in veſtram exſtiterint devoluti præſentiam, ita majorum regulis concordantes juſtiſſime, pie, ac temperanter conſtituere ſtudeatis, ut & mihi, qui ad ſtudiorum fructus bonorum anhelo, pars beatorum adveniat, & vos, quoniam implentes voluntatem Dei, me non ſpernitis imprecantem, regio beatitudinis æternæ ſuſcipiat*. Sic piiſſimus Rex ſuppliciter, ac reverenter hortatur divino jure utentes Epiſcopos in Spiritu Sancto legitime congregatos. Ad Palatinos deinde ſe vertens, quos rectores populorum, ac moderatores optimos appellat, *Adjurans obteſtor*, ait, *per omne illud admirabile & ſolum unius ſacræ fidei ſacra-*

De benef. lib. 3. c. 50. n. 10. P. 2.

Conc. Tol. VIII.

men-

DISSERT. IV. CAP. IV. *mentum, quo venerabilem omnium Sanctorum Patrum ſum obteſtatus conventum, ut ad cuncta veritatis, ac diſcretionis juſtiſſimæ formulam ita animos dirigatis, ut nihil a conſenſu præſentium Patrum, ſanctorumque virorum alior ſum mentes ducentes obtutu, quidquid innocentiæ vicinum, quicquid juſtitiæ proximum, quicquid a pietate non alienum, vel ſoli Deo cognoveritis exiſtere placitum, inſtanter, modeſte, & cum omni dignemini intentione complere*. Denique omnes ſimul alloquitur, Epiſcopos tamquam Judices; Palatinos velut executores Epiſcopalium conſtitutionum; utriſque regiam autoritatem, & patrocinium promittit. *In commune jam vobis cunctis & ex Divino cultu miniſtris idoneis, & ex aula regia Rectoribus decenter electis, Divini nominis adjuratione conſtrictis adjicio conſenſionis meæ verum purumque promiſſum: ut quodcumque juſtitiæ, aut pietati, ſalutarique diſcretioni vicinum decernere, ſeu adimplere cum noſtro conſenſu elegeritis, omnia favente Deo perficiam, & adverſus omnimodam controverſiarum querelam Principali autoritate muniam, ac defendam*.

XIV. Eaque ab Epiſcopis, tanquam Eccleſiaſticis Judicibus, definiri. Mirabar equidem, Antiſtites Sacrorum Canonum retinentiſſimos tantis ſemper laudibus proſequi Catholicos Reges, eorumque pietatem ac religionem extollere, quotieſquumque ſynodice congregabantur, ut de Eccleſiaſtica diſciplina, moribuſque Clericorum decernerent; dum tamen his de rebus perfunctorie, & clanculo agendum iis fuiſſet tridui illius ſpatio, quod totum in rebus fidei oportebat impendi, ſtudiumque omne, atque omnis ſollicitudo adhibenda in cauſis mixtis, ſeu mere temporalibus. Longum eſſet, prolatis hîc alloquutionibus Regum omnium rem certam luce clariorem proponere. Nihilominus

Conc. Tol. XII. præf. ſumma earum capita decerpere non erit inutile. *Non dubium eſt*, ait Ervigius, *Sanctiſſimi Patres, quod optima Conciliorum adjutoria ruenti mundo ſubveniunt, ſi officioſis, quæ corrigenda ſunt, ſtudiis peragantur .... De cæteris cauſis atque negotiis, quæ novella competunt inſtitutione formari, evidentium ſententiarum titulis exaranda conſcribite; ut quia præſto ſunt religioſi provinciarum Rectores &c. promulgationis veſtræ ſententias coram poſiti prænoſcentes &c.* En quare nobilitatis Vertices interderant: ut inſtruerentur ab Epiſcopis, eorumque definita in Catholici Regni partibus ſibi commiſſis exequutioni mandari ſatagerent. Alibi idem Rex aperte exequutorem ſe eſſe fatetur decre-

Conc. Tol. XIII. præf. torum Epiſcopalium: *Vobis prædicantibus, & nobis implentibus*

quæ

Digitized by Google

quæ divinis oculis complacent. Perinde loquentem Egicanem audire non pigeat, tum de Concilio, tum de cauſarum negotiis. *Tales vos in hoc S. Concilio adeſſe præopto, quo gratia Spiritus Sancti corda veſtra irradians in medio ſit veſtrorum ..... Varia quoque populorum negotia, cæteràque ſceleratorum hominum geſta fidei ſanctæ contraria ita veſtri examinatione judicii canonice ac legaliter finiantur &c.* Juvat modo his ſubjungere ex Marciani Imperatoris alloquutione ad Synodum Œcumenicam, quæ cum Gothorum Regum alloquutionibus optimo, meritoque jure valeant comparari: *Quædam*, inquit, *capitula ſunt quæ ad honorem veſtræ reverentiæ vobis ſervavimus, decorum eſſe judicantes a vobis hæc canonice potius formari per Synodum, quam noſtra lege ſanciri*. Hæc certe capitula ſi ſedulo animadvertantur, prout Beronicianus Conſiſtorii Secretarius relegit; ac deinde conferantur cum tribus Canonibus quinto, tertio, & vigeſimo Concilii Chalcedonenſis; magnum inde inferetur diſcrimen quod Gothorum Regibus cum Imperatoribus interceſſit. Ii ſiquidem quicquid ſcriptum exhibuerunt Hiſpaniarum Epiſcopis, examinandum, diſcutiendum, judicandum iiſdem præbuerunt; nullum caput conceptis expoſuerunt verbis; ſua dumtaxat deſideria, ſeu vota expoſuiſſe contenti, Epiſcopos hortati ſunt, ac ſuppliciter deprecati, ut capitula digererent, definitiones exprimerent, uno verbo Eccleſiaſticas leges conderent, ac ferrent. Contra Marcianus rem proponens de Monachis ac Clericis, verba fere ipſa ponit in ore Epiſcoporum, definitione etiam expreſſa; tantum non fert legem, quia nullius futuram roboris norat.

Diſsert. IV. Cap. IV.

Conc. Tol. XVI. Præf.

Concil. Chalced. Seſſ. 6.

XV. Comitia Regni, & Conventus pro Coronatione Regũ diverſa a Conciliis.

Quæ quum ita ſint, ab omni prorſus veritate abhorret qui ſacroſanta Toletana Concilia cum Comitiis Regni confundit; dum & Comitiorum, & Conventuum aliorum, quibuſcum nihil rei habent Concilia, non unum ſuppetat argumentum. Fortaſſis id ſenſit Thomaſſinus, ubi agens de Religioſorum ſacramento Regibus præſtito: *Neceſſe eſt*, ait, *ut vel in Conventu regiæ coronationis, vel in comitiis regni generalibus, vel in Conciliis Epiſcopi, & Clericorum, Monachorumque Prælati in hanc ſe jurando inviolabilem obligarent fidem*. Quamquam poſtmodo ſui immemor Concilia & Comitia una ſimul conjunxit. Quod ne in poſterum fiat, promenda mihi eſſe video exempla certa Comitiorum, aliorumque Conventuum, quæ nequicquam inter Concilia exquiruntur, petenda enim ſunt aut ex documentis ſyn-

De beneſ. P. 2. l. 2. c. 47. n. 4.

Dissert. IV. Cap. IV.

ſynchronis, aut ex coævis hiſtoriis. Anno 647. in evulgatione legum Comitia generalia Regni habita ſunt. Rex in ſolio reſidebat, aderantque Epiſcopi omnes, & Officia omnia Palatina primi ordinis; audiebant ſpectabantque omnes Regem non humo proſtratum, aut ſupplicem, ſed majeſtate plenum, ac ſublimem throni faſtigio ferentem leges, quæ toto obſervarentur in regno: *Sublime in throno ſerenitatis noſtræ celſitudine reſidente, videntibus cunctis Sacerdotibus Dei, ſenioribuſque Palatii, atque Gardingis, earum manifeſtatio claruit.* Hujuſmodi Comitia in rebus momenti habita, neque eruditis ignota imitabantur ii Conventus, qui in electione, quin etiam in conſecratione Regum fieri conſueverunt: *Defuncto in pace Principe, Primates totius gentis cum Sacerdotibus ſucceſſorem regni Concilio communi conſtituant.* Neque hi conventus in urbe regia cogebantur, ſed *aut in urbe regia, aut in loco ubi Princeps deceſſerit, cum Pontificum Majorumque Palatii omnimodo eligantur aſſenſu.* Nullum autem ex Conciliis Nationalibus, ſeu Toletanis electionis, coronationiſve regiæ cauſa coactum eſſe vel inde patet, quod duo eorum ſolummodo, XII. & XV. Ervigii, & Egicanis anno primo ſunt habita. Utrumque vero Regem jam eſſe conſecratum patet; nam ſi ullibi conſtat liquido de ingreſſu, benedictione, & egreſſu Regis, juxta Ordinem celebrationis Concilii, certe id evenit in duobus his Conciliis: *Adſuit coram nobis idem clementiſſimus Princeps humilitatis gratia plenus, & claro pietatis cultu conſpicuus .... benediximus Principi glorioſo. Poſt egreſſum ejuſdem Sereniſſimi Principis.* Ita Patres Concilii XII. Perinde factum eſt in XV. *Adſuit idem Sereniſſimus Princeps .... Eidem Principi benediximus; quo diſcedente &c.* Quamobrem, tametſi Patres Concilii XII. poſt triduum litaniarum: *Poſt pacifica igitur hujus S. Fidei collationum ſtudia*: primam habuerint Collationem pro ratihabenda inauguratione Ervigii Regis, ſolvendiſque populis a juramento Wambani præſtito; liquet tamen ex Concilii actis, creationem confirmari, non fieri. Ac proinde unicum, quod primo adſpectu Comitiorum naturam habuiſſe videtur, ſedulo animadvertenti æque ſanctum, æque purum, atque alia omnia Concilia, perſpicue patens erit.

Leg. Wiſ. l. 2. tit. 1. c. 1.

Conc. Tolet. IV. cap. 75.

Conc. Tol. VIII. cap. 10.

Conc. Tol. XII. præf.

Conc. Tolet. XV. præf.

Conc. Tol. XII. cap. 1.

XVI. Res in Conciliis actæ inter Canones, non mere temporales ſunt.

Profecto inter cauſas in ſacroſanctis hiſce Conciliis agitatas raro quidem, quandoque tamen occurrunt res, quibus cautum recte eſſet Regalibus legibus, neque Epiſcoporum autoritas neceſſaria iiſdem erat. Attamen quis litem movere auſit piiſſimis

mis illis Regibus, ſanctiſque Epiſcopis, ſi Eccleſiaſticarum legum autoritatem, optimæ adminiſtrationis cauſa, iis voluerunt accedere? Præterquamquod, ſi Concilia perluſtrentur attente, omnia quæ temporalia videntur, in id collineare compertum exploratumque erit, ut ſacramentum fidelitatis, quo ſe religioſi omnes, & laici, ideſt ſubditi omnes Catholicorum Regum adſtringebant, aut contra violatores aſſereretur, aut novis ſemper ſanctionibus omni ordini formidabilius redderetur. Inde enim Regni totius Gothici tranquillitas, Regumque incolumitas oriebatur. Huc populis præmia, huc honores Palatinis Regum fidelibus conceſſa reſpiciunt; ut ſcilicet promiſſam Regibus fidem alacriores ſubditi cuſtodirent. Præter hujuſmodi conſtituta, nil niſi pertinens ad diſciplinam, mores, ſacros ritus, uno verbo Eccleſiaſticis non obnoxium legibus nil invenies. At ne quæſo peregrinemur in provincia, quæ nobis aut demandata, aut relicta eſt. Quare hæc de Regibus frequenter decernantur in Synodis Hiſpanienſibus, ita ut Sacrorum Canonum ſortita videantur naturam, docebunt Hiſpanienſes ipſi Epiſcopi, queis major fides adhibenda eſt, quam recentiorum quibuslibet argumentis, qui nulla conſuetudinum ratione habita, ſiquid communi non congruens ſiſtemati offendunt, naturam rebus antiquis ſuo arbitratu aliam appingunt. *Poſt inſtituta quædam*, ajunt Patres Concilii Nationalis, *Eccleſiaſtici ordinis, vel decreta, quæ ad quorumdam pertinent diſciplinam, poſtrema nobis cunctis Sacerdotibus ſententia eſt, pro robore noſtrorum Regum & ſtabilitate gentis Gothorum, Pontificale ultimum ſub Deo judice ferre decretum, ... Jurant enim Regibus ſuis, & fidem quam pollicentur prævaricant; nec metuunt volumen illud judicii Dei, per quod inducitur maledictio, multaque pœnarum comminatio ſuper eos, qui jurant in nomine Dei mendaciter .... Dum Dominus dicit: nolite tangere Chriſtos meos. Et David: quis inquit, extendet manum ſuam in Chriſtum Domini, & innocens erit: illis nec vitare metus eſt perjurium, nec Regibus ſuis inferre exitium ..... Sacrilegium quippe eſt, ſi violetur a gentibus Regum ſuorum promiſſa fides .... Quicumque igitur a nobis, vel totius Hiſpaniæ populis, qualibet conjuratione, vel ſtudio ſacramentum fidei ſuæ, quod pro patriæ gentiſque Gothorum ſtatu, vel conſervatione Regiæ ſalutis pollicitus eſt, temeraverit, aut nece Regem attrectaverit, aut poteſtate regni exuerit, aut præſumtione tyrannica regni faſtigium uſurpaverit, anathema ſit.*

Conc. Tolet. IV. cap. 75.

Digitized by Google

DISSERT. IV. CAP. IV. *ſit*. Hinc liquet, quod Hiſpaniarum Epiſcopos non latebat, Eccleſiaſticis ab inſtitutis diverſum, nihilque habens rei cum diſciplina decretum latum iri. Attamen omnibus abſolutam numeris ſanctionem condunt, quæ in ſequentibus Conciliis aut confirmatur, aut illuſtratur, non ſecus ac cætera Eccleſiæ rerum negotia; & quidem optimo meritoque jure; nam legis hujus violatio Epiſcopis depoſitionem, aliaſque aliis Eccleſiaſticas pœnas importabat.

XVII. Negotia temporalia tractabantur in congreſſibus, & comitiis.

Unde autem hæc de ſacroſanctis Hiſpaniarum Conciliis falſa opinio provenerit, deprehendi. Scriptores ii ſcilicet Hiſpani veteres, quibus Eccleſiaſtica tot documenta referuntur accepta, collectores fuerunt minus liberales congreſſuum, placitorum, comitiorumque, in quibus temporalia negotia conſueverunt tranſigi: quemadmodum ab ævo Caroli Magni cœptum fieri conſtat a Scriptoribus Francicis, unde tot ejuſmodi Conventus nullo delectu in Collectiones Conciliorum invecti ſunt. Verum non minus frequenter in Hiſpaniis factos eſſe congreſſus Epiſcoporum, laicorumque extra Concilia, certo certius eſt. At enim Comitiorum generalium exemplum attuli in publicatione legis Wiſigothorum; oſtendi Electiones Principum in Comitiis, ubicumque Rex moreretur, conſueviſſe fieri; ac denique palam feci, quod eorumdem inauguratio in hujuſmodi Comitiis agebatur. Ponam nihilominus, ea occaſione non eſſe actum de rebus aliis. Quid vero? celebratos negem frequenter congreſſus alios? Monumentis certis prohibeor. Sit inſtar omnium Concilium Nationale, cui aderant Epiſcopi, Abbates, Palatina Officia totius Regni. *Accedit multoties*, ajunt Patres, *ut cauſa ſalutis alicujus, vel Collationis neceſſariæ evocati a Principe, vel Metropolitano Conſinitimi Sacerdotes, venire differant, & diverſis excuſationibus agant, quibus implere quæ jubentur, omittant: hac de re naſcitur, & difficultas ordinibus, & contemtus majoribus. Et ideo ſi quis Epiſcoporum a Principe vel Metropolitano ſuo admonitus, deſignato ſibi dierum rationabili ad veniendum ſpatio, ſive pro feſtivitatibus ſummis, Paſcha ſcilicet, Pentecoſte, & Nativitate Domini celebrandis, ſive pro cauſarum negotiis, ſeu pro Pontificibus conſecrandis, vel pro quibuslibet ordinationibus Principis &c.* Patet hinc, quam multiplex occaſio erat Epiſcopis mero Conſiliariorum munere fungentibus, agendi de rebus ad Regni adminiſtrationem pertinentibus extra ſacroſanctas Synodos tanta ſemper in veneratione habitas tum ab

Conc. Tol. XIII. cap. 8.

ab Epiſcopis, tum ab Regibus, tum ab univerſis populis Hiſpaniarum; quippe ſancte omnia, riteque, ac reverenter fieri in iiſdem compertum exploratumque erat. Quare illas nuſquam appellari audies niſi ſacras Synodos, Eccleſiaſticas Regulas, Sacrorum Canonum divino omnia ſpiritu dirigente confirmationem, ſive etiam novorum Canonum pronunciationem pro fidei morumque firmitate inſtauranda. DISSERT. IV. CAP. IV.

XVIII. Convocatio Regia Conciliorũ Hiſpaniæ antiquiſſima.

Hactenus diſputata, ni ego fallor, abunde vindicant Synodos Hiſpanienſes a nota comitiorum: opinionem vero imbibitam ex hominum mentibus ut evellam penitus, de duobus diſputandum reſtat, quæ inſtar ſuperiorum propulſari non poſſunt præſidio Ordinis, atque autoritate perſpicua documentorum. Ea nimirum ſunt convocatio Regia Conciliorum, & ſubſcriptiones Virorum Illuſtrium ex Officiis Palatinis; quæ duo præcipua fundamenta ſunt Thomaſſino, ut Concilia cum Comitiis regni conjungat. Abuterer tempore, ſi Regum juſſu congregatas Synodos Hiſpaniæ omnes ſingillatim oſtenderem. Satis eſt principium & finem tum nationalium, tum provincialium Synodorum leviter uſurpare oculis, ut proprio audiantur ore Antiſtites profiteri, ſe juſſione Regum conveniſſe. Neque ulla ſupereſt ſpes effugii, ne illa quidem, quæ affulſit viris doctiſſimis, quod nimirum venerationis ac reverentiæ gratia dicantur jubere Principes, quum revera non jubeant; nam Concilia ipſa Hiſpaniarum juſſioni, ac præceptioni Regiæ minime dubiam fidem faciunt. *Juxta canonicum ordinem tempore, quo Concilium per Metropolitani voluntatem, & Regiam juſſionem electum fuerit agere, omnes confinitimos Epiſcopos in unum oportet adeſſe.... Decretum eſt de priſcis Canonibus, ſemel in anno fieri Concilium ubi elegerit Metropolitanus Epiſcopus: atque in ea ſancta regula manet ordinatum, ut Comprovinciales Epiſcopi dum a ſuo Metropolitano fuerint admoniti, præſentes eſſe debeant ad locum temporis debiti, quæ res non extra regiam agitur voluntatem.* Ita affirmant Patres Emeritenſes. Nec ſecus docent Toletani, dum: *Placuit*, inquiunt, *definire, ut Paternis inſtitutionibus obſequentes, omni anno ad peragendam celebritatem Concilii in Metropolitana Sede, tempore quo Principis, vel Metropolitani electio definierit, devotis ſemper animorum ſtudiis confluamus.* Quin etiam (lubet juſſionem hanc regiam in Hiſpaniis altius repetere) Wiſigothorum converſionem, ut vidimus Suevi præiverant: horum vero ſub Regibus Theodemiro ſeu Ariamiro, & Mi-

Concil. Emer. cap. 5. & 7.

Conc. Tolet. XI. cap. 15.

DISSERT. IV. CAP. IV. rone, duæ Bracarenſes Synodi, una Lucenſis celebratæ extant, omnes *ex præcepto Regis*. Quumque harum autoritate Synodorum diſceptaretur, tertiodecimo Eccleſiæ ſeculo ineunte, ab Archiepiſcopis Bracarenſi, & Compoſtellano, de juriſdictionis limitibus; iidem (forte antiqui moris parum ſcientes) de Bracarenſis I. & Lucenſis celebratione nonnihil dubitandum eſſe ajebant; de Bracarenſi autem II. longe ut dubitaretur quidquam, ita Innocentius III. pronunciat: *In ſecundo vero Bracarenſi Concilio: de quo non dubitatur, quin ſit authenticum*. Tamen id Concilium ſub ipſa initia: *Quum Gallaciæ*, ait, *provinciæ Epiſcopi tam ex Bracarenſi, quam ex Lucenſi Synodo cum ſuis Metropolitanis præcepto præfati Regis ſimul in Metropolitana Bracarenſi conveniſſent &c.* Cujus profecto Synodi ad majorem ſtabilitatem, Canon IX. obſervandus, unde annunciatio Paſchatis ante Concilii abſolutionem facienda, juxta allatum Ordinem, eſt deſumta; tametſi exequutioni mandatum non invenies, non enim Paſchalis Cycli ratio omnis ingenii erat.

Innoc. III. ad Compoſtell. Archiep.
Conc. Brac. II. præf.

XIX. Eademque nullatenus ab Eccleſiæ conſuetudine abhorrens.

Equidem ocioſum non movi lapidem, ubi oſtendi, perinde antiquam eſſe convocationem Regiam Conciliorum Hiſpaniæ, ac fidem Principum: turba enim Scriptorum nimis delicata prope eſt ut fuci omnis expertem veritatem a me prolatam erroris inſimulet; immo averſetur, atque condemnet. Quamobrem imminens mihi periculum declinaturus ad Magni Gregorii certiſſimi veterum Conſuetudinum teſtis autoritatem me converto. Gliſcentem in Galliis Simoniacam hæreſim eliminaturus S. Pontifex, ita Brunechildem Reginam ſuis literis affatur: *Quia tantum facinus non ſolum illis periculoſum, verum etiam veſtro Regno ſatis eſt noxium, ſalutantes excellentiam veſtram paterno affectu petimus, ut de hujus pravitatis emendatione Deum vobis placabilem faciatis. Et ut nulla deinceps valeat occaſione committi, Synodum fieri juſſio veſtra conſtituat, ubi præſente dilectiſſimo filio noſtro Cyriaco Abbate, ſub diſtricta anathematis interpoſitione debeat interdici &c.* Quid autem exſpiſcor juſſiones Regias pro convocandis Synodis provincialibus? Nonne Concilia Œcumenica Divales ſacras præſeferunt? Nonne Summi Pontifices, præſertim quos præcipuos Catholici dogmatis aſſertores veneramur, ita factum eſſe teſtantur, immo fieri voluerunt? *Generalem Synodum jubeatis intra Italiam celebrari*: ajebat Theodoſio S. Leo Magnus. Ejuſdemque conſuetudinis teſtis Hincmarus Remenſis (ut veniam brevitatis gratia ad Imperii Occiden-

Regeſt. lib. 7. ep. 113.
S. Leo M. ep. 23.

dentalis inſtaurationem a Romanis Pontificibus factam, quum ſumma Imperii, & Sacerdotii concordia erat) *Si juſſio*, inquit, *Apoſtolicæ Sedis, & præceptio Domini Caroli Imperatoris Auguſti, nos ad Synodum, ſicut præcipiunt Regulæ, vocare decreverit*. (*Opuſc.44.n.28.*) Ubi Hincmarus falſo amplectitur ſub Canonum præceptis juſſionem Imperialem, quæ nullis inhæret; attamen ſui ævi teſtis integer, & a Pontifice, & ab Imperatore convocari conſuevifſe Œcumenicas Synodos affirmat. Quamobrem longe ut eorum laudemus induſtriam, qui apocryphis prolatis Epiſtolis evidentia iſta facta negant; dolendum potius nobis eſt, quod Sancta Sedes tam imperitos antiquitatis vindices ſortita ſit, qui projicientes falſa, veris etiam argumentis fidem ne adverſarii habeant, effecerunt. Hujuſmodi figmentum ſugillans doctiſſimus Card. Noris, quo Imperator Pontificem admonere dicitur, ut generale Concilium congreget; profert vim ingentem documentorum veterum ſecus docentium, quæ ſi adeantur, (*Hiſt.Pel. lib.2. cap.9.*) rem Imperialis juſſionis extra omne dubium ponent; minuſque opportunam hujuſmodi Scriptorum ſubtilitatem palam facient.

XX. *Juſſio tamen Principum nullo jure nititur.*

Rectius eruditiſſimus Thomaſſinus (quo in Conciliis Hiſpaniæ adverſario utor, quia inexplorata re de iis diſſeruit) Juſſionem hanc Principum pertractat. Non enim Divales ſacras, quod fieri nefas eſt, impugnat; immo quicquid negotii habuerunt Imperatores circa Œcumenicas Synodos diſſertiſſime exponit, nihil eorum negans, quæ certa eſſe conſtat liquido. (*De Concil.Diſſ. 3. & 10.*) Verum ſcitiſſime *Jura* ſecernit a *Factis*. Docet convocationem Synodorum a Romano Pontifice, & Epiſcopis faciendam Divino, & Canonico jure: eodem uſos eſſe Pontificem & Epiſcopos ſub Ethnicis Imperatoribus; ac proinde ab omni fide abhorrere, quod Chriſtiani Principes eodem illos privaverint: ab eorum tantum aliquibus limphatiſſimis, ne quid detrimenti inferretur reipublicæ metuentibus, Concilia cogere fuiſſe prohibitos: Principes convocaſſe & ipſos Concilia, at autoritate a Præſulibus ſibi indulta, indeque ſacerdotii, & imperii concordiam maxime eminere: eorumdem Principum ſubſcriptiones, ſeu confirmationes Synodorum non autoritatem, ſed exſequutionem, & defenſionem præſeferre. *Summa eſt enim*, ait, *in Chriſtianos omnes Synodorum autoritas, ſed inermis: illi ergo neceſſum eſt opituletur adverſus contumaces ultrix Regum legumque potentia*. Quod quam ſapienter affirmet vir doctiſſimus, oſtendit depoſitio perduellis

DISSERT. IV. CAP. IV.

Siſberti ab Hiſpanienſibus facta: *Secundum edictum priſcum Synodicæ ſanctionis, ac decretum de talibus promulgatæ legis.*

Conc. Tol. xvi. cap. 12.

Quamquam enim in Epiſcopum animadverterint autoritate Canonis, Principis quippe lex in hujuſmodi cauſis nullius eſt roboris: tamen Canonem a Principe confirmatum ſequutos ſe ajunt.

Conc. Tol. xii. cap. 1.

Audiamus Canonem ipſum, ex Conc. Tol. XII. *Non erit jam deinceps aut ab anathematis ſententia alienus, aut a divinæ animadverſionis ultione ſecurus quiſquis ſuperbe contra ſalutem Principis aut erexerit vocem, aut commoverit cædem, aut quamcumque exquiſierit lædendi occaſionem.* Cujus confirmationem Regiam videre eſt in fine Concilii: *Synodalibus geſtis*, ait Rex, *atque decretis & debitam reverentiam honoris impendimus, & patulum autoritatis noſtræ vigorem his innectere procuramus.* Certe nemo affirmet, quod ſeu confirmatio Regia, ſeu ejuſdem autoritas in Eccleſiaſtico judicio adhibita, robur Canoni ullum addiderit, verum inficias eat nemo, quod Epiſcopi haud nudum præſidio Regis ſe adhibere Canonem profitentes, formidabiliorem cunctis ſententiam pronunciarint. Quamobrem utquumque nullo intra Eccleſiam jure pollerent Principes; eorum autoritas neceſſaria fuit Eccleſiæ, ut conſtituta ejus metuerentur. Ejuſdem prorſus ingenii ſunt Regiæ juſſiones pro convocandis Synodis, quas in Hiſpaniis fieri illis dumtaxat novum videbitur, qui tamdiu toleratas Imperiales a Romano Pontifice non conſiderant.

XXI.
Imperialis juſſio quamquam Synodis Oriẽtis prævi‹x›it, cõvocatoria generalis vix ſemel fuit.

Quumque ad Catholicorum Regum juſſiones deprehendendas exemplo Imperialium uſus ſim, compellare juvat audaciſſima illa capita, quæ factis freta, jus aſſerere non dubitarunt Imperatoribus in Orientalium Synodorum convocatione: idque ſimplici ac parabili argumento, quod Viri doctiſſimi neglexerunt potioribus validioribuſque inhærentes. Unum ſcilicet generale Concilium ab univerſæ Eccleſiæ Epiſcopis congregatis, Nicææ celebratum eſſe infelices iniquæ cauſæ aſſertores invenient anno Chr. 325. illudque non ab uno Conſtantino, in quem ob præclara in Eccleſiam merita S. Pontifex Silveſter atque omnes Catholici orbis Epiſcopi a perſequutionibus reſpirantes, quidquid honoris licuit, profuderunt; ſed una ſimul a Silveſtro Pontifice convocatum diſcent ex acclamatione Patrum Concilii generalis ſexti, cui fides major adhibenda eſt, quam ſtudioſo, rectique oſori dogmatis Euſebio, qui æquo plus Imperatori tribuit: *Conſtantinus ſemper Auguſtus*, verba ipſa Proſphonetici uſurpo, *& Sil-*

Conc. Cp. III. act. 18.

& Silveſter laudabilis magnam, atque inſignem in Nicæa Synodum congregabant. Poſt Nicænum vero Concilium Imperialem juſſionem nullam, ad univerſos Epiſcopos invenire erit, dummodo ſeries rerum analytice revocetur in mentem. At enimvero, celebratur anno 381. Conſtantinopolitanum Concilium primum, hauddum fatiſcente Imperio, diciturque in laudato Proſphonetico a Magno Theodoſio, & Damaſo coactum. Verum compertum exploratumque eſt, Damaſum habito Occidentalium Concilio, a ſolis Orientalibus celebrari Conſtantinopolitanum permiſiſſe, tametſi eſſe voluit Œcumenicam II. Synodum quippe qui doctrinam Orientalium a Fidei dogmate nullatenus diſcrepare perſpexit. Anno 431. congregatur Epheſina Synodus Œcumenica III. Ab Imperatoribus Theodoſio Juniore, & Valentiniano, ut teſtantur eorum Sacræ Divales. Res tamen ſi penſius expendatur, Metropolitas univerſæ Eccleſiæ convocari ab Imperatoribus nequiviſſe liquebit. Porro præter Italiam, & partem Africæ, Occidentales reliquas provincias ab Imperio avulſas eſſe proteſtatur hiſtoria. Epheſum vero non convolaſſe Epiſcopos ex Galliis, aut ex Hiſpaniis, ſubſcriptiones ipſæ produnt; & Capreolus Carthaginenſis Primas Vitali & Conſtantio Hiſpanienſibus ſignificat, quod ſola ex Proconſulari provincia legatus illuc profectus erat: *Quod etiam ad veſtram notitiam perveniſſe non dubito, intra Orientis partes, ubi primum peſtis illa* (Neſtorianiſmus) *ſurrexit, congregata glorioſa Synodo Sacerdotum* (*cui etiam legatio noſtra non defuit*) *&c.* Magnam igitur diminutionem patitur Imperialis juſſio, quæ ad Metropolitas omnes jactatur miſſa. Longe autem majori eſt obnoxia Divalis eorumdem Cæſarum pro Concilio Chalcedonenſi an. 451. Africa enim omnis abſciſſa ab Imperio erat: & idcirco nullum inde Epiſcopum evocatum ab Imperatoribus fuiſſe conſtat. Quamobrem, ut moleſtus non ſim congerendo exempla Conciliorum, quæ Juſſiones Cæſarum anguſtioribus ſemper limitibus circumſcribant, certiſſimam hanc veritatem mecum fateantur velim aſſertores illarum acerrimi; quod unus Romanus Pontifex qui Concilii generalis convocator Divino, & Canonico jure eſt, congregare ſemper potuit totius Catholici Orbis ſibi ſubditi Antiſtites; tametſi autoritate exterioris Eccleſiæ brachii uti maluerit; quod Principum (qui exequutores ſunt ſupremæ hujus poteſtatis in univerſam Eccleſiam) Juſſiones, propriæ ditionis limitibus circumſcribuntur; ideoque illuſoria fuiſſet Divalis ſacra pro

DISSERT. IV. CAP. IV.

Aguir. Coll. Concil. to. 2. p. 195.

pro Epheſino, ac Conciliis reliquis celebrandis, niſi Romanus Pontifex, qui obtemperantiores ut eſſent Præſules, vocari a Principe & ferebat, & jubebat, cæterarum provinciarum extra Imperii limites ſategiſſet: quod denique circumſpectio ea ſumma, ac reverentia ingens erga Principes, quam Pontifices Romani perpetuo ad noſtram uſque ætatem profeſſi ſunt, maximum argumentum eſt ſollicitudinis, quam gerunt univerſæ Eccleſiæ a Chriſto Domino ſibi creditæ, cujus conſpicua membra ſunt ipſi Principes: horum ſiquidem cum Sacerdotio concordiam ſumma ope quæſierunt ſemper, ac foverunt; quippe quæ iis merito viſa eſt ad conſervandam Eccleſiam neceſſaria.

XXII. *Nam Principes ſolius ſuæ ditionis Epiſcopos, tamquam ſubditos, congregare poterant.*

Juſſiones ipſas Imperiales non jure, ſed conſenſu & voluntate Romani Pontificis factas, ut conſtanter docent Catholici omnes Theologi, quam recte coarctaverim ad Imperii limites mox luce clarius oſtendam. Duas conſtat Synodos Generales Conſtantinopoli eſſe habitas V. & VI. annis nimirum 553. & 681. quæ ſacris Divalibus convocatæ eſſe dicuntur. At affirmet forſan aliquis, Juſtinianum, & Conſtantinum Pogonatum univerſæ Eccleſiæ Epiſcopos convocaſſe? Nil magis a veritate abhorret. In Gallæciæ primum Regno, Suevorum Reges, deinde in tota Hiſpaniarum Monarchia Gothi Catholici ſuæ ditionis convocabant Epiſcopos ad ſuæ gentis Concilia: perinde facere Brunechildem Reginam in Francia juſſam a Gregorio eſſe ſuperius vidimus: ex Regno Langobardorum in ipſa Italia nullum Præſulem accitum fuiſſe Conſtantinopolim, neque ex Anglorum regnis, teſtatur Synodica Agathonis in Orientem miſſa. Duo hinc elucent. Primum nimirum, Principes omnes Catholicos ſuæ ditionis Epiſcopos conſueviſſe ad Synodum convocare; quam rem Epiſcopi, longe ut averſarentur, tamquam priſcæ conſuetudini frequenter per Sacros Canones confirmatæ contrariam, religioni ac pietati ſuorum Principum tribuebant; conſenſu unanimi obtemperantes præcepto Regio, ſimul conveniſſe gloriabantur; atque Eccleſiæ utilitatis amantiores, quam juris invaſi vindices, ſuis Principibus (de Hiſpaniarum Epiſcopis certa res eſt) perinde ac Metropolitanis provinciales Synodos convocandi jus fecerunt. Alterum vero, Epiſcopos ab Imperatoribus convocatos (temere, atque inepte contrarium tenent Etherodoxi) non conſtituiſſe Synodum Œcumenicam, ſed cœtum Epiſcoporum Imperii Orientalis, quorum frequentia latrocinia levitatis, & errorum, quam rectæ fidei feraciores eos ſugillant. Ratio per ſe

Concil. Emer. capp. 5. & 7. Tol. XI. cap. 15.

ſe patet. Si enim Romanus Pontifex conſueto erga Principes Occidentis obſequio, dogma fidei ab Epiſcopis ſui Patriarchatus confirmatum in Orientem tranſmiſit, ut liquet de Agathone, quo, accedente Orientalium unanimitate, unitas Fidei ab univerſa teneretur Eccleſia, eademque in generali Concilio definita dici poſſet; tametſi, præter Legatos Apoſtolicæ Sedis, qui Concilio præeſſent, ex tanta Occidentalis Eccleſiæ parte Epiſcopus nullus intererat; nonniſi per maximam Eccleſiæ rerum inſcitiam, aſſentationemque inſignem tribueretur Imperatori convocatio Synodi Œcumenicæ. Idque mihi eſt ſatis de juſſione Principum agenti, ut Comitiorum notam abſtergam Synodis Hiſpaniarum. Quodſi de uſurpato iſto jure ab Imperatoribus, quos alii Principes imitati ſunt, nec Romano Pontifice, nec Epiſcopis refragantibus, tum quia conſuetudo eſſe cœperat, tum quia majoribus etiam hoſtiis litari oportuit Eccleſiæ tranquillitati, ſermo inſtituendus mihi eſſet; tunc vero haud quieſcerem facto, ſed facti neceſſitatem oſtenderem. At enim, Dogma Fidei tum quatuor in primis Synodis Œcumenicis, quibus quatuor Evangeliorum autoritatem Gregorius dedit, tum in aliis quatuor Orientalibus definitum, nonne ad putidiſſimas Orientalium hæreſes extinguendas eſt confectum? Nonne pertinaciſſimos fidei hoſtes Orientales, qui non ſemel Imperatores ipſos errorum vindices habuerunt, vi & metu coerceri oportuit? Nonne flagitantibus Imperatoribus, ut Dogma fidei, ad avertenda ſchiſmata, pacemque inſtaurandam Eccleſiæ, in generali Synodo decerneretur, indulgendum fuit, ut Imperii omnes Præſules convocarent? Cæterum ad meum inſtitutum revertens, id de Hiſpaniarum Conciliis affirmo, quod Regia eorum convocatio nullatenus ab antiqua Eccleſiæ conſuetudine abhorret; atque ea propter ne minimum quidem detrimentum illorum autoritati importat.

Diſſert. IV. Cap. IV.

XXIII. Subſcriptio Palatinorum Conciliis Hiſpaniarum nihil dignitatis adimit.

Conc. Tol. III. cap. 18.

Reſtat nunc, ut de ſubſcriptionibus Virorum Illuſtrium Officii Palatini dicendum aliquid videatur, ad dirimendum alterum ex fundamentis eorum, qui eiſdem Conciliis Regni Comitia inſerere non dubitarunt. Dixi jam, quod primo in Nationali Concilio Catholicorum Regum, ſtatuerunt Epiſcopi, ut gubernatores provinciarum & locorum convenirent cum Epiſcopis ad Concilia, idque, ut Regi morem gererent, *Ex decreto glorioſiſſimi Domini noſtri*; piiſſimus enim Reccaredus malebat ſacerdotali pietate atque æquitate ſubditas ſibi gentes gubernari, quam ſeveritate judicii: eaque propter ad Concilium, tamquam

ad

Digitized by Google

DISSERT. IV. CAP. IV. ad Cathedram, accedere illos volebat, *ut diſcant, quam pie & juſte cum populis agere debeant*. Deinde conceptis Receſvindi uſus verbis, cauſas quoque, cur Palatini intereſſent, palam feci: *Quos ex Officio Palatino, huic Sanctæ Synodo intereſſe primatus obtinuit, ac nobilitas ſpectabilis honoravit, & experientia æquitatis, plebium rectores exegit*. Ac demum non minus aperte pateſeci finem eorumdem Palatinorum Ervigii Regis ſententiam adhibens: *Ut, quia præſto ſunt religioſi provinciarum rectores, & clariſſimorum Ordinum totius Hiſpaniæ Duces, promulgationis veſtræ ſententias coram poſiti prænoſcentes, eo illas in commiſſas ſibi terrarum latitudines inoffenſibili exerant judiciorum inſtantia*. Hæc ſane omnia, longe ut admirationem mihi ingerant ob eorumdem Virorum Illuſtrium ſubſcriptiones, quæ primum inveniuntur Concilio Toletano VIII. cauſa potius ſunt cur mirer, in præcedentibus Conciliis deſiderari. Quamobrem indagare ſuperſedens, cur non antea cœperint, neceſſarias eas fuiſſe contendo Catholici ejus Regni politiæ. At enimvero vel leviter quis percurrens Wiſigothorum hiſtoriam, æque continendos in officio Epiſcopos, ac Monachos, laicoſque comperiet, cujuſvis enim generis ſive ordinis, violatores ſacramenti fidelitatis offendet. Quum itaque, Deo Opimo Maximo ſic volente, Eccleſiæ magis ſacris legibus contineri eos populos experientia perſpectum eſſet, quam Principis conſtitutis; ſive ut melius ac verius dicam, concordia Sacerdotii & Regni formidabiliores omnibus leges ferri: nemo non videt, quam neceſſario ſubſcripſerint iis legibus cujuſvis Ordinis hominibus præfecti, ne aut Epiſcopi conſtituiſſe, aut Abbates, & Palatini interfuiſſe perfunctorie viderentur. Id tamen diſcriminis ſervari oportet in ſubſcriptionibus: quod ſoli Epiſcopi Divino, & Canonico jure utentes definiebant, ac ſubſcriptione roborabant definita omnia; Abbates confirmabant definita, quæ ad Monachos ſibi ſubditos continendos attinebant: Viri autem Illuſtres ſua ſubſcriptione pollicebantur, ſe officio nunquam in populos ſibi commiſſos defuturos; cæterum nec Abbates, nec Monachi utebantur ullo jure, præter Epiſcoporum, ac Principis voluntatem, quæ ipſis ex Conciliis perſpicua ſunt.

Conc. Tol. VIII. præf.

Conc. Tol. XII. præf.

XXIV. Eorumdem Conciliorũ dignitas Epiſcoporum ore profertur.

Ipſa tamen ſacroſancta Toletana Concilia nunquam videar ſatis vindicaſſe, niſi ſententiam Epiſcoporum, qui eadem celebrabant (præferendam ſcilicet quibuslibet recentiorum commentariis) in medium afferam. Hanc lubet petere, brevitatis ergo

ergo ex Concilio Toletano IV.& ex VIII. ut perſpicuum ſit, Concilia omnia tam quæ ſubſcriptiones Palatinorum præferunt, quam quæ iis carent, ab omni Comitiorum ſuſpicione immunia eſſe. *Dum ſtudio amoris Chriſti* (ſic præfantur Patres Concilii Tolet. IV.) *ac diligentia religioſiſſimi Siſenandi Regis Hiſpaniæ atque Galliæ Sacerdotes apud Toletanam urbem in nomine Domini conveniſſemus, ut ejus imperiis atque juſſis communis a nobis agitaretur de quibuſdam Eccleſiæ diſciplinis tractatus, primum gratias Salvatori noſtro Deo omnipotenti egimus, poſt hæc antefato miniſtro ejus Excell. & glorioſiſs. Regi, cujus tanta erga Deum devotio extat, ut non ſolum in rebus humanis, verum etiam in cauſis Divinis ſollicitus maneat*. In fine autem Concilii poſt Decretum, quo Regiæ incolumitati proſpicitur, *Gloria autem & bonor Omnipotenti Deo noſtro, in cujus nomine congregati ſumus. Poſt hæc ſalus, & pax, & diuturnitas piiſſimo, & amatori Chriſti Domino Siſenando Regi, cujus devotio nos ad hoc decretum ſalutiferum convocavit*. Audiendi nunc Patres Concilii Toletani VIII. qui ſic ordiuntur: *Anno quinto orthodoxi, atque glorioſi, & vera clementiæ dignitate perſpicui Receſvinthi Regis, quum nos omnes Divinæ ordinatio voluntatis ejuſdem Principis Sereniſſimi juſſu in baſilica Sanctorum Apoſtolorum ad Sacrum Synodi coegiſſet aggregari conventum, &c.* Iidem in actione Concilii ultima definientes de Judæis: *Nihil aliud*, inquiunt, *pro his ex noſtra ſententia definitur, quam ut decreta Concilii Toletani, quod divæ memoriæ Siſenandi Regis aggregatum eſt tempore, a nobis ac poſteris omnimoda ſuppleantur*. Quibus profecto non minus Concilii hujus octavi dignitatem afferunt, quam eorum omnium quæ octavum ſunt ſequuta. Abſolutis autem decretis, gratiarum actionis compotes Palatini etiam fiunt: *Gratiarum actio, & reverentiæ plenitudo a nobis omnibus in commune ipſi Clementiſſimo Principi bonorum gratifico largitori &c.* Quam porro ſocietatem ne quis fortaſſe tribueret decreto alicui, attendi oportet caput Concilii hujus undecimum: *Decreta præcedentium Patrum, ad contentionis jurgium radicitus evellendum, rite Synodalem fieri cenſuere conventum; ut illic de diverſitate judiciorum protenſæ lites habeant terminum, ubi Spiritus Sanctus univerſalem coadunaverit cœtum .... Quum vero quælibet Sancta Synodus agitur, aut pacifice inter Pontifices quippiam definitur: ſi pauciores per neſcientiam, vel contentionem forte diſſentiant; aut commoniti pluri-*

Conc. Tolet. IV. præf.

Conc. Tol. VIII. præf.

DISSERT. IV. CAP. IV. *morum ſententiæ cedant, aut ab eorum cœtu cum dedecore confuſionis abſcedant, & excommunicationis annuæ ſententiam luant*. Quidnam deſideratur firmius, atque illuſtrius ad Conciliorum Hiſpanienſium dignitatem adſtruendam? Eſt tamen argumentum aliud, quod Thomaſſinum præcipiti eſſe uſum ſententia demonſtrat.

XXV. Comitia Regni ævo Caroli Magni nihil cum Concil. Hiſpan. rei habent.

Scriptor hic eruditiſſimus veteris & novæ diſciplinæ a capite 46. ad 52. libri tertii ſecundæ partis vires nervoſque omnes intendit, ut Nationalia Concilia in Comitia generalia Regni coaluiſſe perſuadeat. Equidem merita proſequor laude optimi ſcriptoris conatum, ut juſſionem Principum ad Comitia evocantium Epiſcopos Canonicam reſidentiæ exceptionem jure appellatam, habitamque eſſe demonſtret. Verum ut hujuſmodi conatum ab Hiſpaniarum Conciliis prorſus abludere omnes videant, Comitia ipſa in Galliis habita ævo Caroli Magni cum Thomaſſino eodem ſubjiciam oculis. Primum is exemplum affert ex Concilio Moguntino celebrato anno 813. in cujus præfatione ita legitur: *Convenit nobis tres facere turmas, ſicut & fecimus. In prima turma conſederunt Epiſcopi cum quibuſdam Notariis legentes, atque tractantes S. Evangelium, Epiſtolas, & actus Apoſtolorum, Canones, & defenſa Patrum opuſcula, Paſtoralemque librum Gregorii... In alia vero turma conſederunt Abbates, & probati Monachi, Regulam Sancti Benedicti legentes, atque tractantes... In tertia denique turma ſederunt Comites, & Judices in Mundanis legibus decantantes &c.* Silentio prætereo exempla cætera; res enim pluribus confirmari non indiget. Profecto ſiquis cum Thomaſſino ex hujuſmodi Gallicanis Conciliis in tres Conventus diſtributis, Comitiorum Cameras exculpſerit, nec dictu incredibilem, nec difficilem creditu is rem affirmet. Sacroſancta autem Hiſpanienſia Concilia, quæ uberrime, ut mihi videor, deſcripſi, cum Comitiis confundere, eo quod Epiſcopi, Monachi, & Palatini perinde ac in Galliis convenirent; nedum erudito, Eccleſiæ rerum prorſus inſcio ſcriptore indignum eſt. At enimvero Cœtum Sacrorum Judicum ſancte riteque omnia peragentem, legeſque aliquot ferentem ſpecie a Synodali conventu alienas, re autem a Conciliis non abhorrentes, quippe Ordinem quoque Eccleſiæ amplectebantur, cœtum hunc, inquam, in Comitia degeneraſſe, quis conjiciat? Aderant ſane cujuſvis Ordinis vertices, Epiſcopi, Abbates, Viri Illuſtres rectores Provinciarum, ita enim Regni tranquillitas, Regumque in-

Thomaſſin. de diſc. P. 2. lib. 3. cap. 51.

incolumitas exigebant: ſed non de regula Monaſtica Abbates, Viriqne Illuſtres de mundanis legibus pertractabant: Cauſarum Judices ſacros audiebant, verebantur eorum ſententias, definita eorumdem unanimes confirmabant. Hoc erat Hiſpanienſium Conciliorum ingenium, nonnihil, ſi mavis, ab aliarum gentium Synodis diverſum; attamen loci, temporis, rerumque conditione ſic volente. Quî enim ſecus facerent? Ita Catholicorum Regum pietas, & religio optabat fieri; atque ita factum eſſe in Oriente, ſtudio Imperatorum non ignorabant, idcirco ſanctas regulas, ſeu Canones imitari ſe, ac ſequi ſemper profitebantur. Quid igitur rei habent cum Comitiis Regni ab ævo Caroli Magni cœptis fieri?

DISSERT. IV. CAP. IV.

XXVI. Concilia Hiſpaniar. nequicquam cũ Gallicanis poſterioribus comparātur.

Mihi, ut arbitror, ſuccenſeant quicumque ab illuſtratore veteris diſciplinæ opus immenſum nævi omnis expers prodiiſſe putant: quum præſertim in diſciplinæ antiquæ corruptorem Dupinium licuiſſet invehi, qui fidenter pronunciat Concilium Toletanum XII. Comitiorum loco habendum eſſe, atque Epiſcopis non ultimum inter Regni Primores locum tribui oportere, qua, ut verum fatear, ſententia inſulſior, atque audacior nulla proferri poteſt; namque hominem dignitatis, atque autoritatis Epiſcopalis oſorem, legumque Catholici Regni fundamentalium omnino neſcium ſugillat. Wambanis ſcilicet depoſitio illi dolet, quia Regni ejus leges ignorat: Abſolutionem vero populorum a juramento, utpote nimis claram, deteſtatur, quia ſuo cum inſtituto aperte pugnat. Cæterum Thomaſſini potius opinionem explodendam ſuſcepi, quia non obiter, ut Dupinius, ſed conſulto de Conciliis Hiſpaniarum agit; viamque veri admodum ſimilem ſternit judicio, quod demum proferre de iis non dubitat. Duo is Concilia affert Gallicana Liptinenſe convocatum a Carolomanno an. Chr. 743. & Sueſsionenſe a Pipino, ſequenti anno. Eadem obſervat ſimul Synodos & Comitia eſſe; peſſum eunte Chlodovæi proſapia ſemel in anno celebrari conſueviſſe; ſub Caroli Magni ſtirpe bis quotannis haberi cœpiſſe, inſtar Comitiorum regni; ac denique ſub Hugonis Capitii ſtirpe Parlamenta audiviſſe. Hanc vero diſciplinam ad Hiſpanias quoque extendit: *Ejuſdem*, inquiens, *fuere generis Concilia propemodum omnia Toletana: ad ea Epiſcopos, Proceresſque Rex convocabat; & poſtquam Epiſcopi commentati ipſi ſecum erant ſtatuta omnia Clero repurgando accommodata; tum demum ad Proceres accedebant, una cum eis operam daturi regno in formam quam optimam*

Diſſ. 7. §. 8.

Thomaſſin. ubi ſup. c. 47. n. 4.

mam revocando. Argumento eſt Concilium Toletanum IV. Ejus laudat caput ultimum ſeu 75. de quo ſatis multa diximus ſuo loco, aliiſque ex Conciliis fere omnibus decerpit quidquid ſimilis argumenti ſuam in rem poteſt trahere. Longum eſſet retexere hanc telam viri eruditiſſimi. Ordo celebrandi Concilii a nobis allatus ex Concilio Toletano IV. & poſteriori aliquantum alio illuſtratus; alloquutiones omnes Catholicorum Regum; ac denique Potamii cauſa audita *ſolitarie tantum, ſecretimque adunatis Pontificibus Dei* (relictis videlicet Vicariis Epiſcoporum, Abbatibus, & Palatinis, qui aderant Concilio, ne Epiſcopalis flagitii teſtes fierent) contrarium aperte docent. Quod tam perſpicue patet ex diſputatis in iſto capite, ut, ſi eorum memoria conſervetur, nullus dubitem, quin Thomaſſini opinio penitus abjiciatur.

Conc. Tolet. x. decr. 1.

XXVII. Ordo Concilii apud Gallos additiones diſciplinę veteri cótrarias paſſus eſt.

Id ſilentio præteriri non debet, quod illis ex Synodis quibus utitur Thomaſſinus ad convertenda Toletana Concilia in Comitia Regni, non obſcure elicitur additamentum illud celebre Ordinis Romani antiqui a Jacobo Gajetano editi, de quo antea ſum loquutus, corruptam ſcilicet diſciplinam appellans ſuffragia presbyterorum in Conciliis, quippe quæ neque in Hiſpaniis per ſeptimum ſeculum, florente inibi diſciplina, conſueverunt admitti; neque per ſeculum quintumdecimum tolerari in Conciliis Epiſcoporum voluerunt. Quumque tum promiſerim corruptam ejuſmodi diſciplinam ſuo loco me exploraturum, occaſionem mihi videor nactus eſſe ex Conciliis a Thomaſſino laudatis. *Cum conſilio Servorum Dei*, ait Carolomannus, *& Optimatum meorum Epiſcopos, qui in meo Regno ſunt cum presbyteris ad Concilium & Synodum congregavi ego Carolomannus Dux & Princeps Francorum*. Ita in Concilio Liptinenſi. In Sueſſionenſi vero Pipinus pari modo presbyteros eſſe voluerat, ut ex eodem liquet: *Si quis hoc decretum, quod viginti tres Epiſcopi cum aliis Sacerdotibus vel Servis Dei una cum conſenſu Principis Pipini vel Optimatum Francorum conſilio conſtituerunt*. Recitandum hic eſſe iterum puto additamentum illud Ordinis celebrandi Concilii, ubi agitur de presbyteris: *Quos tamen*, ait, *ſeſſuros ſecum Metropolitanus elegerit, qui utique & cum eo judicare aliquid & definire poſſunt*. Diſciplinam hanc ſingularem Romanæ Eccleſiæ, cujus Conciliis non Pontificis electione, ſed veteri ex conſuetudine Vertices Cleri presbyteri Cardinales intererant, judicabant, definiebant cum Epiſcopis; obtinuiſſe in Hiſpa-

Conc. Lipt. an. 743.

Conc. Sueſſ. an. 744. cap. 10.

Mabill. Ordin. XIV. cap. CIV.

Hiſpaniis nemo auſit affirmare: vix ſiquidem Nationalibus in Synodis, ſeu Conciliis Regiæ urbis tres præcipuas cleri dignitates Archipresbyterum, Archidiaconum, & Primicerium id feciſſe comperiet. Nec niſi maxima in ea diſciplinæ omnis calamitate, Arianorum tempore, aliquid ſimile deprehenditur in Concilio Tarraconenſi, quod ſuadente neceſſitate eſſe factum corruptiſſimi clericorum ejus provinciæ mores, quin etiam ſcelera, aperte docent. Hac de re ſimul decernunt Epiſcopi cum ſuo Metropolita Joanne: *Ut non ſolum a Cathedralibus Eccleſiis presbyteri, verum etiam de diœceſanis ad Concilium trahant, & aliquos de filiis Eccleſiæ ſæcularibus ſecum adducere debeant*. Verum eos Presbyteros non advocandos, ut cum Epiſcopis definirent, præſentiſſimum argumentum eſt Gerundenſe Concilium anno poſt celebratum cui nullus presbyterorum ſubſcripſit. Acceſſendi erant igitur, ut definita ab Epiſcopis audirent: quod ſane doctrinæ potius compendium dixerim, quam diſciplinæ inſuetum genus. Itaque ſi ne tanta quidem in rerum calamitate apud Hiſpanos nanciſcimur additamenti ejus argumenta, quæ contra certa ſuppetunt ex laudatis Gallicanis Synodis, certo certius eſt, non alibi, quam in Galliis additamentum illud a diſciplina veteri abhorrens, acceſſiſſe Ordini laudato, quem a Wigilano profectum jure dixi; quicquid enim additum, quicquid ademtum eidem ſit, ſumma rei eadem eſt. Qua etiam de cauſa mutationes, & additiones reliquas prætermitto, tamquam meo cum inſtituto minus facientes.

DISSERT. IV. CAP. IV.

Conc. Tarr. an. 516. cap. 13.

XXVIII. Ex eo tempore, quum ſub majoribus Domi diſciplina, & religio peſſum ierant.

Abſit, ut Gallicanæ Eccleſiæ Præſulibus antiquis vertamus vitio diſciplinam contra Canones, prorſuſque novam excogitatam. Præterit enimvero omnium neminem, quod florente in Hiſpaniis, atque in Narbonenſi Gallia Catholica religione, atque Eccleſiaſtica diſciplina; in Galliis, Germaniis, ac Belgicis ex adverſo ſenſim collabens, ac denique ſub Ebroino, ac ceteris majoribus domi utraque ad incitas redacta, Pontificis Zachariæ, ac Bonifacii Moguntini ævo, Eccleſiam illam ad extremum miſeram conſtituerant. Id teſtatur Hincmarus: *Tempore*, inquiens, *Caroli Principis, quando propter diſcordiam, & contentionem de Principatu, inter eum & Raganfredum, & frequentia ac civilia, imo pluſquam civilia, quia inteſtina, & parricidialia bella in Germanicis & Belgicis, ac Gallicanis provinciis omnis religio Chriſtianitatis pene fuit abolita, ita ut Epiſcopis in paucis locis reſiduis Epiſcopia laicis donata & rebus diviſa fuerint*.

Epiſt. 6. cap. 19.

Te-

DISSERT. IV. CAP. IV.

Teſtiſque oculatus Bonifacius Zachariæ legatus peſſimam hanc Eccleſiæ conditionem deſcribens Pontifici: *Franci enim*, ait, *ut ſeniores dicunt, pluſquam per tempus octoginta annorum Synodum non fecerunt, nec Archiepiſcopum habuerunt, nec Eccleſiæ canonica jura alicui fundabant, vel renovabant .... Maxima ex parte per Civitates Epiſcopales ſedes traditæ ſunt laicis cupidis ad poſſidendum, vel adulteratis clericis, ſcortatoribus & publicanis ſeculariter ad perfruendum .... Noviſſime, quod pejus eſt ſub talibus teſtimoniis per gradus ſingulos aſcendentes ordinantur, & nominantur Epiſcopi*. Quamobrem haud effugeret temeritatis notam, qui Francorum Regno, ſive Germaniis, Galliis, Belgicis, ut tunc audiebant, immerentibus notam iſtam inureret; non ſecus atque earum provinciarum Epiſcopi, qui Gregorii magni ævo Apoſtolicas vices in Arelatenſi Metropolita adhuc reverentes, ac privilegiis & ipſi ornari ab eadem Sede Apoſtolica optantes, & Sacrorum Canonum, & Decretorum Pontificum cuſtodes plerique, gliſcentia potius mala eradicare, ac vitiatam inſtaurare diſciplinam ſtuduerant; earum, inquam Epiſcopi provinciarum nec Canonibus, nec decretis Pontificum hærentem excogitaverint diſciplinam. Dura ſcilicet neceſſitate id cogente, dum nedum diſciplina in eo Regno, ipſa religio interierat, quidquid Epiſcoporum, ac presbyterorum potuit, coactum eſt, Bonifacio Moguntino agente, & quatenus licuit, tractari cœpit immenſum illud vulnus, quod cæteroqui nonniſi regnante Magno Carolo cicatricem obduxit. Id vero nec novum, neque inauditum, ubi agitur de religione ipſa peſſumdata inſtauranda: primi ſiquidem Canones, qui in Eccleſia creduntur facti, nempe Illiberitani, ex Concilio novemdecim Epiſcoporum, ac presbyterorum ſex & viginti ſimul definientium & ſubſcribentium prodierunt. Novum porro, atque inauditum eſſet ex hujuſmodi rerum ſtatu veterem diſciplinam exprimere, fidenterque illam cum Hiſpanienſi omnibus abſoluta numeris comparare; quod tamen Thomaſsinus, hac certe in parte minus eruditus ſumma ope conatus eſt facere.

Cod. Bonif. ep. 132.

XXIX. Nempe poſtquã coaluit Gallia Gothica cum Francorum Regno.

Dixiſſet: Gallicanam Eccleſiam diſcordiis civilibus, cupiditate, ignorantia, Sacerdotum flagitiis peſſumdatam, diſciplinæ omnis, ac religionis exſpertem poſt ſeculi fere integri ſpatium miſericors Deus reſpexit; quare Bonifacii Moguntini ope, ac ſtudio Principum, qui ſuorum prædeceſſorum irreligionem indignabantur, Carolomanni videlicet, & Pipini, coacta ſunt Concilia

cilia duo, quorum ingenium haud multum diſcrepat ab iis, quæ per ſeptimum ſeculum in Hiſpaniis celebrabantur: niſi veram, veræ admodum ſimilem rem, affirmaſſe videretur. At ſumma in ea religionis, diſciplinæ, Præſulum, rerumque omnium Eccleſiaſticarum anguſtia, congregatas Synodos Epiſcoporum, presbyterorumque & laicorum, conſtituiſſe inſtar moduli ad Concilia propemodum omnia Toletana circumſcribenda intra limites Comitiorum; id vero qui diſciplinæ veteris illuſtrationem appellare non dubitat, is dormire in utramque aurem vel pueris videretur. Hinc eſt, quod hanc ego partem diſciplinæ depravatam appello, indeque id tantum commodi in rem meam deſumo, quod nuper indicabam, additamentum videlicet Romani ordinis, quod in Wigilano deſideratur, factum eſſe in Galliis, calamitoſiſſimi ejus ævi conſuetudinis, ſeu potius neceſſitatis ratione habita: etenim, ut verum fatear, tota in antiquitate Occidentalis Eccleſiæ argumenta ejus rei certiora non ſuppetunt laudatis duobus Conciliis, quæ a Thomaſſino adhibentur ad aſſerendam Toletanis naturam Comitiorum. Me profecto non fugit, quod in præcipuis Sedibus, præſertim in Alexandrina, & Conſtantinopolitana, etiamſi presbyteri Cardinales in iis non eſſent, ut Romæ; earumdem tamen presbyteri Conciliis Epiſcoporum aderant, cumque iis deliberabant. Verum indagare nihil morans, num iſtæ Synodi melius conſilia, cœtus, congregationes in gravioris alicujus momenti negotio appellarentur, quam Concilia; id certum mihi eſſe dico, quod laudatum utrumque Concilium tanto a Toletanis diſſidet intervallo, quantum cœmenta, materieſque omnis congeſta ad excitandum ædificium, ipſo diſtant ab ædificio affabre elaborato. Quamobrem comparatione, qua utitur Thomaſſinus, prorſus rejecta, de Gallicanis Conciliis octavi ſeculi diſciplinam omnino aliam ſtabilire oportet. Imitati ſunt ſcilicet Gallicani Epiſcopi morem Hiſpanienſium, ad convocationem, celebrationemque Conciliorum quod attinet. Nec difficile factu hoc illis fuiſſet, etiamſi nullo alio uterentur præſidio; namque Narbonenſis provinciæ Epiſcopos, qui, vigente Regno Gothico, ac diſciplina Eccleſiæ Hiſpanienſis, convocabantur ad Toletana Concilia, norantque optime, conſtanterque retinebant abſolutiſſimam eam diſciplinam, dum cæteræ Francorum provinciæ peſſumibant, quam utique per Reges Francos ſervare iis licuit poſt calamitates Hiſpaniarum, Narbonenſes inquam Epiſcopos adhibere magiſtros poterant. De quibus

DISSERT. IV. CAP. IV.

DISSERT. IV. CAP. IV. bus rebus ut conſtet, non tædeat per ocium adire Occitanam hiſtoriam; mihi enim eſt ſatis autoritate Annalium cum Petro Marca aſſerere Chriſtianam religionem, patriaſque leges Gothis provinciæ ejus: *Pipinus Rex*, ait Annaliſta Metenſis anno 752. *per trienn. bellum Narbonem obtinuit; expulſiſque de tota Gothia hominibus illis; Chriſtianos de ſervitio Sarracenorum liberavit.* Et alius Annaliſta celebris: *Franci Narbonam obſident: datoque ſacramento Gothis, qui ibi erant, ut ſi Civitatem partibus traderent Pippini Regis Francorum permitterent eos legem ſuam habere &c.*

Marc. Hiſpan. lib. 3. c. 4.

XXX. Quod comprobatur prolatis Conciliis ipſis. Ad reliquas vero Concilii partes quod ſpectat, Gallicana plurimum ab Hiſpanienſibus diſcrepare non eſt mirum. Quandoquidem antequam Gallia Gothica potiretur Pipinus, dum Princeps, ac Dux Francorum adhuc erat, quæ fuerant Concilia celebrata, quum agebatur de inſtauranda religione, & Eccleſiaſtica diſciplina, quantumlibet ſe torqueat qui ſecus ſentit, ad laudatum Ordinem celebrandi Concilii, qui apud Hiſpanos viguit, pertrahi nequaquam poſſunt. Regnante autem Pipino, hujuſque ſucceſſore & filio Carolo, qui poſtea Imperator, tum ex plurium annorum apud Gallicanos conſuetudine, tum ex Narbonenſium rediviva diſciplina, ordo ille eſt conflatus, qui cœremoniam eam omnem Wiſigothorum Regum, utpote Francis non arridentem rejicit, ſuffragia Presbyterorum admittit, mutationeſque alias, quæ ipſum conferenti cum Wigilano patent, continet: ejuſque autor non eſt alius, quam conſarcinator ille Iſidorus Peccator, de quo alibi dictum fuit. Hunc ipſiſſimum liquet eſſe editum a Jacobo Gajetano in ſuo Ordine Romano, ex illo ſimili, quem Harduinus profert ex Codice Pariſienſi: namque provinciali Synodo aptior eſt, quam Wigilanus, qui Nationalis etiam Concilii Ordinem præſefert. Eumdem vindicare nil melius poteſt quam exempla; quæ uno eodemque tempore diſcrimen cum Wigilano, ac proinde inutilem Thomaſſini conatum ſubjicient omnium oculis. Anno 788. Narbone habetur Concilium adverſus Felicem Urgellitanum, & pro Eccleſiaſticis aliis cauſis. Idem eſt celebratum autoritate Hadriani Summi Pontificis, & Caroli Regis, qui per ſuum Legatum Deſiderium Concilio intereſt: *Complurimorum Collegio Venerabilium Epiſcoporum, una cum autoritate Domini Apoſtolici, Miſſoque prædicto Domini Regis Caroli &c.* Certe qui Wiſigothorum Regum ingreſſum in Concilii locum, adorationem, exhor-

Conc. Lab. to. 1. pag. 7.

De la Land. pag. 85.

hortationem, ac poſt benedictionem diſceſſum, antequam aliquid decernant Epiſcopi, animo reputet, ex Regii legati præſentia diſcrimen colliget celebrationis, cauſaſque cur ea quæ Regem ſpectant, deſiderentur in ordine. Has vero lubet clariores afferre ex Concilio alio, cui Rex Carolus per ſe, non per Legatum intererat. Anno 794. Adriani ejuſdem autoritate, & Caroli Regis juſſione celebratur Synodus illa celebris Francofordienſis, in qua Elipandus Toletanus Præſul, & Felix Urgellitanus condemnantur præſente Carolo. Ventum deinde eſt ad negotia cætera: eorumque in definitione legere eſt: *Statutum eſt a Domno Rege, & Sancta Synodo ... Definitum eſt a Domno Rege & S. Synodo &c.* Poſtremo Carolus, qui decreta omnia Concilii ſua ipſius autoritate roborari audiverat Epiſcoporum ore, *Dixit etiam Dominus Rex in eadem Synodo, ſe a Sede Apoſtolica, id eſt ab Adriano Pontifice licentiam habuiſſe, ut Angilramnum Archiepiſcopum in ſuo palatio aſſidue haberet propter utilitates Eccleſiaſticas: deprecatus eſt eamdem Synodum &c.* Unde maxima pii Regis veneratio erga Epiſcopos, eaque cum Wiſigothorum obſequio facile comparanda, conjicitur: ſed locus Regiæ allocutionis clam nemine eſſe patitur, quod contra Wiſigothorum morem Rex Concilio interfuerat ab initio ad finem.

DISSERT. IV. CAP. IV.

Conc. Francof. cap. 55.

XXXI. Unde fit evidens additio, quæ ſuffragium dat Presbyteris.

Atque hæc quidem perſpicue oſtendunt inter utrumque Ordinem deſcrimen. Additio vero illa presbyteris ſuffragium cum Epiſcopis tribuens, non minus dilucide, ita me Deus amet, deprehenditur facta eſſe in Galliis ex libello eo celebri Sacroſyllabo a Francofordienſi eadem Synodo ad Hiſpaniarum Epiſcopos directo. Siquidem ex eo conſtat, Presbyteros, Diaconos, Clerumque omnem præſente Rege, atque Epiſcopis ſedentibus, ſtare circum conſueviſſe, contra quam Ordo Wigilanus docet, qui ſuffragium presbyteris non tribuit, verum ſedere eos jubet *a tergo Epiſcoporum*, ſtantibus Diaconis. Verba libelli non indigent commentariis: *Quadam die*, inquit, *reſidentibus cunctis in aula Sacri Palatii, adſiſtentibus in modum coronæ Presbyteris, Diaconibus, cunctoque Clero ſub præſentia prædicti Principis*. Hinc eſt quod ſedere ex presbyteris ii tantum poterant, quibus Metropolitani arbitratu ſuffragium permittebatur. Eſtque id perquam apertum in laudata Ordinis additione: etenim poſt ea verba: *Presbyteri a tergo eorum reſideant*: continuo conditio hæc ſubjungitur: *quos tamen ſeſſuros ſecum Metropolitanus elegerit, qui utique & cum eo judicare aliquid, & defi-*

Libell. Sacroſyll. Conc. Francoford.

nire poſſunt. Itaque præter magnum id diſcrimen, quod vidimus Gallicanis Conciliis cum Hiſpanienſibus intercedere, quia illis aderat Rex (utquumque obſequii ac venerationis plenus) uſque ad finem; Hiſpanienſia vero in quæ Rex ingrediebatur, ab iiſque cum benedictione diſcedebat, nonniſi abeunte Rege celebrabantur: non levis momenti aliud erat diſcrimen, quod presbyteri aut non ſedebant, aut ſi una cum Epiſcopis ſedebant, una etiam ſimul cum iiſdem judicabant. Quamobrem nullatenus poſſunt Concilia Hiſpanienſia conferri cum Gallicanis: immo potius longe ut horum exemplo illa in Comitiorum naturam convertantur, optimo meritoque jure affirmandum eſt, quod, præter convocationem, quam Principibus indulſit Romanus Pontifex, ordinem celebrandi Concilia Gallicani Præſules ab Hiſpanienſibus mutuati ſunt. Non autem res tanta antiquitate remotas, &, quod pejus, tantis obvolutas tenebris data opera, dubii omnis expertes venditarem; niſi mature omnibus ad trutinam revocatis, tam quæ ex monumentis veterum pugnant cum Thomaſſini opinione, quam quæ ex Recentiorum aliquot argumentis rejici non poſſe (cum inſana eorum doctrina) intelligo, id mihi licuiſſet eruere, quod legentium oculis mox ſubjiciam. Erit hoc ſcilicet inſtar coronidis eorum, quæ de Hiſpaniarum Conciliis diſputavi, ut Comitiorum notam injuria iiſdem inuſtam oſtenderem, eorumque autoritatem pro meis viribus vindicarem: quin etiam prolixi hujus capitis velut complexio quædam erit, ut rei ſumma variis ſæpe argumentis diſtracta, breviori nunc ſermone collecta mentibus altius ſedeat.

XXXII. *Additiones fere omnes diſciplinæ veteri contrariæ Iſidoro Mercatori referuntur acceptæ.*

Ut Hiſpaniarum Conciliis præcipue Toletanis dignitas, & autoritas, vanis argumentationibus labefactata, citra quælibet teſtimonia veterum aſſeratur, ſatis eſt noſſe, quod ex tribus Ordinis celebrandi Concilii exemplis primum & alterum ad Hiſpanias pertinent; tertium ad Gallias. Primum, utpote in Concilio Toletano IV. editum, omni procul dubio ad Hiſpaniarum Concilia ſpectat; alterum, quo illuſtratur primum, tam evidens eſt in Conciliis ipſis, ut inter eruditos jure conſtet, ordinem qui præfertur in Collectionibus Conciliorum ad Hiſpanienſes Synodos pertinere. De tertio tantum exemplo, quod in laudato Ordine Romano extat apud Mabillonium, quæſtio eſt. Hunc ſane Ordinem falſo eruditi confundunt cum altero Hiſpanienſi, quem purum putumqne edidit ex Cod. Wigilano Card. Aguirrius; quod præ aliis videmus factum in nuperrima Collectione Conci-

ciliorum, tametſi charactere Italico exhibeantur deſiderata in edito ab Harduino in Collectione Regia, & a Mabillonio in Muſeo Italico. Multum ſiquidem diſcrimen eſt huic Ordini cum Hiſpaniarum veteri diſciplina. Ratio autem ſuppetit ex Harduino eodem, qui ſe vulgare eum fatetur ex Codice Pariſienſi Collectionis Iſidori Mercatoris, e cujus figlina tot falſa documenta prodierunt. Collectionem hanc Card. Bona putat a Riculfo Moguntino ex Hiſpaniis in Gallias delatam labente octavo ſeculo; Natalis inſuper docet, quod Angilramnus Metenſis Epiſcopus omnium primus eadem uti cœpit in Collectione Capitulorum, quæ Adriani Pontificis mentito nomine circumfertur; ita ut de hujus collectionis ætate noſtris temporibus dubitare ſit inutile. Itaque intra limites octavi ſeculi farrago hæc ineptiſſima, quæ ſpecie Apoſtolicam Sedem gloria implet, re autem vera ejus dignitatem, & autoritatem immaturis rerum eventibus diſturbat, coarctari debet. Quæ quum ita ſint, mea nihil refert indagare figulum, quem malim cum Card. Bona Hiſpanum credere, quam Germano-Gallicum cum homine Heterodoxo, tametſi hac in re adhæream hujus argumentis; attamen ſedulo animadverti velim, quod Metenſem illum Epiſcopum Angilramnum, qui primus Iſidorianas merces venditavit, Synodus Francofordienſis Carolo Regi conceſſit, ut rerum Eccleſiaſticarum ſatageret: quod ex optima ea diſciplina, quæ per ſeculum ſeptimum in Hiſpaniis viguit, & ex ea corruptiſſima quam in Galliis nuper vidimus, Narbonenſis provinciæ Epiſcoporum ope, qui jam parebant Francis, Ordo celebrandi Concilia eſt conflatus cum illa additione, quæ ſuffragium dat presbyteris; ablatis ſcilicet iis omnibus, quæ Regem ſpectant, non enim Francorum Reges in Synodis imitari Wiſigothos conſueverunt, tempeſtive adveniendo, orando, adhortando, benedictionis munus accipiendo, atque ab Epiſcoporum præſentia recedendo, ne diſceptationibus, atque definitionibus libertatem auferrent; ſed una cum Epiſcopis reſidentes, quidquid decernebatur, audiebant, ipſorumque in oculis Concilia celebrabantur: quod denique magna in ea concordia Sacerdotii & Regni, quæ inter Romanum Pontificem & Reges Francos diu viguit, Epiſcoporum, qui in ditione Francorum erant (necnon S. Sedis, ratione Patriciatus, poſtea etiam Imperii, ut nempe hæc defenſorem ſuum haberet) ad Gallicana Concilia ſimul confluentium diſciplina cum Hiſpanienſi veteri haud comparanda emerſit, quam eruere unuſquiſque poteſt ex

Rer. Lit. l. 1. c. 3

Hiſt. Eccl. ſec. 1. diſp. 21. appen.

DISSERT. IV. CAP. IV.

Gallicanis Conciliis Francofordienſe conſequutis. Magnum certe pondus huic diſciplinæ acceſſit ex Romanorum Pontificum approbatione. Quî autem ſecus facerent? Virtute ac pietate Francorum Regum Italia omnis, & Sancta Sedes a barbarorum tyrannide, & ab Orientalium vexationibus erant ereptæ, ampliſſimi Francorum Regni Eccleſia peſſumdata, & conculcata religio excitata fuerat, diſciplina ſenſim inſtaurabatur. Præterea farrago illa Canonum & Decretorum pietate magis quam verſutia docente conflata erat, magnum diſciplinæ damnum inlatum fuerat; ſed religioni & S. Sedi (quamquam non neceſſarium, & quod offendiculum olim futurum erat rerum ſcientioribus ipſis Gallicanis quorum majores eam conflaverant) non modicum additum incrementum.

CAPUT V.

De diſciplina Eccleſiæ Hiſpaniarum per Secul. VII.

I. OEconomia diſputandorum hoc, & ſeqq. capp.

PLURA coaleſcentis diſciplinæ ſemina inter calamitates Eccleſiæ hujus, dum Ariani Principes potiebantur rerum, indicaſſe me memini, atque huc lectorem invitaſſe, ut abſolutiſſimam Eccleſiæ ejuſdem diſciplinam aſſequeretur ſub Catholicis Regibus. Fore autem confido, ut fallaci ſe illectum ſpe non dicat, ubi, quæcumque diſſerere nunc demum inſtituo, ad finem perduxero. Curabo ſcilicet moleſtiæ partem Lectori auferre ita rerum molem digerendo, ut, quæ unius Capitis ductu nimis multis enarrare paragraphis oporteret, perſpicuitatis gratia ſingulis ea capitibus perſequar. Itaque, tametſi mores Clericorum, Divinorum Officiorum Ordo, & Beneficia Eccleſiaſtica, ad unicum Diſciplinæ Caput referri poſſe videantur; ego tamen hoc primo capite nonniſi de Officio, inſtitutiſque Clericorum diſſeram, deinde de eorum moribus, atque judiciis, ac demum de Eccleſiaſticis beneficiis ſingillatim diſputabo. De Divinis autem Officiis brevem ac peculiarem diſſertationem inſtruam, quum de veteri liturgia poſtremum omnium diſputabo. Ad officium & inſtituta Clericorum quod ſpectat, necnon ad primævos illos Eccleſiaſticorum mores, diſciplinam ubique veterem videre erit a priſcis inſtitutam Pontificibus uſque ad Gregorium Magnum, Canonibuſque Conciliorum quatuor Generalium, localiumque plurimorum, mirabili conſenſu Præſulum ſtatutam. Nonnihil ſæpe occurret rigidiuſculum, redolenſque priora Eccleſiæ adole-

leſcentis tempora. Id vero notandum potius eſt ut conſtantiam, DISSERT. IV.
ſtudiumque ardens Epiſcoporum, raro utentium cum S. Sede CAP. V.
commercio, debitis proſequamur laudibus, quam ut inde immutabiles Diſciplinæ leges audeamus exprimere. Quis enim neſciat, ſupremum Eccleſiæ Principem Romanum Pontificem pro locorum, temporum, rerumque conditionibus moderari Eccleſiam omnem, modo novas ferendo leges, quæ univerſam obligent; modo aut ſtatuta localium Synodorum, aut conſuetudines alicujus Diœceſis, ſeu Regni, confirmando, ut generalis induant legis naturam; modo demum adhærendo Principum, Præſulumve votis, ita ut peculiarem alicubi diſciplinam obtinere permittat, quam nedum cum veteri nullatenus comparandam, cum recenti etiam Romana conferendam nemo ſuſciperet. Ipſa autem hæc Diſciplinæ varietas, quæ ſummam rei ne minimum quidem mutat, audaciam eorum ſugillat, qui rudem adhuc, tenuique penu Eccleſiam quarti ſeculi, atque ejus diſciplinam afferre non verentur, ſplendidiſſimæ illius inſtar, quæ ſenſim eximia habuit incrementa, quemadmodum ſpectare nobis licet. Non enim ii reputant abuſus, & corruptelas, quas politiæ huic Eccleſiaſticæ viciſſitudines intulerunt; neque animadvertunt, quod quandoque utilitate prodeunte, quandoque etiam urgente neceſſitate, paterno providoque Romani Pontificis conſilio, quem Divina ſemper Sapientia illuminat, multa indulgenter conſtituta ſunt, quæ licet minus rigida, remiſſioraque videantur, unum nihilominus eumdemque ad ſanctiſſimum finem collineant, ut in Fidei morumque unitate Univerſa Eccleſia perſeverans, per mutabilem hanc, variamque diſciplinam ad immutabilis, perpetuæque Sapientiæ amorem bonis actibus provehatur. Ordiar igitur ab inſtitutis, moribuſque Clericorum Hiſpaniæ, quæ duo hujus capitis materiam fore ſum pollicitus.

Multiplicem de Ordinis gradibus, ſeu de minoribus Ordinibus quæſtionem, immo, ſi Deo placet, diſcrepantiam inter veteres tum Græcos, tum latinos Scriptores, prætermiſi lubens, ad Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos mea omnia convertens. Nec litem mihi, arbitror, quiſquam moveat, quod de re prioribus Seculis tam incerta jejune admodum ſim loquutus, decreta potius Conciliorum, Romanorumve Pontificum opportune afferendo, quam inſtaurando poſt doctiſſimos recentiores, præſertim Joannem Morinum, diſputationem. Quod ſicui, Scriptorum fortaſſe diſſidia hac de re, parum certam Ordinationum diſci-

II. Ordinationes Clericorum antiquitus arcanæ prodierunt 4. ſec.

Digitized by Google

DISSERT. IV. CAP. V. diſciplinam, utpote ſerius emergentem, injecerint; in Arcani memoriam redire eum oportet, a cujus legibus immunem non fuiſſe ordinem jure contendit Scheleſtratius. Quam ſane doctrinam eruditiſſimi viri confirmat Canon Laodiceni Concilii anno nimirum 320. celebrati, non multo poſtquam Eccleſia a perſequutionibus reſpiraverat. *Quod non oporteat*, inquit, *ordinationes ſub conſpectu audientium celebrari*: multoque clarius Chryſoſtomi verba in epiſtolam ſecundam ad Corinthios, quæ is Caſaubono accepta refert: *Qui in ſacrum ordinem*, ait, *cooptaturus eſt aliquem, fidelium preces exigit illo tempore: atque illi aſſenſu ſuo, quæ geruntur comprobant, & acclamant illa, quæ nota habent initiati. Nam apud eos qui initiati non ſunt, omnia retegere fas non eſt*. Hinc eſt, quod Scheleſtratius idem verba Baſilii de tribus Sacramentis Euchariſtia, baptiſmo, & oleo, *quæ enim nec intueri fas eſt non initiatis, non conveniebat horum doctrinam publicitus circumferri ſcripto*, jure ad Ordinis ſacramentum extendit. Seculo autem quarto jam provecto, ubi Eccleſia nihil ſibi amplius metuendum agnovit, ſcripto etiam mandari ubique cœperunt, quæ jamdiu traditione nitebantur; tametſi in vulgus minime emiſſa ſint, ajente Iſidoro: *Multa ſunt quæ carnalium, minuſque intelligentium ſenſibus occultantes Sacerdotes, quaſi ſub ſignaculo abſcondunt, ne indignis quibuſque Sacramenta Dei aperiantur*. (*De off. Eccl. l.* 2. *c.*6.) quod de ſui ævi ordinatione Epiſcopali teſtatur. Ac de ordinationibus quidem luculentiſſimum habemus teſtem Concilium Carthaginenſe IV. al. III. anno 398. celebratum. De ordinando enim Epiſcopo, Presbytero, Diacono, ſic decernit: *Epiſcopus quum ordinatur, duo Epiſcopi ponant, & teneant Evangeliorum Codicem ſuper caput, & cervicem ejus, & uno ſuper eum fundente benedictionem, reliqui omnes Epiſcopi, qui adſunt manibus ſuis caput ejus tangant. Presbyter quum ordinatur, Epiſcopo eum benedicente, & manum ſuper caput ejus tenente, etiam omnes presbyteri, qui præſentes ſunt, manus ſuas juxta manum Epiſcopi, ſuper caput illius teneant. Diaconus quum ordinatur, ſolus Epiſcopus, qui eum benedicit, manum ſuper caput illius ponat, quia non ad ſacerdotium, ſed ad miniſterium conſecratur*. Deinde pergens aliorum graduum minorum diſciplinam abſque benedictione, ſeu manuum impoſitione, deſcribere: *Subdiaconus*, inquit, *quum ordinatur, quia manus impoſitionem non accipit, patenam de Epiſcopi manu accipiat vacuam, & calicem*

De Diſc. Arc. cap. 2. *art.* 2.

Conc. Laod. c. 4.

Hom. 18.

Conc. Carth. IV. *capp.* 2. 3. 4.

Ibid. cap. 5. & *ſeqq.*

licem vacuum. De manu vero Archidiaconi urceolum cum aqua, & mantile, & manutergium. De Acolyto, Exorciſta, Lectore, Oſtiario habes in Pontificali Romano ipſiſſima Concilii verba, ſi numerum ſingularem ad plures in Pontificali aptatum excipias. Unum videre eſt Pſalmiſtam a nova diſciplina diverſum, ex qua Clericos initiari conſueviſſe liquet per primam Tonſuram, Pſalmiſtæ officio prætermiſſo. De hoc igitur ita Concilium loquitur: *Pſalmiſta, ideſt Cantor, poteſt abſque ſcientia Epiſcopi, ſola juſſione presbyteri, officium ſuſcipere cantandi, dicente ſibi presbytero: Vide, ut quod ore cantas, corde credas, & quod corde credis, operibus comprobes*. Nec vero inter minores ordines recenſendum, aut cum prima tonſura confundendum, conſtabit infra. *Ibid. cap. 10.*

III. Diſciplina Ordinationum in Hiſpaniis ſeptē primis ſeculis.

Diſciplinam hanc Ordinationum non ſtatutam in Africa, ſed declaratam juxta conſuetudinem traditione Patrum inhærentem, ac propterea unam eamdemque in univerſa Eccleſia fuiſſe teſtatur Codex Sacramentorum Gelaſianus vix, immo ne vix quidem diſcrepans verbo in aliquo. Hinc eſt, quod Præſules Hiſpani, ut ſcripto mandatam præſtohaberent, ſingula ea Carthaginenſis Capita in ſuum Codicem retulerunt; quare fidem nobis faciunt, quod ubi primum hæc diſciplina ſcriptis vulgari potuit tota Hiſpania, ſub Gothorum ſaltem Catholicis Regibus, factum eſt quantocyus, ut tota ea Monarchia unam, eamque firmam atque conſtantem de Ordinationibus peragendis Regulam cuſtodiret. Eſtque id adeo certum, ut minime peregrinandum nobis ſit extra Carthaginenſes eoſdem Canones, quibus ex laudatis capitibus Codicis Regulam aliunde aliam non eſſe petitam conſtat liquido. Ex iiſdem ſane capitibus alia etiam omnia eruuntur, quæ ad univerſam Clericorum diſciplinam pertinent. E re autem noſtra eſt animadvertere quo præſertim tempore ordinationes ipſæ fierent, monente eodem Codice, qui minorum ordinum tempora ſilentio præterit; ubi autem venit ad Diacones: *De ordinatione*, inquit, *Diaconi, vel totius Ordinis, ut die Dominico celebretur, & ut ordinans, vel ordinandus ſabbato jejunent. Ep. Leon. ad Dioſc. tit. 1. De ordinatione totius ordinis quibus menſibus, & temporibus fiat; Decr. Gelaſii tit.* 13. Eaſdem Leonis & Gelaſii Decretales Epiſtolas affert infra de presbyteris; tametſi ex Leone alia verba profert, videlicet: *Ut, ordinatio presbyteri ſabbato ad veſperam celebretur*. Quamobrem utriuſque Pontificis Decreta ipſa recitari oportet. *Quod ergo*, ait,

Cod. Vet. Can. lib. 1. tit. 18. & ſeqq.

Ibid. tit. 25. & 31.

S. Leo ep. 81.

ait Leo, *a Patribus noſtris propenſiore cura novimus eſſe ſervatum, a vobis hoc volumus cuſtodiri, ut non paſſim diebus omnibus ſacerdotalis, vel Levitica ordinatio celebretur: ſed poſt diem ſabbati ejus noctis, quæ in prima ſabbati luceſcit exordia deligantur: in quibus bis, qui conſecrandi ſunt, jejunis & a jejunantibus ſacra benedictio conferatur. Quod ejuſdem obſervantiæ erit, ſi mane ipſo Dominico die, continuato ſabbati jejunio celebretur..... bis qui conſecrandi ſunt, nunquam benedictio, niſi in die reſurrectionis Dominicæ tribuatur, cui a veſpera ſabbati initium conſtat adſcribi*. Gelaſii autem verba ſunt ad Epiſcopos per Lucaniam, & Brutios: *Ordinationes Presbyterorum, & Diaconorum niſi certis temporibus & diebus exerceri non debent, ideſt quarti menſis jejunio, ſeptimi, & decimi ſed etiam quadrageſimalis initii, ac medianæ hebdomadæ, & ſabbati jejunio circa veſperam, noverit celebrandas*. Quæ ipſiſsima fere verba legere eſt in fragmento epiſtolæ, quam Pontifex idem dedit ad Clerum, ordines, & plebem Africæ, ut ne dubium ſit, quin diſciplinæ cujuſvis mutationes ab ipſo ejus autore Romano Pontifice in quaſvis Catholici orbis partes profectæ ſint: Ordinationes igitur apud Hiſpanos non ſolum Diaconorum, & Presbyterorum, ſed totius Ordinis Cleri celebrabantur ſabbato quovis quatuor temporum ad veſperam, ut die Dominico celebratæ dici poſſent, juxta Leonis ſententiam, quam hodie conſuetudinem ad matutinas horas retroceſsiſſe cernimus, ſervata eorumdem ratione temporum, niſi cauſæ adſint, cur extra illa fieri Supremus Diſpenſator permittat, ad Presbyteros videlicet, Diaconos, & etiam Subdiaconos quod ſpectat; minores enim Ordines ne olim quidem ea lege comprehendi & Leonis, & Gelaſii decreta docent; quamvis ad iſtos quoque eam extenderint Hiſpanienſes.

S. Gelaſ. ep.

IV. *Officia omniū graduum ſive ordinum ſec. ſeptimo.*

Diſciplinam Ordinationum ſancte adeo conſtitutam a Romanis Pontificibus, ſancteque adeo in Hiſpaniis cuſtoditam Officia cujuſvis Ordinis, tamquam effectus cauſam conſequuntur. Ea vero nec breviori, nec luculentiori poſſem ſermone complecti, quam ſui ævi ſuæque conſuetudinis ſcientiſsimus Iſidorus fecerit ſua in Epiſtola ad Laudefredum Cordubenſem Epiſcopum. Hanc ſane epiſtolam Monachus Sangermanenſis Jacobus de Breul ſua in editione operum S. Iſidori vulgavit mutilam, atque interpolatam ex Decreto Gratiani *diſt. 25. Perlectis*, & ex Ivone Carnotenſi *p.6. Decr. cap. 20.* deinde nactus partem aliam, hanc quo-

S. Iſidor. pag. 413. & 486.

Digitized by Google

quoque ſeorſim edidit. Eodem felicior Loaiſa ex Cod.MS.S.Laurentii, cui nomen Wigilanus, ſuis in Conciliis exſcripſit integram, nullaque interpolatione laborantem, prout recudendam curavit Card. Aguirrius; tametſi apud utrumque Iſidori Junioris epigraphem falſo præſeferat: falſo inquam, non enim in Sede Hiſpalenſi alius Iſidorus ſedit, præcipue Leudefredi ævo. Præterquamquod doctrina Epiſtolæ ſi per ocium conferatur cum S. Iſidori operibus, ſuum ipſa autorem per ſe promit. Eadem itaque ex epiſtola S. Doctoris Officia nunc omnium Ordinum hîc ſubjiciam, cætera etiam daturus, ubi ordo rerum expoſcet. *Ad Oſtiarium*, ait, *pertinent Claves Eccleſiæ, ut claudat, & aperiat Templum Dei, & omnia, quæ ſunt intus, extraque cuſtodiat, fideles recipiat, excommunicatos, & infideles projiciat. Ad Acolytum pertinet præparatio luminariorum in ſacrario: ipſe cereum portat, ipſe ſuggeſta pro Euchariſtiæ Calice præparat. Ad Exorciſtam pertinet exorciſmos memoriter retinere, manum ſuper Energumenos, & Catechumenos exorcizandos imponere. Ad Pſalmiſtam pertinet Officium canendi, dicere benedictiones, pſalmum, laudes, ſacrificium, reſponſoria, & quicquid pertinet ad cantandi peritiam. Ad Lectorem pertinet Lectiones pronunciare, & ea quæ Prophetæ vaticinaverunt, populis prædicare. Ad Subdiaconum pertinet Calicem & Patenam ad Altarium Chriſti deferre, & Levitis tradere, eiſque adminiſtrare: urceolum quoque & aquamanilem, & manutergium tenere, & Epiſcopo, & presbyteris, & levitis pro lavandis ante altarium manibus aquam præbere*. Sic S. Doctor de minoribus ſui ævi Ordinibus, qui abſque manuum impoſitione, ſeu benedictione conferri conſueverunt. De ſacris vero Diaconatus, & Presbyteratus Ordinibus, proſequitur: *Ad Diaconum pertinet aſſiſtere Sacerdotibus, & miniſtrare in omnibus, quæ aguntur in Sacramentis Chriſti; in Baptiſmo ſcilicet, in Chriſmate; in Patena & Calice oblationes inferre, & diſponere in altario, componere menſam Domini, atque veſtire, crucem ferre, prædicare evangelium, & Apoſtolum. Nam ſicut Lectoribus vetus Teſtamentum, ita Diaconibus novum prædicare præceptum eſt. Ad ipſum quoque pertinet Officium precum, recitatio nominum, ipſe præmonet preces ad Dominum, ipſe hortatur orare, ipſe clamat, & pacem ipſe annunciat. Ad Presbyterum pertinet ſacramentum Corporis, & Sanguinis Domini in altario Dei conficere, orationes dicere, & benedicere populum*. Graduum horum, qui omnes

DISSERT. IV. CAP. V.

Conc. Hiſp. to. 2. p. 554.

DISSERT. IV. CAP. V.

nes ab Epiſcopo conſtituuntur, præter Pſalmiſtam, quem gradum non eſſe diximus, diſciplinam & officium ſatis pro re noſtra vidimus. Veniendum modo eſſet ad ipſos Epiſcopos; niſi aliquid animadvertendum nobis occurreret ad diſciplinam hujuſmodi, ſeu officia prædicta, antequam rerum ſerie abrepti paulo hinc longius digrediamur, unde intempeſtivum, & fortaſſe moleſtum eſſet referre gradum.

V. Lector ante ſecul. ſept. legebat Evangeliũ & Epiſtolam.

De beneſ. P. I. l. 2. c. 30. n. 6. & ſeqq.

Scriptor eruditiſſimus veteris & novæ diſciplinæ officium Lectoris expendit apud Afros vigente Auguſtorum Tyrannide, prolatiſque Cypriani Epiſtolis comprobat, conſueviſſe inibi eos præſertim, qui fortes ſe oſtenderant in Chriſtianæ fidei confeſſione, ad officium Lectoris promoveri: *Interim placuit*, verba ſunt Cypriani apud eum, *ut ab officio Lectionis incipiat; quia & nihil magis congruit voci, quæ Dominum glorioſa prædicatione confeſſa eſt, quam celebrandis divinis lectionibus perſonare, poſt verba ſublimia, quæ Chriſti martyrium prolocuta ſunt, Evangelium Chriſti legere, unde Martyres fiunt &c.* Deinde jure colligit, quod hujus Ordinis apud Afros officium erat legere Evangelium, quod nuper vidimus, Iſidoro teſte, ad ſolos Levitas ſeu Diaconos pertinere in Hiſpaniis, quæ Sancti ejus Doctoris ævo Conciliorum, Decretaliumque Epiſtolarum autoritate optimam, concordemque cum Catholica Eccleſia diſciplinam ſequebantur. Africanam vero iſtam conſuetudinem inter alias multas, de quibus ſuperius diximus, apud Hiſpanos quoque obtinuiſſe, antequam a Leandro, Iſidoro doctiſque aliis Præſulibus recta ea diſciplina ſtabiliretur, teſtes ſunt minime dubii duo Canones Concilii Toletani I. ex quibus inſuper conſtat, multo etiam poſt Eccleſiæ calamitates Lectoris officium eſſe Epiſtolas D. Pauli, & Evangelium in Eccleſia legere: *De pœnitente*, ajunt Patres, *non admittatur ad Clerum, niſi tantum ſi neceſſitas, aut uſus exegerit, inter Oſtiarios deputetur, vel inter Lectores; ita ut Evangelia, & Apoſtolum non legat.* Et infra: *Subdiaconus autem defuncta uxore, ſi aliam duxerit, ab officio, in quo ordinatus fuerat, removeatur, & habeatur in Oſtiarios, vel inter Lectores: ita ut Evangelium, & Apoſtolum non legat.* Ergo liquet, ut dicam cum doctiſſimo Albaſpinæo in notis ad horum Canonum primum, Lectorem apud Hiſpanos non modo Evangelium, ut apud Afros, verum etiam Apoſtolum legere conſueviſſe, quæ duo officia Diaconos, & Subdiaconos ſpectant. Nec vero deſueviſſe hanc diſciplinam putandum eſt continuo poſt

Conc. Tolet. I. cap. 2. 4.

poſt quartum ſeculum; nam Martinus Bracarenſis Canonum ſcientiſſimus ſua in collectione quam Epiſcopis Gallæciæ, ſeu Regni Suevorum propoſuit anno 572. in Concilio Bracarenſi II. ipſiſſima Canonis ſecundi Toletani verba expreſsit capite 23. *Pœnitens &c.* Profecto idem Martinus infra Toletanum alterum Canonem recenſet, diſciplinamque illam veterem emendat: *Si Subdiaconus*, inquiens, *ſecundam duxerit uxorem, inter Lectores, vel Oſtiarios habeatur, ita ut Apoſtolum non legat.* Quaſi dixerit, Subdiaconum ob incontinentiam, officio ſuo, legendi nimirum Apoſtolum, privandum eſſe, rejiciendumque inter Lectores, quorum erat munus legere vetus Teſtamentum, ſive inter Oſtiarios Clavium Templi Cuſtodes. Quin etiam juxta hanc ſententiam interpretari liceret priorem Canonem; non ſecus ac dixerit, quod ex ordine pœnitentium, neceſſitate aut conſuetudine urgente, ad ſummum Lectores potuiſſent fieri, non autem ad altiores gradus promoveri, ut ex eorum cœtu in Eccleſiis non eſſent qui Apoſtolum, & Evangelium legerent, ideſt Subdiaconi, & Diaconi. Quid vero? Ut hujuſmodi interpretatio deſignet Martini tempora, ſextum nempe ſeculum fere exactum, ad puram putamque illam veterem conſuetudinem Hiſpanam referri non poteſt. Itaque Lectoris Officium nuper ex Iſidoro allatum ſeptimi tantum ſeculi diſciplinam ſpectat, non quæ præceſſerat priſcæ Africanæ perquam ſimilem anno 400. in Toletano Concilio palam factam.

DISSERT. IV. CAP. V.

Coll. Mart. c. 44

VI. Subdiaconatus Ordini ubique continentia præſcribitur anno 588.

Quam ſpectavimus varietatem in Lectoris officio, eam nunc demonſtrare aggredior in Ordine Subdiaconorum. Id tamen diſcriminis inter utriuſque ordinis varietatem intercedit, quod Lectoris officium ante optimæ inſtaurationem diſciplinæ, ab inſtituto S. Sedis diſcrepabat; Subdiaconi autem ordo poſt eamdem inſtaurationem diverſus eſſe cœpit ab Apoſtolicæ Sedis conſuetudine. Præterea quidquid varietatis animadvertemus, laudari potius debet, quam reprehendi: aut ſi reprehendi, fieri tantum debet, quatenus una Diœceſis, ſeu Regnum præivit S. Sedis decreta hac de re, quæ tandem ab eadem S. Sede prodierunt. Idque eſt dandum ardenti Epiſcoporum ſtudio erga Eccleſiaſticam Diſciplinam; tametſi novum nobis erit argumentum rari eorum Præſulum commercii cum Romanis Pontificibus; quippe quos prævenire non dubitarunt ſubdiaconatum ad ſacrorum ordinum dignitatem provehendo, in ſuis nimirum provinciis, antequam Univerſalis Eccleſiæ conſtitutio per illos

Digitized by Google

DISSERT. IV. CAP. V. fieret, ut æquum erat. Natura interim præmittenda hujus Ordinis juxta veterem Eccleſiæ diſciplinam, quæ in Hiſpaniis nonniſi poſt S. Iſidori ævum mutationi obnoxia fuit. Compertum exploratumque eſt, quod Romanorum Pontificum nullus, ante Pelagium II. Subdiaconibus continentiam præſcripſerat. Is autem Pontifex laudabilem Romanæ Eccleſiæ morem, ut Subdiaconi ab ſuis uxoribus abſtinerent, ad Siciliæ provincias extendit, tametſi Gregorius Magnus ejus ſucceſſor in decernendo moderatior, Pelagii decretum pro futuris dumtaxat Subdiaconis ſervandum inſtituit. *Ante triennium*, ita Petrum Subdiaconum in Sicilia alloquitur, *Subdiaconi omnium Eccleſiarum Siciliæ probibiti fuerunt, ut more Romanæ Eccleſiæ nullatenus ſuis uxoribus miſcerentur; quod mihi durum atque incompetens videtur, ut qui uſum ejuſdem continentiæ non invenit, neque caſtitatem ante promiſit, compellatur a ſua uxore ſeparari: atque per hoc, quod abſit, in deterius cadat. Unde videtur mihi, ut a præſenti die omnibus Epiſcopis dicatur, ut nullum Subdiaconum facere præſumant, niſi qui ſe victurum caſte promiſerit .... Eos autem, qui poſt probibitionem factam ſe a ſuis uxoribus continere noluerint, promoveri ad ſacrum ordinem nolumus.* Hæc Gregorius anno 591. Idemque poſt triennium Leoni Epiſcopo Catanenſi tum de Pelagii decreto, tum de ſervanda in poſterum diſciplina ſatis perſpicue ſcribit: *Multorum*, inquiens, *relatione comperimus, hanc apud vos olim conſuetudinem tenuiſſe, ut Subdiaconi ſuis licite miſcerentur conjugibus. Quod ne denuo quiſquam præſumeret, a ſervo Dei ſedis noſtræ Diacone, ex autoritate noſtri Deceſſoris eſt iſto modo probibitum: ut eodem tempore hi, qui jam uxoribus fuerant copulati, unum e duobus eligerent, ideſt, a ſuis uxoribus abſtinerent, aut certe nulla ratione miniſtrare præſumerent.... De cetero vero Fraternitas tua ſit omnino ſollicita, & quos ad boc jam officium contigerit promoveri, hoc quam maxime diligenter inſpiciat, ne ſi uxores habent, miſcendi ſe cum eis licentia potiantur, ſed ad ſimilitudinem Sedis Apoſtolicæ eos cuncta obſervare ſua nibilominus diſtrictione conſtituat.* Itaque Pelagius omnium primus, anno circiter 588. decrevit, ut Romanæ Eccleſiæ conſuetudo aliarum quoque apud Eccleſiarum Subdiaconos obtineret; ut nempe qui ad eum Ordinem aſſumebantur inter matrimonio junctos, continentiæ legibus ſe adſtringerent. Quod deinde tam religioſe cuſtodiendum ubique fuit, ut incontinentes Subdiaconi ab officio dejici, commu-

Regeſt. lib. 1. ep. 42.

Ibid. l. 3. ep. 34.

Ibid. l. 4. ep. 16. & ſeqq.

munione inter laicos iiſdem conceſſa, ex Decreto S. Sedis conſueverint, Gregorio ipſo teſte.

VII. Præteriri hîc non debet, quod ubi Pelagius II. generale id decretum de continentia Subdiaconorum tulit, Romanæ Eccleſiæ uſus exemplo eſt; perindeque ejus ſucceſſor Gregorius. Romæ ſiquidem, quanto licuit altius antiquitate indagata, continentiam ſemper Subdiaconis eſſe injunctam deprehendi. Et ſane inter Concilii Romani II. decreta hoc fuiſſe conditum a Silveſtro video anno 324. *Nullus autem Subdiaconorum ad nuptias tranſire, ne aliqua prævaricatione præſumſerit, præcipimus*. Quo ex decreto facile poteſt colligi, quod ipſa ab inſtitutione eorumdem in Eccleſia Romana, quæ S. Fabiano refertur accepta, ut docet liber Pontificalis: *Hic fecit ſeptem Subdiaconos, qui ſeptem notariis imminerent, ut geſta Martyrum in integro colligerent*: conſueverunt Subdiaconi ordinari cœlibes; ſi enim tranſire ad nuptias prohibebantur, matrimonio igitur non erant juncti. Quam rem mirum in modum comprobat Leo Magnus, de eodem Ordine agens cum Anaſtaſio Theſſalonicenſi: *Quum extra Clericorum Ordinem*, inquit, *conſtitutis, nuptiarum ſocietati, & procreationi filiorum ſtudere ſit liberum arbitrium; ad exhibendam tamen perfectæ continentiæ puritatem, nec Subdiaconis quidem connubium carnale conceditur: ut & qui habent ſint tanquam non habentes, & qui non habent, permaneant ſingulares*. Hinc enimvero duplex emicat Subdiaconorum conditio: & eorum, qui erant matrimonio juncti, qui *tamquam non habentes* eſſent neceſſe erat; & eorum qui ad officium Subdiaconi advenerant Cœlibes, quos ita permanere oportuit. Si autem Silveſter vetat Subdiaconos uxorem ducere; ergo prima eorum conditio nondum Romæ obtinebat: ocioſum quippe eſſet prohibere illis connubium, quo uti nequirent vel matrimonio juncti. Neque id multum a vero mihi videtur abludere quod primo Subdiaconi eligerentur Cœlibes, ætatiſque immaturæ utplurimum nuptiis, quum Fabianum reputo inſtituiſſe Subdiaconos paulo ante dimidium tertii ſeculi, ut Acta Martyrum brevibus notis per Notarios excerpta ipſi integra curarent exſcribi, ac Silveſtrum non multo hinc diſſitum intervallo, quieſcentis licet Eccleſiæ Pontificem, a nuptiis arcere Subdiaconos. Quæ quidem res perſuaſiſſimum mihi eſſe jubet, quod Subdiaconi aliquot, ceſſante eorum officio primo, antequam Levitis miniſtrare ex novo munere inciperent, conjugia expetierint, quare occaſionem præ-

Romæ ſemper fuit adnexa eidem Ordini, utquumque non ſacro.

Conc.Ro.cap.8.

Anaſt. to.1.ſec. 21.

S. Leo ep. 84. cap.4.

Digitized by Google

Dissert.IV. Cap. V.

præbuerint Silveſtro , cur ſic decerneret . Poſt hujus vero Pontificis tempora , coaleſcente Eccleſia , Subdiaconique gradu Diaconatum neceſſario non præeunte , utriuſque generis ordinari eos conſueviſſe luculenter conſtat ex Leonis allata epiſtola : quæ cæteroqui non minus luculenter fidem facit , quod Romæ continentia ſemper fuit adnexa ſubdiaconatus Ordini . Eſtque id maxime notatu dignum ; Subdiaconatus enim , ut eruditiſſime demonſtrat Thomaſſinus , uſque ad duodecimum ſeculum inter minores Ordines recenſetur : idemque affert decretum Concilii Beneventani anno 1091. celebrati , cui præſedit Urbanus II. adverſus eos , qui eumdem Urbanum conſtituiſſe volunt , ut ſacer eſſet . Verba decreti afferre non erit abs re : *Nullus in Epiſcopatum eligatur , niſi in ſacris Ordinibus religioſe vivens fuerit inventus . Sacros autem ordines dicimus Diaconatum , & Presbyteratum : hos ſiquidem ſolos primitiva legitur habuiſſe Eccleſia. Subdiaconos vero , quia & ipſi altaribus miniſtrant , opportunitate exigente concedimus , ſi tamen ſpectatæ ſint religionis & ſcientiæ* . Quamobrem ut Thomaſſino ipſo liberalior quis nolit honorem differre huic Ordini uſque ad initium ſeculi XIII. quum Innocentius III. *Statuimus* , inquit , *ut Subdiaconus in Epiſcopum valeat libere eligi ſicut Diaconus , vel Sacerdos* : ante undecimi exitum Subdiaconatum eſſe factum ſacrum ordinem nullatenus poterit comprobare .

De benef. P.I. l.2. c.33.

VIII. Inter minores Ordines perſeveravit uſque ad ſeculũ XII.

Hinc eſt , quod Subdiaconi ordinatio æque ac aliorum minorum Ordinum non comprehendebatur Pontificia ea lege quatuor anni temporum , de qua nuper diximus ; præter illos enim ſolennes jejuniorum dies , nefas erat ſacras , publicaſque Ordinationes fieri ; at minores Clericos inſtituere licitum ſemper , & ubique erat . Teſtemque hujus rei adhibeam Ordinem illum Romanum a Mabillonio editum , qni non tantæ antiquitatis eſt , ut tempora , quibus verſamur , non ſubſequatur , & idcirco fidem noſtris integram non poſſit adjungere : *Accipient* , inquit , *primam benedictionem ab Archidiacono , ut liceat eis ſuper linteum velloſum ſedere , quod mos eſt ponere ſuper ſellam equi . Dein ſicut Sacramentorum Codex continet , quando & ubi libitum fuerit , uſque in Subdiaconatus officium ordinantur : Diaconi vero atque Presbyteri nunquam , niſi in publica ordinatione.* Quamobrem inanem mihi videntur aleam ii ludere , tum qui Canonum vulgo Apoſtolorum incertæ ætatis autoritate , quam maximam Subdiaconatui antiquitatem vindicant ; tum qui Ordinum mino-

Mabill.Ord.IX.

rum

rum varios gradus ab Apoſtolica inſtitutione conantur rejicere. Hi ſiquidem nihil omnino promovent; nam in Concilio Silveſtri nuper laudato gradus ii omnes recenſentur. Quamobrem horum alterutrum oſores iſti fateantur neceſſe eſt, aut vigente tyrannide eos prudenter occultari conſueviſſe, continuoque poſt pacem redditam ubique vulgatos eſſe; ac proinde Apoſtolicam inſtitutionem negari non poſſe; aut officia illa varia, quæ adoleſcente ſenſim Eccleſia ſunt adhibita, Eccleſia jam tranquilla atque pacata, Pontificia lege eſſe conſtituta tanquam neceſſarios ad Diaconatum gradus, quanquam antea neque ſinguli, neque eodem ordine inveniantur adhibiti; atque ea propter Pontificiæ inſtitutionis eoſdem eſſe. Alterutrum autem fateantur, nihil ſubdiaconatus dignitati adjungunt: ſive enim Apoſtoli, ſive juriſdictionis, autoritatiſque Apoſtolicæ hæres Romanus Pontifex minorum Ordinum inſtitutor habeatur, conditio eorumdem non mutatur; Oſtiarii, Lectoris, Exorciſtæ, Acolyti, Subdiaconi gradus tum omnes ſimul, tum olim pauciores, quandoque etiam plures numero Clericum ſemper fecerunt, non conſecrarunt. Cujus rei præſentiſſimum argumentum ſuppetit ex Concilio Patriarchali Lateranenſi, quod ante triennium edidi; nam Conſtantinus S. Sedis invaſor: *Laicus exiſtens cum armis Apoſtolicam invaſit Sedem, & Clericus in eodem Patriarchio effectus eſt .. .. Alio vero die ſecunda feria idem invaſor Apoſtolicæ Sedis Diaconus Forenſis in Oratorio Patriarchii Lateranenſis conſecratus eſt*. Quadere illorum induſtriam commendo, qui ultimam Subdiaconatui antiquitatem vindicant; iſto nihilominus officio perinde ac minorum quatuor cæterorum graduum officiis velim ſciant, conſtitui olim in Eccleſia Clericos, non autem conſecrari; vix per Pelagium II. ſexto ſeculo exeunte continentiam illi præſcriptam eſſe; ac duodecimo dumtaxat ſeculo inter ſacros ordines relatum fuiſſe. Plura de hac re Morinus, quæ minime ad nos faciunt; quæ enim diximus, ſunt ſatis ad Hiſpanienſem diſciplinam mox expendendam.

Diſſert. IV. Cap. V.

Conc. Lateran. Steph. III.

IX. Subdiaconatus Ordinem in Hiſpaniis, ſi velim argumento ſimili inter minores rejicere, otio abutar: inibi enim diſciplina viguit, quam ſpectavimus, tum ſacros, tum minores Ordines ſabbato ad veſperam conferendi. Ex officiis autem, quæ ab Iſidoro mutuati ſumus, ſatis ſuperque conſtat, Subdiaconatum S. ejus Doctoris ævo inter minores gradus recenſeri. Id nihilominus ut firmius inſideat animis, pleniorem ejuſdem doctrinam afferam,

Diſciplina Subdiaconatus in Hiſpaniis ante Greg. Magnū.

cui

DISSERT. IV. CAP. V. cui commentaria erunt vetuſtiora Iſidoro documenta, ut teneamus Subdiaconatum Hiſpanienſem ante S. Gregorii ætatem, quo ſpectat lex continentiæ illi injuncta. *Iſti*, inquit, *oblationes in templo Domini ſuſcipiunt a populis, iſti obediunt officiis Levitarum, iſti quoque vaſa Corporis, & Sanguinis Chriſti, Diaconibus ad altarium offerunt. De quibus placuit Patribus, ut quia ſacra myſteria contrectant, caſti ſint, & continentes ab uxoribus, & ab omni carnali immunditia ſint liberi, juxta quod illis, propheta dicente, jubetur: Mundamini qui fertis vaſa Domini. Hi igitur ordinantur ſicut Sacerdotes, & Levitæ, manus impoſitionem non ſuſcipiunt: ſed patenam tantum & Calicem de manu Epiſcopi, & ab Archidiacono ſcyphum aquæ, cum aquamanili, & manutergium accipiunt*. Profecto ſi Carthaginenſis Concilii allatum Canonem, articulumque epiſtolæ item allatum, ac nuperrimam hanc doctrinam conferamus cum Pontificalis romani diſciplina, nihil niſi Apoſtolum, additum nimirum multo poſt, defuiſſe Ordinis hujus materiæ compertum erit. Continentiæ quoque legem conceptis Iſidori verbis audivimus, præſcriptamque eam eſſe Iſidori tempore poſt S. Gregorii mortem non miramur. Juvat tamen altius rem iſtam petere. Ipſum enimvero Concilium Illiberitanum quindecim minimum annis Romano ſub Silveſtro antiquius, de Subdiaconibus Hiſpaniarum ſic decernit: *Placuit in totum prohiberi Epiſcopis, Presbyteris, Diaconibus, & Subdiaconibus poſitis in miniſterio, abſtinere ſe a Conjugibus ſuis, & non generare filios: quicumque vero fecerit, ab honore Clericatus exterminetur*. Decretum quod perpetua efferretur laude dignum, ſi in propoſito perſeveraſſent; etenim licet prima Romanæ Eccleſiæ inſtituta, ut ne Subdiaconi uxorem ducerent, haud penitus imitarentur Hiſpani; conſuetudinem paulo poſt Romæ etiam vigentem, ut Conjuges ipſi ordinarentur, modo ab uxoribus abſtinerent, prævertiſſe, ſingularem iis gloriam apud omnes colligeret. Quid vero? Eccleſiæ ordinum præcipuorum ne Epiſcopis quidem exceptis, laudabilia inſtituta inter perſecutiones, iiſdem remittentibus, eo ſenſim calamitatis devenerunt, ut Siricius ab Himerio Tarraconenſi edoctus fuerit, non Subdiaconos modo, verum etiam Diaconos, Presbyteros, & Epiſcopos continentiæ nuncium remiſiſſe: *Plurimos enim Sacerdotes Chriſti, atque Levitas poſt longa conſecrationis ſuæ tempora, tam de conjugibus propriis, quam etiam de turpi coitu ſobolem didicimus procreaſſe, & crimen ſuum hac præ-*

De off. Ecc. l. 2. cap. 10.

Conc. Illib. c. 33

Siric. ad Him. cap. 7.

præſcriptione defendere, quia in veteri teſtamento Sacerdotibus ac Miniſtris generandi facultas legitur attributa. Satis nobis ſit, ſuæ ipſorum legis conculcatores eos cernere, veteriſque conſuetudine Teſtamenti inhærere, ut turpem in nova lege cauſam tueantur, quo priſtinos eorum mores commendemus, id nihilominus affirmantes, quod diſciplinæ leges hac in re apud Hiſpanos minime repetendæ ſunt ante Siricii epiſtolæ Decretalis ævum, annum videlicet 385.

X. Quatuor prioribus Eccl. ſeculis continentia Subdiaconis minime præſcripta erat.

Ibid. n. 9. & 10

Ex hac vero Decretali Epiſtola, qua lege fieri deberent minorum, majorumve graduum Ordinationes in univerſa Eccleſia diſcimus, unaque ſimul certam Hiſpaniarum diſciplinam agnoſcimus. *Quicumque itaque*, ait Pontifex, *ſe Eccleſiæ vovit obſequiis a ſua infantia, ante pubertatis annos baptizari, & Lectorum debet miniſterio ſociari. Qui ab acceſſu adoleſcentiæ uſque ad viceſimum ætatis annum, ſi probabiliter vixerit, una tantum, & ea quam virginem communi per ſacerdotem benedictione perceperit, uxore contentus, Acolytus, & Subdiaconus eſſe debebit: poſt quæ ad Diaconi gradum, ſi ſe ipſe primitus, continentia præeunte dignum probarit, accedat. Ubi ſi ultra quinque annos laudabiliter miniſtrarit, congrue presbyterium conſequatur. Exinde poſt decennium Epiſcopalem Cathedram poterit adipiſci, ſi tamen per hæc tempora integritas vitæ ac fidei ejus fuerit approbata. Qui vero jam ætate grandævus melioris propoſiti converſatione provocatus, ex laico ad ſacram militiam pervenire feſtinat, deſiderii ſui fructum non aliter obtinebit, niſi eo quo baptizatur tempore, ſtatim Lectorum, aut Exorciſtarum numero ſocietur; ſi tamen eum unam habuiſſe, vel habere, & hanc virginem accepiſſe conſtet uxorem. Qui dum initiatus fuerit, expleto biennio, per quinquennium aliud Acolytus & Subdiaconus fiat; & ſic ad Diaconatum (ſi per hæc tempora dignus judicatus fuerit) provehatur. Exinde jam acceſſu temporum, presbyterium, vel Epiſcopatum, ſi eum Cleri, ac plebis evocarit electio, non immerito ſortietur.* Ex hoc decreto, quod referre integrum volui eruditionis gratia, quamquam ad propoſitum non ſpectent argumentum partes ejus omnes, conſtat liquido, quod Apoſtolica Sedes, unde recta & certa prodit diſciplina, longe ut Subdiaconos ex æquo cum Diaconis & Presbyteris metiatur, ut privata autoritate fecerant Elibertini Patres, eoſdem decernit vel officio Lectorum fungentes nupturos virgini, eaque uſuros in officiis Acolytatus, & Subdiaconatus, continentiam denique pro-

feſſuros, ubi ad Levitarum ſacrum ordinem ſint provehendi. Cujuſmodi diſciplina, ſi Romanam Eccleſiam excipias, in cæteris Eccleſiis omnibus ante Pelagium II. permittebatur. Eamdemque ne aliquis putet ab Hiſpanorum ingenio abhorruiſſe, præter Siricii decretum pro iis factum, quæ ipſi Hiſpanienſes unanimes ſanxerunt, afferre juvat. Novemdecim ex variis provinciis Epiſcopi Toleti congregati quindecim poſt Siricii Epiſtolam annis, ſic ſtatuunt: *Placuit, ut Diacones, ſi vel integri, vel caſti ſint, & continentis vitæ; etiamſi uxores habeant, in miniſterio conſtituantur: ita tamen ut ſiqui etiam ante interdictum, quod per Luſitanos Epiſcopos conſtitutum eſt, incontinenter cum uxoribus ſuis vixerint, presbyterii bonore non cumulentur. Si quis vero ex presbyteris ante interdictum filios ſuſceperit, de presbyterio ad Epiſcopatum non admittatur.* Et, quin de Diaconis, Presbyteriſque res tota ſit, ne dubitationem relinquant, canone quarto de Subdiaconis ab officio removendis decernunt; ſi defuncta uxore aliam duxerint; quare nullum continentiæ Subdiaconis præſcriptæ indicium ſupereſt, ante ſeculum quintum: tametſi olim ab Elibertinis Patribus æque de eorum continentia, ac de Diaconorum, Presbyterorum, atque Epiſcoporum ſancitum fuerit, quæ res minime attendi debet; nam ipſos Epiſcopos ab uxoribus dumtaxat arcendos putant in miniſterio conſtitutos, quaſi vero extra miniſterium rei uxoriæ operam dare fuiſſet licitum, quod ab omni diſciplina abhorret.

Conc. Tol. 1. c. 1.

XI.

Sub Arianis Regibus Rom. Eccleſiæ diſciplina vigebat alicubi.

Secus eſt ſequentibus duobus ſeculis, dum Hiſpanienſes Eccleſiæ ſub Arianis gemebant Regibus. Quamvis enim, ut ſuo loco diximus, Eccleſiaſticam in Hiſpaniis rem difficillimis iis temporibus conſtantem perveſtigare non liceat; tamen quæ aliqua identidem ex provincia ſuppetunt documenta certa, Catholicorum Præſulum diſciplinam perſpicue ſatis declarant. Enimvero in Tarraconenſi Concilio anno 516. de minoribus Clericis ſic decernitur: *Si quis Lectorum adulteræ mulieri voluerit miſceri, vel adbærere conſortio; aut relinquat adulteram, aut a clero babeatur extraneus. Simili ſententia Oſtiariorum laſcivia punietur.* Et ſequenti anno in Gerundenſi de majoribus ita ſtatuitur: *De converſatione vitæ id ſtatuere placuit a Pontifice uſque ad Subdiaconum, poſt ſuſcepti bonoris officium ſiqui ex conjugatis fuerint ordinati, ut ſine conjuge babitent: quod ſi babitare noluerint, alterius fratris utatur auxilio, cujus teſtimonio vita ejus debeat clarior apparere.* Ex quibus liquet, minoribus Cle-

Concil. Tarrac. cap. 9.

Conc. Gerund. cap. 6.

Clericis propriæ uxoris virginis conſortium concedi; at majores (ab Subdiaconis incipiendo) a propriæ etiam uxoris commercio rejici, quod eſt ipſiſſimas continentiæ leges amplecti, quas Romæ obtinuiſſe Leo, Pelagius II., & Gregorius teſtabantur. Clarius etiam teſtimonium præbet Synodus Toletana II. anno 527. quumque uberior hinc diſciplina habeatur Eccleſiarum Hiſpaniæ, decretum ejus totum recitabo: *De his, quos voluntas parentum a primis infantiæ annis clericatus officio manciparit ſtatuimus obſervandum, ut mox quum detonſi, vel miniſterio Lectorum contraditi fuerint, in domo Eccleſiæ ſub Epiſcopali præſentia, a præpoſito ſibi debeant erudiri. At ubi octavumdecimum ætatis ſuæ compleverint annum, coram totius cleri plebiſque conſpectu, voluntas eorum de expetendo conjugio ab Epiſcopo perſcrutetur. Quibus ſi gratia caſtitatis Deo inſpirante, placuerit, & profeſſionem caſtimoniæ ſuæ, abſque conjugali neceſſitate, ſe ſpoponderint ſervaturos: hi tanquam appetitores arctiſſimæ viæ leniſſimo Domini jugo ſubdantur: ac primum Subdiaconatus miniſterium habitu probationis ſuæ, a viceſimo anno ſuſcipiant. Quod ſi inculpabiliter, ac inoffenſe viceſimum & quintum annum ætatis ſuæ peregerint, ad diaconatus officium, ſi ſcienter implere poſſe ab Epiſcopo comprobantur, promoveri debent. Cavendum tamen eſt his, ne quando ſuæ ſponſionis immemores, aut ad terrenas nuptias, aut furtivos concubitus ultra recurrant. Quod ſi forte fecerint, ut ſacrilegii rei damnentur, & ab Eccleſia habeantur extranei. His autem quibus voluntas propria, interrogationis tempore, deſiderium nubendi perſuaſerit, conceſſam ab Apoſtolo licentiam auferre non poſſumus; ita ut quum provectæ ætatis in conjugio poſiti, renunciaturos ſe pari conſenſu operibus carnis ſpoponderint, ad ſacratos gradus adſpirent*. Præſtantiſſimum hoc decretum de Carthaginenſis provinciæ Clericis inſtituendis minime prætermittendum duxi; de ſola licet continentia Subdiaconorum ſermonem habeam, quorum gradui non modo continentiam vidimus injunctam, ſed ſacri etiam nomen accedere, quum cæteroqui abuti Concilium nomine evidenter doceat Iſidorus in ſupra allatis. Nam præcipuorum ſummam capitum ineſſe in illo intelligo, quæ frequentibus Diſciplinæ Clericorum inſtaurationibus refert accepta.

Conc. Tolet. II. cap. I.

XII. Generalis tamé ea lex non erat tota Hiſpania.

Nec vero diſciplinæ hanc ſeveritatem, quam aliqua in provincia Subdiaconis præſcriptam, graſſante in Hiſpaniis hæreſi audivimus, debitiſque ſumus laudibus proſequuti, tamquam Ro-

DISSERT. IV. CAP. V.

manæ quam ſimillimam, ad reliquas provincias gratis extendi velim, non ſecus atque ubivis caſtitatis profeſſionem emiſiſſe Subdiaconos affirmari debeat. Siquidem Concilium Toletanum III. quo totius Monarchiæ Gothorum Epiſcopi convenerunt, repugnat. *Compertum eſt*, inquit, *a Sancto Concilio, Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos venientes ex hæreſi, carnali adhuc deſiderio uxoribus copulari. Ne ergo de cætero fiat hoc præcipitur, quod & prioribus Canonibus terminatur, ut non liceat eis vivere libidinoſa ſocietate; ſed manente inter eos fide conjugali, communem utilitatem habeant, & non ſub uno conclavi maneant.* Eſtque hic Canon maxime notandus, quippe cujus digeſtor eſt Leander, Præſul ille ſcilicet Conciliorum, ac Decretalium Epiſtolarum ſcientiſſimus, inſtauratorque autoritatis tum Synodalis, tum Pontificiæ, cui omnes unanimes in eodem Concilio ſubſcripſerunt. Quî enimvero generalem tota Hiſpania legem tulerint ii Patres de re nondum in generali Concilio, aut Decretali Epiſtola Romani Pontificis definita? Id quidem paulo ante ſanxerat Pelagius; at, præterquamquod pro ſolis Siciliæ Præſulibus decretum dederat, ac proinde ad Diœceſes alias non tranſierat, conſtanti opinione omnes eruditi tenent, quod hujuſmodi diſciplina a Pelagii ſucceſſore Gregorio ad alias Eccleſias extenſa, poſt hunc Pontificem ubique obtinuit. In Hiſpaniis vero ignorari eam adhuc anno 597. teſtatur Nationale Concilium Toleti habitum eodem anno: *Sanctam*, ait, *& amicam Dei obſervantes caſtitatem, non ſolum retinendam Pontifices ſuo corpore cenſeant: ſed & Presbyteris & Diaconibus miniſtrantibus Dei altaribus modis omnibus obſervandam conſtituant.* Quin etiam altum ubique ſilentium de Subdiaconis, tanquam Altari minime miniſtrantibus, ubi de Diaconorum, Presbyterorumque continentia agitur, mihi perſuadet, ut ante annum 653. quum Concilium Toletanum VIII. celebrabatur, Subdiaconis Hiſpanienſibus continentiam non eſſe injunctam, putem. Et ſane Clericorum minorum, cujuſmodi erant Subdiaconi, Concilium Toletanum IV. conjugia tantum vetita condemnat, quippe quæ impedimento erant ad ſacros ordines aſcenſuris, de legitimo vero conſortio ita loquitur, ut continentiam ne indicet quidem. Verba ejus audienda ſunt: *Quidam Clerici*, inquit, *legitimum non habentes conjugium, extranearum mulierum vel ancillarum ſuarum interdicta ſibi conſortia appetunt: ideoque quæcumque Clericis taliter adjunctæ ſunt, ab Epiſcopo auſe-*

Conc. Tol. III. cap. 5.

Conc. Tolet. an. 597. cap. 1.

Conc. Tolet. IV. c. 43. & ſeq.

auferantur, & venundentur, illis pro tempore relegatis ad pœnitentiam, quos ſua libidine infecerunt. Clerici qui ſine conſultu Epiſcopi ſui aut viduam vel repudiatam, vel meretricem in conjugio acceperint, ſeparari eos a proprio Epiſcopo oportebit. Anno autem 653. vere Subdiaconis continentia eſt injuncta toto in Hiſpaniarum & Galliæ Narbonenſis Regno; at verba quæ nunc recito velim penitiſſime, omnique procul ſtudio conſiderari: *Relatum eſt nobis*, ajunt Patres, *quoſdam Subdiaconos, poſtquam ad ſacri hujus ordinis pervenerint gradum, non ſolum carnis immunditia ſordidari, quum ſcriptum ſit: Mundamini qui fertis vaſa Domini: ſed etiam, quod dictu quoque nefas eſt, novis uxoribus copulari, aſſerentes, hoc ideo ſibi licere, quia benedictionem a Pontifice ſe neſciunt percepiſſe. Proinde omni excuſationum diſciſſo velamine id præcipimus obſervari, ut quum iidem Subdiaconi ordinantur, cum vaſis miniſterii benedictio eis ab Epiſcopo detur (ſicut in quibuſdam Eccleſiis vetuſtas tradit antiqua, & ſacra dignoſcitur conſuetudo ſubſtare prolata) omni penitus ab illis ſorde mulierum, ac familiaritate remota. Quod ſi hoc vulnere deinceps fuerint ſauciati, mox erunt ſub pœnitentiæ oneribus uſque ad extremum vitæ monaſteriis religandi.* Conc. Tol. VIII. cap. 6.

XIII. Hiſpanienſes Præſules elevit Subdiaconatum ad ſacrum ordinem.

Summa hujus Canonis capita ſingillatim expendere non pigeat. Dolent Patres, a Subdiaconibus minime ſervari continentiam: nec tamen Canonem, aut Romani Pontificis decretum violari ab iis norunt, ſed tantum Iſaiæ verbis teſtantur neceſſariam eſſe continentiam geſtantibus vaſa Domini. Quare non obſcure nos docent, tum Pelagii & Gregorii decreta ad ſe non veniſſe, tum diſciplinam ordinationis ipſam illam obtinere in Hiſpaniis, quam ex Carthaginenſi Concilio, & ex Iſidori doctrina ſuperius attuli, hoc eſt patenam Calicemque vacuum conſueviſſe Subdiaconis exhiberi. Rem apertius comprobant accuſati iidem Subdiaconi, quod novas uxores ducerent; ſibi enim licere iſtud ajunt, quia manus impoſitionem, ſeu benedictionem non acceperant ab Epiſcopo. Reos quidem tranſgreſſionis multorum Canonum, decretorumque S. Sedis eos novimus, quâ novas ad nuptias ferebantur; perinde tamen ſcimus, autoritate Canonum ab officio eos removeri, ac rejici inter Lectores; & S. Sedis decretis a Clero excludi, laicamque iis communionem præberi: idque poſt agnitam continentiæ legem præſcriptam Ordini. Contra in Hiſpaniis perpetua infligitur iiſdem pœna in Monaſteriis, quod ſanctum & laudabile conſilium eſt, ſed nulla Canonum

Digitized by Google

Diſſert. IV. Cap. V. num , aut Pontificii decreti autoritate nitens; immo potius proveniens ab inaudita ante eum diem dignitate , quam privata ipſi autoritate recens adjungunt Subdiaconatus officio , manuum videlicet impoſitione , ſeu benedictione Epiſcopi , per quam Sacri ordinis conditionem aſſequebatur . Inhærere demum ſe affirmant conſuetudine aliquot Eccleſiarum: at equidem fateor, me nullum hujuſmodi decretum vidiſſe unquam tota in antiquitate Eccleſiæ; quin etiam ab Iſidoro didiciſſe , quod univerſæ Eccleſiæ diſciplina erat , Subdiaconos ordinare abſque manuum impoſitione ; neque alia de cauſa continentiam iis præſcriptam eſſe a Patribus (Puta Pelagio , & Gregorio) niſi quia ſacra contrectant vaſa . S. Iſid. de off. Eccl. lib. 2. c. 8o *Placuit patribus , ut quia ſacra myſteria contrectant, caſti ſint , & continentes ab uxoribus* ; quod Iſidorus comprobat ipſiſſimis Iſaiæ verbis : *Mundamini qui fertis vaſa Domini* : tametſi a Patribus id ſtatutum eſſe dicens , Pelagii , ac Gregorii decreta non ignoraſſe videatur . Hi autem Pontifices continentiam Subdiaconatui , non benedictionem præſcripſerant . Quin igitur Eccleſia Hiſpanienſis privata autoritate inter ſacros ordines Subdiaconatum eſſe habendum decreverit , non eſt dubium . Quanti autem Eccleſiæ cæteræ privatum id decretum fecerint, ne eſt petendum quidem ; nam Subdiaconatus ubique uſque ad duodecimum ſeculum inter minores perſeveravit. Quum nihilominus præſumtionem hanc Epiſcoporum S. Sedes non condemnarit (hauddubie quia illam non novit) inde factum eſt , ut ab anno eodem 653. nova in Hiſpaniis diſciplina circa Subdiaconatus ordinem obtinuerit , quam nullibi reperire eſt. Ejuſque inſtitutionem utquumque ſanctam , zelique Epiſcopalis plenam condemnare nullus dubito , quia in hujuſmodi ferendis legibus nulla cuivis Eccleſiæ autoritas fuit umquam . Eſtque hæc deliberatio Præſulum Hiſpanienſium eas inter recenſenda , quas commercii cum S. Sede inopes , ſibique plus æquo tribuentes , ſeculo iſto ſeptimo declinante , feciſſe eos conſtat . Hanc ſcilicet uſurpationem alieni juris , autoritatem vocant nonnulli , at falſo eo ſemper ſiſtemate inhærentes vocant , quod adverſus Divina oracula, & teſtimonia Patrum poſuerunt .

XIV. Diſciplina Electionis, & Conſecrationis Epiſcoporum.

Ex hactenus dictis non modo Subdiaconatus , cæterorumque minorum ordinum diſciplina vetus , ſed etiam Diaconorum, & Presbyterorum præcipua inſtituta ſatis pro re noſtra emicant; (plura autem dicturi ſumus ubi ad beneficia ventum erit.) Reſtat nunc , ut de ſacroſancta Epiſcoporum dignitate , a quibus alii

Digitized by Google

alii gradus omnes prodeunt, diſputatio inſtituatur: quam opinione oppido expeditiorem, tam multa de iiſdem in ſuperioribus diſcuſſa efficient. Quibus eſſent moribus, qua doctrina, quave ſanctimonia prædití, ipſa hac in diſſertatione delibatum eſt; de electione igitur, conſecratione, & officio eorumdem diſputare oportet. Electioni vero ipſi & conſecrationi præmittenda eſt Regula ex Sacrorum Canonum, & Decretalium Epiſtolarum capitibus congeſta, atque unanimi conſenſu ab Epiſcopis confirmata ad utramque recte, & rite peragendam. Non eligebantur itaque: *Qui in aliquo crimine detecti ſunt: qui infamiæ nota aſperſi ſunt; qui ſcelera aliqua per publicam pœnitentiam admiſiſſe confeſſi ſunt; qui in hæreſim lapſi ſunt; qui in hæreſi baptizati, aut rebaptizati eſſe noſcuntur; qui ſemetipſos abſciderunt, aut naturali defectu membrorum, aut deciſione aliquid minus habere noſcuntur; qui ſecundæ uxoris conjunctionem ſortiti ſunt, aut numeroſa conjugia frequentaverunt; qui viduam, vel marito relictam duxerunt, aut corruptarum mariti fuerunt; qui concubinas ad fornicationem habuerunt; qui ſervili conditioni obnoxii ſunt; qui ignoti ſunt; qui neophyti ſunt, vel laici ſunt; qui ſæculari militiæ dediti ſunt; qui curiæ nexibus obligati ſunt; qui inſcii literarum ſunt; qui nondum ad triginta annos pervenerunt; qui per gradus Eccleſiaſticos non acceſſerunt; qui ambitu honorem quærunt; qui muneribus honorem obtinere moliuntur; qui a deceſſoribus in ſacerdotium eliguntur. Sed nec ille deinceps Sacerdos erit, quem nec Clerus, nec populus propriæ Civitatis elegerit, vel autoritas Metropolitani, vel comprovincialium Sacerdotum aſſenſio exquiſivit. Quicumque igitur deinceps ad ordinem Sacerdotii poſtulatus, & in his, quæ prædicta ſunt exquiſitus, in nullo horum deprehenſus fuerit, atque examinatus, probabilis vitæ atque doctrinæ extiterit, tunc ſecundum ſynodalia, vel decretalia conſtituta cum omni clericorum vel civium voluntate ab univerſis comprovincialibus Epiſcopis, aut certe a tribus, in ſacerdotium die Dominica conſecrabitur, convenientibus cæteris, qui abſentes fuerint, literis ſuis, & magis autoritate vel præſentia ejus, qui eſt in Metropoli conſtitutus. Epiſcopus autem provincialis ibi conſecrandus eſt, ubi Metropolitanus elegerit: Metropolitanus autem nonniſi in civitate Metropoli, Comprovincialibus ibidem convenientibus. Si quis autem deinceps contra prædicta vetita Canonum ad gradum Sacerdotii indignus aſpirare contenderit, cum Ordinatoribus ſuis adepti* Conc. Tolet. IV. cap. 19.

ho-

honoris periculo ſubjacebit. Uberrimam hanc diſciplinam ſtabilitam in Nationali Concilio Toletano IV. cui S. Iſidorus præſidebat anno 633. non potui quin recitarem integram, quippe quam ſenſi habitum iri prolixæ inſtar narrationis eorum omnium, quæ uno ductu hîc leguntur. Nec mihi eſſet pluribus detinendus lector, niſi & electio, & ordinatio ſuis obnoxiæ fuiſſent vicibus ipſo eodem ſeculo, quo verſamur; quæ quamquam rei ſummam non mutaverint, momenti tamen alicujus ſunt, nec præterire illas licet ſcriptori integro, qui præſertim adverſatur iis, per quos ſiſtema generalis diſciplinæ conſtituitur quidquid unam ad Hiſpanienſem Diœceſim pertinet, ut mox planum faciam.

XV. Reges incipiũt eligere Epiſcopos, alioſque Eccleſiarũ Rectores.

Quamdiu Canonica hæc Hiſpanienſium Epiſcoporum electio ſteterit nullum ex veteribus documentis nos docet. Octo autem & quadraginta intra annos Cleri & populi ſuffragiis præferri cœpiſſe Principis electionem, eamque ad Mauricam uſque invaſionem obtinuiſſe certo certius eſt; nam anno 681. Concilium Toletanum decernit celebratum iri deinceps ordinationes Epiſcoporum in urbe Regia a Toletano Metropolita, cujuſcumque ii forent provinciæ, ne Regiæ electionis ſolennitas diuturnæ Eccleſiarum viduitatis cauſa eſſet, magno cum populorum, reique Eccleſiaſticæ detrimento. *In quibuſdam civitatibus, decedentibus Epiſcopis propriis, dum differtur diu ordinatio ſucceſſoris, non minima creatur de officiorum divinorum offenſio, & Eccleſiaſticarum rerum naſcitur perditio. Nam dum longe lateque diffuſo tractu terrarum, commeantium impeditur celeritas nunciorum, quo aut non queat Regis auditibus decedentis Præſulis tranſitus innoteſci, aut de ſucceſſore morientis Epiſcopi libera Principis electio præſtolari, naſcitur ſemper & noſtro ordini de relatione talium difficultas, & Regiæ poteſtati, dum conſultum noſtrum pro ſubrogandis Pontificibus ſuſtinet, injurioſa neceſſitas. Unde placuit omnibus Pontificibus Hiſpaniæ, ut, ſalvo privilegio cujuſcumque provinciæ, licitum maneat deinceps Toletano Pontifici quoſcumque Regalis poteſtas elegerit, & jam dicti Toletani Epiſcopi judicio dignos eſſe probaverit in quibuslibet provinciis in præcedentium ſedibus præficere Præſules, & decedentibus Epiſcopis eligere ſucceſſores .... Hanc quoque definitionis formulam, ſicut de Epiſcopis, ita & de cæteris Eccleſiarum Rectoribus placuit obſervandam.* Unde liquet, quod Concilii ævo non modicæ antiquitatis erat Regia Electio; quippe quam, experientia rerum magiſtra, Eccleſiis tot peperiſſe incommoda

Conc. Tol. XII. *cap.* 6.

moda perceptum fuerat, quod nonniſi poſt plures Epiſcopalium Sedium vacationes contigiſſe putandum eſt. Conſtantiæ autem hujus conſuetudinis argumenta non deſunt; cujuſmodi eſt illud allocutionis Egicanis Regis in Concilio Toletano XVI. *Alio tamen Principali electione ibidem conſtituto, qui poſſit &c.* Deſiderari potius veſtigia intellige diſciplinæ hujus, quæ antiquam adeo nominationem Regiam præſefert, ante Concilium XII. ut quam fieri poſſit, origo ejus altior teneatur. Quæ ſane veſtigia ſiquis indaganda ſuſcipiat cum Loaiſa, tota ſe erraſſe via deprehendet; nam ancipitem detexiſſe originem, Regiam videlicet electionem fuiſſe antiquiorem canonica nuper allata compertum illi erit. Enimvero ut Regibus electionem vindicet Loaiſa Gothorum ævo, Braulionis, & Iſidori literas teſtes adhibet in ſuis notis ad Concilium Toletanum XII. Quarum verba hîc ſubjicio ex ea qua utor Iſidori operum editione Monachi Sangermanenſis ſæpe laudati. Braulio poſt valde effuſam Epiſtolam ſic Iſidorum alloquitur: *Suggero, ut quia Euſebius noſter Metropolitanus deceſſit, habeas miſericordiæ curam. Et hoc filio tuo noſtro Domino ſuggeras; ut utilem illi loco præficiat, cujus doctrina, & ſanctitas cæteris ſit vitæ forma. Hunc autem filium præſentem beatiſſimæ poteſtati veſtræ per omnia commendo.* Erat hic ejus Diaconus, nec liquet num Metropolitani eumdem eligi cuperet, an potius, referente eo, noſcere Iſidorum vellet, quem illi ſedi præficiendum optaret; certe Iſidorus ſic reponit: *De conſtituendo autem Epiſcopo Tarraconenſi non eam, quam petiſti, ſenſi ſententiam Regis: ſed tamen & ipſe adhuc ubi certius convertat animum, illi manet incertum.*

Dissert. IV. Cap. V.

Conc. Tol. xvi. præf.

S. Iſid. princip.

Certa hæc quidem ſunt, atque perſpicua; verum ea prævertunt Concilium Toletanum IV. nam Euſebius hic Braulionis, qui anno 610. ſubſcripſit Decreto Gundemari Regis, & 614. Concilio Egarenſi præfuit, ante Toletanum id Concilium occubuerat mortem, ut teſtatur Audax ejus ſucceſſor, qui eidem ſubſcribit. Quamobrem minus recte antiquitatem Regiæ nominationis repetit Loaiſa ab ipſis epiſtolis ex æquo metitus tempora Catholicorum Regum Gothorum: ac perperam jus Regium noſtri temporis S. Sedis privilegiis nitens, cum antiqua ea Regum conſuetudine nullum jus habentium confundit; at de recenti jure ad nos nihil attinet aliud dicere, quam quod tantum ei diſcriminis cum veteri conſuetudine intercedit, quantum jura ipſa a factis diſcrepant. Sunt itaque dividenda tempora; ita ut quæ oc-

XVI. Eorum autoritas præcipuas habuerat electionis partes ab initio deteſtatæ hæreſis.

DISSERT. IV. CAP. V. currunt veſtigia electionis Regiæ ante Concilium Toletanum IV. minime uſurpentur demonſtrandis iis, quæ poſt Concilium idem evenerunt. Hujuſmodi ſunt quæ in Concilio Barcinonenſi anno 599. Reccaredo Rege deprehenduntur: *Nulli deinceps laicorum liceat ad Eccleſiaſticos ordines prætermiſſo Canonum præfixo tempore, aut per Sacra Regalia, aut per conſenſionem Cleri, vel plebis, vel per electionem aſſenſionemque Pontificum, ad ſummum Sacerdotium aſpirare, & provehi*. Aliaque veſtigia ſunt laudatæ nuper epiſtolæ Braulionis, & Iſidori: quæ, ut patet, quin Electionibus Regia admiſceretur autoritas dubitare non ſinunt. Verumtamen, mitto illud quærere, num Reccaredo inſtauratæ Eccleſiæ auſpici plus æquo indulſerint grati animi cauſa illi Præſules, quod poſtea Reges ſucceſſores ſibi vindicaverint, omni procul dubio ademtum id omne eſt Regibus in Concilio Toletano IV. quum Epiſcopi omnes Iſidoro præſide ſtatuerunt, canonicas electiones inſtauratum iri: *Nec ille deinceps Sacerdos erit, quem nec Clerus, nec populus propriæ Civitatis elegerit, vel autoritas Metropolitani, vel Comprovincialium Sacerdotum aſſenſio exquiſivit*. Quod decretum aperte pugnat cum ea Regiæ electionis libertate, quade agitur in Concilio Toletano XII. neque hariolari fas cuiquam eſſe puto, itaut in Concilio IV. prudenter ſileri autoritatem Regiam, ac perinde in XII. jus Cleri & populi, fidenter dicat. Scribendi enim id genus a rebus facti removendum omnino eſt. Itaque alia erat Regia electio ante Concilium Toletanum IV. alia vero duodecimi Concilii ævo, neutra jure utente aliquo. Prior tamen propius conſuetudini univerſæ Eccleſiæ accedit, quippe quæ Cleri & populi ſuffragia nequaquam reſpuit: ſed altera prorſus nova eſt, atque Auguſteam uſurpationem redolet; quæ præterea Cleri populique jura antiquaſſe videtur, nullius autoritate Canonis, nulliuſque Romani Pontificis decreti privilegio innixa, quod minime eſſe factum ab Auguſtis certum ſcimus. Quumque illius originem detexiſſe mihi videar, dum primo Catholicorum Regum Reccaredo eam convenire oſtendi; ſimulque ei finem allatum eſſe in Concilio Toletano IV. compertum ſit atque exploratum; ad redivivam hanc Regiam Electionem indagandam me converto, de cujus conditione admodum diverſa a priori illa ſatis loquitur Canon Concilii Toletani XII.

Conc. Barcinon. cap. 3.

XVII. At demum Cleri & populi ele- Ante Concilii hujus tempora Regiam hanc autoritatem viguiſſe non ſolum verba Canonis, ut monebam, demonſtrant; verum

rum etiam ex hiſtoria defectionis adverſus Regem Wambanem luculenter agnoſcitur. Ibi enim de Nemauſenſi Epiſcopo hæc referuntur: *In cujus electione nullus ordo attenditur, nulla Principis, vel Metropolitani definitio præſtolatur*. Unde nova affulget lux Electionibus Epiſcoporum hujus ævi. Inter Metropolitas nimirum, & Reges res tota erat, Cleri populique ſuffragiis antiquatis. Eapropter avertendis protelationis incommodis in unum Toletanum Metropolitam aliorum ſollicitudo reclinatur, diſciplinæ ſumma nullatenus variata. Cujus rei originem aſſequuturi, ad ſeptimi, aut octavi Concilii tempora, ſive ad Chindaſvindi, ejuſque filii ac ſucceſſoris Receſvindi regnum redeamus neceſſe eſt. Defectionum ſcilicet cujuſcumque Ordinis frequentia, ſimoniacæ ordinationes indeque non rari tumultus, ingenium utriuſque Regis optimis nempe moribus atque inſtitutis imbuendæ Monarchiæ cupidiſſimi, necnon conniventia Præſulum mutui amoris ac reverentiæ cauſa, non ſecus rem habere perſuaſiſſimum nobis eſſe volunt. Quod ſi Canone ab Epiſcopis conſtitutum, aut a Regibus lege cautum hac de re aliquis ſuſpicetur, is enimvero nec pro ſumma Principum religione, nec pro Antiſtitum ſpectata doctrina, atque in S. Sedem reverentia facere mihi videtur. Quid? Rem tanti momenti, totque inhærentem decretis Conciliorum Romanorumque Pontificum, illi Præſules lata in contrarium lege convellerent? Ad thimiamaterium ii Principes manum extenderent, ſanctioraque Eccleſiæ inſtituta ſuis ſanctionibus antiquarent? Non ea Catholicis Regibus indita mens; non ea Præſulibus audacia innata erat. Eligebantur quidem Epiſcopi a Principibus, neque ipſi Epiſcopi, ut antea in Galliis factum erat, obſtiterunt. Quî autem ſtetiſſet ſumma ea concordia Sacerdotii & Regni, quam in Hiſpaniis miramur, niſi datum eſſet Principibus, ut quæ extra Eccleſiam erant, ſua & ipſi autoritate ſubditis metuenda fulcirent? Cæterum quicquid aut datum, aut toleratum hujuſmodi ab Eccleſia legitur, nequicquam legibus definitum quæritur; ac proinde torqueat ſe quantum vult qui ex factis jura nititur derivare, multa in provinciis præſertim longe diſſitis difficultas temporum produxit Apoſtolicæ inſtitutioni adverſantia, quæ, quamquam diutiſſime tolerata, juris tamen naturam non ſunt adepta. Nonne Chriſti etiam Vicarii confirmationem uſurpatam prius a Principibus, deinde mordicus retentam novimus? Imperialis vero juſſio quanam inhæret Eccleſiæ lege? Perinde eſt de Electio-

Electiones antiquatæ Regum electioni cedũt.

Duchesn. to. I. *p.* 822.

R 2

DISSERT. IV. CAP. V. ctionibus Hiſpanorum Præſulum. Ante annum ſiquidem 633. quum Concilium Toletanum IV. celebrabatur, Cleri populique ſuffragiis Regiam autoritatem conſueviſſe accedere compertum eſt: poſt eum annum aliquandiu canonica electio citra Regis ſuffragium quodvis obtinuit: procedente autem tempore, haud-dubie ob vitioſas ſæpe electiones obſoletis Cleri populique ſuffragiis, Reges & Epiſcopi, atque horum loco Metropolitæ ſinguli in ſua provincia, inſtar erant Cleri totius, & populi: ac poſtremo Concilium Toletanum XII. anno 681. cujuſvis Metropolitæ hac de re ſollicitudinem in Regiæ Urbis Metropolitam rejecit.

XVIII. Conſecratio Epiſcopor. fiebat rite die Dominico. Quod ſi electio Epiſcoporum tam varia fuit in Hiſpaniis; contra eorum conſecratio una ſemper atque eadem cuſtodita eſt ab Epiſcopis iis ſanctiſſimis, & juxta Canonum, ac Decretalium Epiſtolarum ſcientiſſimis; tametſi Eccleſiæ utilitas iis perſuaſerit, ut Toleti quævis conſecratio fieret, ſalvis Metropolitarum privilegiis, qui ultro concedebant jure dumtaxat conſecrationis, ut celerius populis crearetur Paſtor. Quumque de hac diſciplinæ parte abunde dixerim principio capitis, rem hîc non ocioſam pertractare lubet, quam alibi adverſus Pagium acerrime vindicabam, de die nimirum conſecrationis Epiſcopalis certa afferens documenta, quæ Pagii ejuſdem axioma de ordinandis Epiſcopis die dominico, aut ſolenniori aliquo prorſus diruant. Duo tantum afferam documenta, tum quia ſatis ſuperque ſunt ad hanc diſciplinam Hiſpaniis aſſerendam per totum ſeculum ſeptimum, tum quia illuſtriora iis peti nequaquam poſſunt. Primum eſt, celebre id decretum Concilii Toletani IV. cui

Conc. Tolet. IV. cap. 19. præſidebat egregius Eccleſiæ Doctor S. Iſidorus. *Ab univerſis*, ajunt Patres, *Comprovincialibus Epiſcopis aut certe a tribus in Sacerdotium die dominica conſecrabitur*. Alterum vero eſt Canon Concilii Cæſarauguſtani III. anno 691. celebrati, quod, quia proxime ſequuntur calamitates Hiſpaniæ, certiſſimus teſtis eſt diſciplinæ hujus ante Mauricam invaſionem: neque aliud ipſe cupio, præter certam diſciplinæ conſecrationis Epiſcoporum doctrinam ante octavum ſeculum. Cæſarauguſtani igitur Patres Baſilicarum conſecrationem die dominico factum iri decernentes, argumento utuntur conſecrationis Epiſcoporum, tanquam

Conc. Cæſar. III. cap. 1. maxime omnium firmo, his verbis: *Si ergo quum quiſque noſtrum mortalium ad ſacerdotale promovetur Officium, nullatenus patimur, ut in reliquis diebus, niſi tantum Dominicis feſtivitatibus*

Digitized by Google

tibus ii, qui honoris digni habentur officio, in ordine præficiantur Eccleſiaſtico; quanto magis ut Deificata ſancta templa, quæ ab hominibus fidelibus cenſentur honorificanda, ſine diebus dominicis probibeantur conſecranda? Quod ſane documentum iis facile præferendum, quæ doctiſſimus Card. Noris adhibuit, quum dominicam diem conſecrationi Epiſcoporum vindicavit in Eccleſia latina, adjungi velim illis, quæ egomet adverſus Antonium Pagium ſæpe attuli in notis ad librum Pontificalem, ut certo nunc demum ſciatur, quod non ſolum Romani Pontifices unde omnis diſciplina, velut ex puro fonte originem ducit; ſed Epiſcopi omnes ſeptem prioribus Eccleſiæ ſeculis die Dominica ordinari conſueverunt. Non enim levis momenti eſt ætates certas Epiſcoporum noſſe; hinc quippe præcipui rerum eventus pendent, qui Eccleſiaſticam illuſtrant hiſtoriam.

DISSERT. IV. CAP. V.

Hiſt. Pel. lib. 2. cap. 24.

XIX. Promiſſio, & cautio Epiſcoporum Hiſpaniæ.

Conſecrationem Epiſcopalem tot ſacris Canonibus, Romanorumque Pontificum decretis ſtabilitam, ut ex Codice Veterum Canonum Hiſpana in Eccleſia celeberrimo habemus, conſequitur cæremonia, ſive ordo ejus celebrandæ. Atque utinam iſte integer ad nos veniſſet! Veſtigia ejus tantummodo ex Conciliis ſuppetunt, præſertim Promiſſionis, ſeu profeſſionis fidei, quam faciebat conſecrandus; & cautionis, nempe promiſſionis a priori diverſæ, quippe quæ munus ipſum Epiſcopale ſpectabat; quin etiam juxta Diurnum Pontificum, ſcriptis mandabatur. Quumque de iis eruditi recentiores diſputent, ut antiquæ conſecrationis rationem in tot Ordinum Codicibus tum editis, tum MSS. & in diurno Pontificum extantem illuſtrent; mea etiam intereſt utramque breviter conſiderare in Hiſpaniis ante octavum ſeculum: nam poſtquam Saraceni expulſi inde ſunt, nova jam paſſim obtinebat diſciplina conſecrationum, quæ omnibus abſoluta numeris in Pontificali Romano habetur. Argumento hujuſmodi nullum affert præſidium Codex Veterum Canonum Eccleſiæ Hiſpanæ. Ex iis vero Conciliis, quorum nullus Canon relatus fuit in Codicem, duo, Emeritenſe, & Toletanum XI. abunde agunt de utraque promiſſione: Emeritenſe ſiquidem anno 666. celebratum decernit: *Ut tempore, quo Metropolitanus in Eccleſia Dei fuerit ordinatus Epiſcopus, placitum in nomine ſuorum comprovincialium Epiſcoporum faciat; ut caſte, ſobrie, recteque vivat. Similiter & quando confinitimi Epiſcopi in Eccleſiis, quibus præeſſe poterint, fuerint ordinati, placitum faciant in nomine Epiſcopi ſui Metropolitani, ut caſte, recte, & ſobrie vivant.*

Concil. Emerit. cap. 4.

DISSERT. IV. CAP. V. *vant*. Concilium vero Toletanum XI. poſt annos novem celebratum non modo de Epiſcoporum, ſed de omnium Eccleſiæ Rectorum promiſſione ſtatuit: *Conc. Tolet. XI. cap. 10.* *Quamquam omnes*, ajens, *qui ſacris mancipantur ordinibus, canonicis regulis teneantur adſtricti; expedibile tamen eſt, ut promiſſionis ſuæ vota ſub cautione ſpondeant, quos ad promotionis gradus Eccleſiaſtica provehit diſciplina: ſolet enim plus timeri, quod ſingulariter pollicetur, quam quod generali innexione concluditur. Et ideo placuit huic ſancto Concilio, ut unuſquiſque, qui ad Eccleſiaſticos gradus eſt acceſſurus, non ante honoris conſecrationem accipiat, quam placiti ſui innodatione promittat, ut fidem catholicam ſincera cordis devotione cuſtodiens, juſte, & pie vivere debeat, & ut in nullis operibus ſuis canonicis regulis contradicat, atque ut debitum per omnia honorem, atque obſequii reverentiam præeminenti ſibi unuſquiſque dependat*.

XX. Cautioné ſcripto non mandabant Hiſpani. *De benef. P. 2. lib. 2. c. 44. n. 6.*

Recte hinc Scriptor veteris & novæ Diſciplinæ primum exculpit documentum promiſſionis obedientiæ, quæ in Pontificali Romano audit *Forma juramenti*. Verba ejus recito: *In Hiſpania ergo prima ſe explicuere documenta expreſſæ ſeu promiſſionis, ſeu profeſſionis, qua fungi neceſſe eſt Epiſcopis Clericos, Epiſcopos Metropolitanis in ipſa ſui ordinatione*. Nec parva hinc laus accedit Eccleſiæ Hiſpanæ, cujus optima tot inſtituta ipſis ex ejus ruderibus collecta in Galliis, immo ab Apoſtolica Sede adoptata ad univerſam poſtea Eccleſiam emanarunt. Aliquid tamen plus ego video in allatis Canonibus, nam utramque promiſſionem in libro diurno Pontificum vulgatam valde perſpicuam eſſe puto. Et ſane primæ illius promiſſionis character uſque a Concilii Toletani IV. ætate cognitus, ſatis aperte promiſſionum diverſitatem præſefert: *Conc. Tolet. IV. cap. 27.* *Quando Presbyteri, vel Dacones per parochias conſtituuntur, oportet, eos profeſſionem Epiſcopo ſuo facere, ut caſte & pure vivant ſub Dei timore, ut dum eos talis profeſſio religat, vitæ ſanctæ diſciplinam retineant*. Promiſſio vero altera quam ſuis Metropolitanis Epiſcopi faciebant, non ipſa tantum in ordinatione fieri conſuevit, ſed qui minime conſecrabantur a ſuo Metropolita, poſt ordinationem eam facere tenebantur: *Conc. Emer. c. 4.* *Tempore*, ait Emeritenſe idem Concilium, *quo ad Metropolitanum ſuum poſt ſuam venerint ordinationem, tale placitum non differant facere*. Remque attingens propius Concilium Toletanum XII. *Conc. Tol. XII. cap. 6.* *Qualiter ejus autoritate*, inquit, *vel diſciplina inſtructus condigne ſuſceptæ Sedis gubernacula teneat*. Neque aliud mihi

mihi videor poſſe educere ab ipſo illo cautionis exemplo, quod in Diurno occurrit: *Inter cætera ſalubris inſtituta doctrinæ, quibus me Ill. Epiſcopum vos . . . . . ad accipiendum, regendumque Epiſcopatum Eccleſiæ Ill. perducere, atque informare dignati eſtis &c.* Quamobrem affirmare nullus dubito, quod utraque illa Promiſſio aut conjunctè, quum Epiſcopi ordinabantur a ſuo Metropolita, aut ſeparatim, quum alibi conſecrati ante ſuum Metropolitam ſe ſiſtebant, ab iiſdem fieri conſuevit. Id mihi non licuit reperire, num Cautio illa, ſeu placitum, ipſum munus Epiſcopale ſpectans ab Hiſpanis Præſulibus mandaretur ſcripto: tametſi parum noſtra intereſſe arbitror, utrovis modo fieret, dum ſumma eadem erat, &, quod majus, ſollers adeo indagator diſciplinæ veteris fatetur, ſe hujuſmodi promiſſionis prima documenta non alibi, quam in Hiſpaniis comperiſſe; unde Hiſpanæ Eccleſiæ gloria non parum accipit incrementum. DISSERT. IV. CAP. V. *Diurn. Pp. c. 3. t. 7.*

XXI. Officium Epiſcopor. Hiſpan. per ſec. VII. a vitiis diſciplinæ purgatum.

De Hiſpanorum Præſulum Officio nihil attineret verba facere, niſi aliquid huc referendum eſſet de vitiis diſciplinæ Arianorum tempore: attamen de re eruditis non ignota aliquantulum loquar alia etiam de cauſa; quia ſcilicet cæterorum ordinum Officia ſingula in medium attuli, & quia rem Epiſcopalem quam fieri poteſt, magis integram, teneri cupio. Itaque Iſidoro teſte: *Ad Epiſcopum pertinet baſilicarum conſecratio, unctio altaris, confectio chriſmatis. Ipſe prædicta officia, & ordines Eccleſiaſticos conſtituit. Ipſe ſacras virgines benedicit: & dum præſit unuſquiſque in ſingulis, hic tamen eſt præordinator in cunctis.* Quinque ex his capitibus ullum eſſe violatum poſt S. Iſidori tempora monumentorum veterum nullum docet: antea vero evenerant plura, quæ oportuit corrigi etiam poſt generalem deteſtationem hæreſis. Neque id mirum; namque Eccleſiaſticorum plerique morum ac diſciplinæ corruptelæ inſueverant, Præſuleſque utplurimum ignoratione inſigni laborabant. Teſtatur rem Concilium Hiſpalenſe II. S. Iſidoro præſide anno 619. a deteſtata hæreſi triceſimo. Deponit ſcilicet id Concilium presbyterum & Diaconos duos, qui ſuo ipſorum Epiſcopo laborante oculis, benedictionem acceperant a presbytero, manum dumtaxat imponente Epiſcopo ſuper eorum capita: & presbyterum Ordinatorem condemnatum iri ſtatuit, ſi ſuperſtes eſſet. Deinde aliam depravationem diſciplinæ ſugillat in Agapio Cordubenſi Epiſcopo, qui presbyteris certis demandaverat, ſe abſente erectionem altarium, & baſilicarum conſecrationem: *Quod quidem,* inquiens, *non*

Epiſtol. ad Lau. defr.

Conc. Hiſpal. II cap. 5.

Ibid. cap. 7.

Diſsert.IV. Cap. V. *non eſt mirum id præcepiſſe virum Eccleſiaſticæ diſciplinæ ignarum, & ſtatim a ſeculari militia in ſacerdotali miniſterio delegatum*. Uberiorem vero teſtem ejuſdem rei habemus Iſidorum ipſum, cujus in oculis & corruptela, & ignoratio erant: *Quomodo enim*, exclamat, *valebit ſecularis homo ſacerdotis magiſterium adimplere, cujus nec officium tenuit, nec diſciplinam agnovit? Aut quid docere poterit, quum ipſe non didicit? Nunc vero ſæpe cernimus plurimos ordinationem talibus facere, nec eligunt qui Eccleſiæ proſint, ſed quos vel ipſi amant, vel quorum ſunt obſequiis deliniti, vel pro quibus majorum quiſpiam rogaverit, & ut deteriora dicam, qui ut ordinentur muneribus impetraverunt. Taceo de reliquis. Alii ſucceſſores filios, vel parentes faciunt, & conantur poſteris Præſulatus relinquere dignitatem ..... Interdum autem & juxta meritum plebium, eliguntur perſonæ Rectorum; unde noverint populi, meriti ſui fuiſſe regimen perverſi ſuſcepiſſe Pontificis*. Ita ſe habebant res diſciplinæ Epiſcopalis, quum S. Iſidorus ſuos de Officiis Eccleſiæ libros ſcribebat Fulgentio fratri.

De Off. Eccl. lib. 2. c. 5.

XXII.
S. Iſidori opera Officium Epiſcop. reſtitutū.

Hoc vero ex diſciplinæ corruptæ, & ignorationis cœnoſo fonte Officii Epiſcoporum turbatio omnis profecta eſt. Eſtque Dei Optimi Maximi conſilium ſummis laudibus efferendum, quippe ſanctiſſimos duos Præſules Leandrum, & Iſidorum dedit Hiſpaniis, quorum primus Catholicam fidem revocavit; alter cœptum ab eodem opus de inſtauranda diſciplina perfecit, atque Epiſcopale officium peſſumdatum acerrime vindicavit. Nec vero fuit Iſidoro negotium facile inſtauratio iſtæc; nam, tametſi ſtatutum in Concilio Toletano III. erat de ſervandis Canonibus, & decretis Romanorum Pontificum; tamen triginta iis annis, qui Concilium Hiſpalenſe II. præiverant, extirpari omnino non potuerant diſciplinæ vitia, & ignoratio rerum Eccleſiæ. Quamobrem non modo emendare facta, ſed facienda docere opus fuit Epiſcopos, & presbyteros. *Quamvis*, ait Canon nuper laudatus, *cum Epiſcopis plurima illis* (presbyteris) *miniſteriorum communis ſit diſpenſatio; quædam novellis, & Eccleſiaſticis Regulis ſibi prohibita noverint: ſicut Presbyterorum, & Diaconorum, ac Virginum conſecratio; ſicut conſtitutio altaris, benedictio, vel unctio; ſiquidem non licere eis Eccleſiam, vel altarium conſecrare, nec per impoſitionem manus fidelibus baptizatis, vel converſis ex hæreſi Paracletum ſpiritum tradere, nec chriſma conficere, nec chriſmate baptizatorum frontem ſignare; ſed nec pu-*

Conc. Hiſpal. II cap. 7.

publice quidem in Miſſa quemquam pœnitentium reconciliare; DISSERT. IV.
nec formatas cuilibet epiſtolas mittere. Notandum hîc obiter, CAP. V.
quod indicati presbyteri ſunt Chorepiſcopi, de quibus mox dicam. Quin etiam longe poſt Hiſpalenſe Concilium, anno videlicet 633. tota Hiſpania reſtitutam novimus eam diſciplinam tam multis decretis Concilii Toletani IV. cujus digeſtor fuit Sanctus idem Præſul, præcipue capitibus 19. & 25. quorum verba non pigeat hîc referri: *In veteri lege*, inquit, *ab anno vigeſimo quinto* Conc. Tolet. IV. c. 19. 25.
Levitæ in tabernaculo ſervire mandantur, cujus autoritatem in Canonibus & Sancti Patres ſequuti ſunt. Nos & divinæ legis & Conciliorum præcepti immemores, infantes & pueros Levitas facimus ante legitimam ætatem, & ante experientiam vitæ. Ideoque ne ulterius fiat a nobis & divinæ legis, & Canonum admonemur ſententiis. Sed vigintiquinque annorum ætatis Levitæ conſecrentur, & triginta Presbyteri ordinentur, ita ut ſecundum præceptum Apoſtolicum probentur primum, & ſic miniſtrent, nullum crimen habentes. Alio autem ex indicatis capitibus cavetur, ne in ſacramentorum ſaltem adminiſtratione presbyteri errent: *Quando presbyteri in parochiis ordinantur, libellum Officialem a ſuo ſacerdote accipiant, ut ad Eccleſias ſibi deputatas inſtructi ſuccedant, ne per ignorantiam etiam in ipſis divinis ſacramentis offendant*. Hujuſmodi multa videſis in eodem Concilio, tum ut corruptam ex ignorantia diſciplinam hauddum eſſe penitus inſtauratam intelligas, tum ut egregio Eccleſiæ doctori S. Iſidoro ejus inſtaurationem referri acceptam mecum ſentias: quem tamen, inſcitiæ plena opuſcula ei vindicando, aliqui diſciplinæ ignarum temere ſugillarunt.

XXIII. Chorepiſcoporum inſtitutum & officium.

Inter diſciplinæ Epiſcopalis vitia illud recenſui, quod presbyteri aliquot ſibi uſurpare erant auſi officium Epiſcoporum, eoſque vocari ajebam Chorepiſcopos, quorum conditionem Hiſpanis notiſſimam audire oportet ex eodem Iſidoro. *Chorepiſcopi*, inquit, *ideſt Vicarii Epiſcoporum, juxta quod Canones ipſi teſtantur, inſtituti ſunt ad exemplum 70. ſeniorum, tamquam Sacerdotes, propter ſollicitudinem pauperum. Hi in vicis, & villis inſtituti gubernant ſibi commiſſas Eccleſias habentes licentiam conſtituere Lectores, Subdiaconos, Exorciſtas: Presbyteros autem, & Diaconos ordinare non audeant, præter conſcientiam Epiſcopi, in cujus regione præeſſe noſcuntur: hi enim a ſolo Epiſcopo Civitatis, cui adjacent, ordinantur*. Quæ quidem Iſidoriana doctrina a ſacris Canonibus Conciliorum Neo- De off. Eccl. lib. 2. cap. 6.

DISSERT. IV. CAP. V. cæſarienſis, Ancyritani, & Antiocheni deſumta eſt, quos ſanctus ille Doctor in ſuam Collectionem Veterum Canonum retulerat. Quod ut verum ſit, Antiocheni Canonis verba ipſa ſunt recitanda: *Qui in vicis, vel poſſeſſionibus Chorepiſcopi nominantur, quamvis manus impoſitionem Epiſcoporum perceperint, & ut Epiſcopi conſecrati ſint: tamen S. Synodo placuit, ut modum proprium recognoſcant, & gubernent ſibi ſubjectas Eccleſias, earumque moderamine, curaque contenti ſint. Ordinent etiam Lectores, & Subdiaconos, atque Exorciſtas, quibus promotiones iſtæ ſufficiant. Nec Presbyterum vero, nec Diaconum audeant ordinare, præter Civitatis Epiſcopum, cui ipſe cum poſſeſſione ſubjectus eſt.... Chorepiſcopum vero Civitatis Epiſcopus ordinet, cui ille ſubjectus eſt*. Poſtremis hiſce verbis ſuperiora illuſtrantur, ne fortaſſe conſecrationem Chorepiſcopi cum Epiſcopali quis confunderet. Itaque recte Concilium Hiſpalenſe II. Chorepiſcoporum uſurpationes condemnat. Verum id Chorepiſcoporum officium tum ex Codice Veterum Canonum, tum ex libris de Officiis Eccleſiæ ſatis notum in Hiſpaniis nolim vicis villiſque Hiſpaniæ omnibus quis adſcriberet eadem prorſus ratione, qua in Oriente eos fuiſſe conſtat. Nam ne illorum quidem nomen poſt prædictam diſciplinæ inſtaurationem invenitur, quidquid innumera documenta extent, quæ ſeptimi ſeculi Eccleſiam illuſtrent: immo potius Concilia præſertim Emeritenſe, & Toletanum XII. teſtantur, quod Parochi, & Abbates Chorepiſcoporum munere in vicis, & villis fungebantur. Præterea S. Iſidorus in ſæpe laudata epiſtola ad Laudefredum, officia omnium graduum recenſet, ne verbum quidem faciens de Chorepiſcopis, ſubditque continuo: *Ipſe* (Epiſcopus) *prædicta officia & Ordines Eccleſiaſticos conſtituit*. Ratio autem hujus rei ab Iſidoro eodem redditur, quia nimirum Chorepiſcopi, & Presbyteri eadem prorſus autoritate pollebant. *Relatum eſt nobis*, ajebat cum Concilio comprovincialium Fratrum, *Agapium Cordubenſem Epiſcopum frequenter Chorepiſcopos, vel Presbyteros deſtinaſſe, qui tamen juxta Canones unum ſunt*. Ea propter ſi poſt inſtauratam diſciplinam, Chorepiſcoporum autoritatem omnem ſenſim obſoleviſſe dixerimus, nullum ſane afferri poterit documentum, quod nobis objiciatur; ac proinde Parochi illi, & Abbates, quos in vicis & villis munere illorum functos eſſe vidimus, aut plus aliquid autoritatis habuerint, quam meri presbyteri, aut pari cum iiſdem poteſtate fuerint, certe nihil novi

Cod. Vet. Can. lib. 1. tit. 35. Concil. Antioch. cap. 10.

Conc. Hiſpal. II cap. 7.

Digitized by Google

novi afferunt, quod officiis, inſtitutiſque enarratis objiciatur. Unum ex iis officiis præteriri non debet, quod noſtri ævi diſciplinam ſpectans data opera rejeci poſt gradus alios omnes, eſtque Pſalmiſtatus officium.

XXIV. Pſalmiſtæ officium Clericis minoribus demandar. ſolitũ.

Inter eos gradus quos Laudefredum monuit Iſidorus conſtitui omnes ab Epiſcopo, Pſalmiſta etiam recenſetur. Hunc novimus appellari hodie illum qui initiatur; olim vero aliter ſe res habuit. Pſalmiſta ſcilicet, & Cantor unum idemque erant, Concilio Carthaginenſi teſte: *Pſalmiſta, ideſt Cantor poteſt abſque ſcientia Epiſcopi ſola juſſione presbyteri officium ſuſcipere cantandi*. (Conc. Carth. IV. cap. 10.) Cui profecto Canoni non adverſatur Iſidorus, dum conſtitui eos affirmat per Epiſcopum, ii ſiquidem non conſtituebant peculiarem gradum, ſed ex minoribus eligebantur ut canendi officio fungerentur. Quare in libris de Eccleſiæ officiis cum Carthaginenſi Concilio concinens: *Solent autem*, inquit, *ad hoc officium etiam abſque conſcientia Epiſcopi ſola juſſione presbyteri eligi quinque, quos probabiles in cantandi arte eſſe conſtiterit.* (De off. Eccleſ. lib. 2. c. 12.) Qui autem extra aleam rem ponit, eſt Magnus Gregorius, dum Acta Concilii Romani referens: *In ſancta*, inquit, *Romana Eccleſia, cui divina diſpenſatio præeſſe me voluit, dudum conſuetudo eſt maxime reprehenſibilis exorta, ut quidam ad ſacri altaris miniſterium Cantores eligantur, & in Diaconatus ordine conſtituti, modulationi vocis inſerviant, quos ad prædicationis officium, eleemoſynarumque ſtudium vacare congruebat. Unde fit plerumque, ut ad ſacrum miniſterium dum blanda vox quæritur, quæri congrua vita negligatur, & Cantor miniſter Deum moribus ſtimulet, quum populum vocibus delectat. Qua in re præſenti decreto conſtituo, ut in ſede hac ſacri altaris miniſtri cantare non debeant, ſolumque lectionis Evangelicæ officium inter Miſſarum ſolennia exſolvant: pſalmos vero ac reliquas lectiones cenſeo per Subdiacones, vel ſi neceſſitas fuerit, per minores ordines exhiberi*. (S. Greg. lib. 4. ep. 44.) Hinc eſt quod S. Iſidorus tam in libris de Officiis Eccleſiæ, quam in Epiſtola ad Laudefredum Pſalmiſtas recenſet pone Lectores, quippe quos in Hiſpaniis haud dubium eſt conſueviſſe eligi ex minoribus gradibus: quod ante Iſidorum eſſe factum novimus in Concilio Laodiceno, a quo eſt decretum, ut *non oporteat Lectores, aut Cantores orariis uti, & ita legere, & pſallere*. (Conc. Laod. c. 15.) In libro Veterum Canonum Eccleſiæ Hiſpanæ, cui ſecundas, tertiaſve poſt Iſidori collectionem curas, acceſſiſſe vidimus, Pſalmiſtæ primi omnium recenſentur. Id ve-

 ro nulla alia ex cauſa per me creditur eſſe factum, niſi quia ordo graduum omnium tum minorum, tum majorum in Hiſpaniis maxime perſpectus ex Romanorum Pontificum Decretis, ei, qui collectionem illam poſtremus recenſuit, perſuaſerit, ut illis gradibus non infereret officium nulli certo ex minoribus adhærens. Compertum nihilominus atque exploratum mihi eſt, quod qui hodie initiantur, ſeu primam tonſuram accipiunt, nihil rei habent cum veteris Eccleſiæ Cantoribus, ſive Pſalmiſtis. Atque hæc ſatis ſint de Officiis, atque inſtitutis Clericorum.

CAPUT VI.

De moribus, atque judiciis Clericorum Hiſpaniæ per ſeculum VII.

I. Mores Clericorum Hiſpaniæ.

SI ulla in re brevitati ſtudendum mihi fuit, ne in immenſum excreſceret hæc de antiquitate Eccleſiæ Hiſpanæ diſſertatio, id præſertim facere ſum compulſus, ubi ad Clericorum mores me converti. Quandoquidem ſerio reputans innumeras illas Eccleſiæ regulas, quas ſanctiſſimi illi Epiſcopi & ſibi, & cuicumque gradui obſervandas propoſuerunt, vix integrum conficiendo volumen rem digeri per me poſſe intellexi. Enimvero adeatur collectio veterum Canonum, ac diligenter adnotentur quæ tum ex ſacris Conciliis, tum ex decretis Romanorum Pontificum ii collegerunt: nonne ſimplex eorumdem exſcriptio, citra Commentaria quævis, ingentem molem portendit? Quod ſi eædem regulæ in certa capita diſtributæ & aliarum Eccleſiarum exemplis illuſtrentur, & pœnis in tranſgreſſores adhibitis roborentur: ecquis non faſtidiat de antiquitate Eccleſiæ diſputantem tamdiu explorandis moribus vacare? Compendio igitur in his maxime uti me oportuit; ita tamen, ut deſiderandum vix quicquam relinquerem circa Epiſcoporum & Cleri mores per totum id temporis ſpatium, quod mihi præſcripſi. Id vero per me facile erit præſtitum, ſi prætermiſſis omnibus aliis regulis, quæ indicatis in titulis Codicis recenſentur, iis dumtaxat inſiſtam, quæ unico alio titulo enumerantur, *de Caſtimonia*, videlicet, *totius Ordinis Clericorum*, quam ſæpe violatam reperio. Huc ſiquidem præcipuam Epiſcoporum ſollicitudinem ſpectare video; huc totius ordinis diſciplinam corruptam ſæpe revocari oportuiſſe compertum habeo. Quumque incontinentiam Cleri, corru-

Cod. Vet. Can. lib. 1. tit. 13. 27. 30. & 48.

Ibid. tit. 54.

ruptoſque alios mores, antiqua Eccleſia in ſuis judiciis cohibuerit; ab iſto capite judicia non disjungam; proindeque uno & eodem ductu de moribus, ac de judiciis differam, qua in re Lectoribus gratum faciam, quippe nec diuturnum ferent diſceptatorem de moribus, nec diſputationem de iiſdem inſtaurari eos tædeat, judicia eadem differendo. Unicum his caput præmitti debet de Tonſura Clericorum, ut ſevera inde morum diſciplina in rebus cæteris conjiciatur: *Omnes Clerici*, ita Nationale Concilium ſtatuit, *vel Lectores, ſicut Levitæ, & Sacerdotes, detonſo ſuperius Capite toto, inferius ſolam circuli coronam relinquant. Non ſicut huc uſque in Gallitiæ partibus facere Lectores videntur, qui prolixis, ut laici, comis in ſolo capitis apice modicum circulum tondent. Ritus enim iſte in Hiſpaniis huc uſque hæreticorum fuit*. Multa in hunc Canonem Thomaſſinus obſervat, præ iis autem ingenue fatendum eſſe contendit, quod primis quinque Eccleſiæ ſeculis Clerici a laicis nec tonſura, neque habitu diſtinguebantur, ſexto autem, ſeptimoque cœpit laudabile id diſcrimen, cœpitque in Hiſpaniis, unde frequenter vidimus duxiſſe originem Eccleſiaſtica tot inſtituta. Cæterum optandum valde eſſet noſtra ætate, ut Clericorum plurimos non puderet modici illius circuli, quem audivimus ab Hiſpanis rejectum eſſe.

DISSERT. IV. CAP. VI.

Conc. Tolet. IV. cap. 40.

De beneſ. P. I. l. 2. c. 38. n. 1. &c.

II. Ab exteriori Clericorum cultu ad ſeveriorem longe alium, quo illorum animi ornandi erant, tranſeo: Canoneſque in prædicto titulo adnotatos relegens, pro comperto habeo, quod quicquid a primævæ Eccleſiæ Clericis Patres, & Concilia exigebant, id omne in Hiſpaniis ſeveriſſime inſtauratum fuit. Et ſane Cyprianus, Hieronymus, Auguſtinus, iiſque adhærentes Synodi Carthaginenſes II, & IV. Tarraconenſis, & Hiſpalenſis I. allocutionem, congreſſum, contubernium cum mulieribus prohibebant Clericis, ne ad conſanguineas quidem abſque teſtimonio accedere iiſdem juſſis. Harum vero Synodorum Canones in collectione Hiſpana inſtauratos cernimus. Nam non modo ſinguli recenſentur; ſed nova in Concilio Toletano lata lege ad amuſſim ſervandi præcipiuntur. *Quamvis*, inquit, *conſcientiam puram apud Deum nos habere oporteat, tamen & apud homines famam optimam cuſtodire convenit, ut juxta præceptum Apoſtolicum non tantum coram Deo, ſed etiam coram hominibus vitæ ſanctæ teſtimonium habeamus..... Ut ergo excludatur deinceps omnis nefandæ ſuſpicionis occaſio, & ne detur ultra ſecularibus locus obtrectandi, oportet Epiſcopos teſtimonium probabilium perſonarum*

Caſtimoniæ præ ſertim legibus clerus cohibebatur.

Conc. Tolet. IV. cap. 21.

DISSERT. IV. CAP. VI. *rum converſationis & vitæ in Conclavi ſuo habere, ut & Deo placeant per converſationem bonam, & Eccleſiæ per optimam famam*. Ita cautum eſt caſtimoniæ Epiſcoporum. Nec minori diligentia converſationi Presbyterorum, & Diaconorum proſpexit Concilium: *Similiter*, ajens, *placuit, ut quemadmodum Antiſtites, ita Presbyteri, atque Levitæ, quos forte infirmitas, atque ætatis gravitas in Conclavi ſuo manere non ſinit, ut & iidem in cellulis ſuis teſtes vitæ habeant, vitamque ſuam ſicut nomine, ita meritis teneant*. Quid quod ipſis adoleſcentibus clericis converſatio ſancta injungebatur? *Conſtituendum oportuit, ut ſiqui in Clero puberes, aut adoleſcentes exiſtunt, omnes in uno Conclavi atrii commorentur, ut lubricæ ætatis annos non in luxuria, ſed in diſciplinis Eccleſiaſticis agant, deputato probatiſſimo ſeniore, quem & magiſtrum diſciplinæ, & teſtem vitæ habeant*. Quæ omnia collineant ad Cleri caſtimoniam exactiſſime cuſtodiendam, quod Concilium ipſum conceptis verbis expreſſit: *Inoffenſos*, inquiens, *& immaculatos decet Dei exiſtere Sacerdotes, nec ullius eos fornicationis contagio pollui, ſed caſte viventes, mundos ſemetipſos celebrandis exhibeant ſacramentis*. Sic novimus eſſe cautum pro omni Clericorum gradu in ipſa inſtauratione Eccleſiaſticæ diſciplinæ: procedente autem tempore pœnas graviſſimas eſſe propoſitas transgreſſoribus mox videbimus, ut conſtet, non perfunctorie eſſe latas ab Epiſcopis leges, ſed ad formandos Cleri mores, quorum nuſquam reperire eſt vindices magis acres, aut cuſtodes magis vigiles.

Ibid. cap. 22. *Ibid. cap. 23.* *Ibid. cap. 20.*

III. Pœnis depoſitionis, ac perpetuæ pœnit. propoſitis.

Perſpicue id enitet poſt viginti annos ab allatarum legum promulgatione. Quum enim Epiſcopi, Presbyterorum, Diaconorum, & Subdiaconorum hujuſmodi tranſgreſſiones ſe obtulerint Concilio Toletano VIII. Nationali, congregati Patres, cuivis gradui ſingillatim pœnas propoſuerunt. Epiſcopis ſiquidem depoſitionem interminantur: *Si deinceps Epiſcopi detecti fuerint execrabilibus flagitiis cum quibuslibet feminis pollui, ac familiari peculiaritate verſari, noverint ſe irrevocabili ſententia Patrum ulciſci, ideſt & loci & ordinis dignitate privari*. Quod porro decretum minime eſſe fruſtratum demonſtrat Potamii Bracarenſis Epiſcopi ob ejuſmodi lapſum depoſitio. Presbyteros vero & Diaconos audiens Concilium *fœminarum immunda ſocietate & execrabili contagione turpari*, decernit, ut quiſque Epiſcopus in ſua Diœceſi ſimilia peccantes inquirat, ac ſeveriſſime puniat, mulieribus aut venditis, aut ita ſeparatis ut

Conc. Tol. VIII. c. 4. 5. & 6. *Conc. Tolet. X. decr. 1.*

cum

cum iis conſortium ſint nullatenus habituræ: ac poſtremo decretum claudit his verbis: *Illi vero ſi omnino coerceri nequiverint, uſque ad exitum vitæ ſuæ Monaſteriis deputati, diſciplinis monaſticis maneant omnino ſubjecti.* Non diſſimili afficiunt pœna Subdiaconos iidem Patres, ſi poſt acceptam in ordinatione benedictionem ſorde aliqua contaminentur. *Quod ſi hoc vulnere,* ajunt, *deinceps fuerint ſauciati, mox erunt ſub pœnitentiæ oneribus uſque ad extremum vitæ Monaſteriis religandi.* Horremus ſcilicet aliis aſſueti moribus ſeveritatem pœnæ: attamen a ſanctiſſimis iis Epiſcopis non modo quicquam non fuiſſe unquam remiſſum legimus ex ſeveritate illa, ſed potius auctam in dies magis eſſe. Et ſane poſt biennium in prolem ipſam ita ſuſceptam hanc ferunt ſententiam: *Quilibet ab Epiſcopo uſque ad Subdiaconum deinceps, qui vel ex ancillæ, vel ex ingenuæ deteſtando connubio in honore conſtituti filios procreaverint, illi quidem, ex quibus geniti probabuntur, canonica cenſura damnentur: proles autem aliena pollutione nata non ſolum hæreditatem parentum nunquam accipiet, ſed etiam in ſervitutem ejus Eccleſiæ, de cujus Sacerdotis, vel miniſtri ignominia nati ſunt, jure perenni manebunt.* Quæ profecto decreta ſunt a Patribus, ut inſignis interminatione pœnæ modum afferrent Clericorum incontinentiæ hauddum proſcriptæ ab Hiſpaniis, ut aperte oſtendunt eorum verba: *Quum multæ ſuper incontinentia ordini Clericorum hactenus emanaverint ſententiæ Patrum, & nullatenus ipſorum reformari quiverit correctio morum &c.* Eſtque hæc lex poſtrema, quam ego viderim, hujus generis; tertius enim Canon Concilii Toletani XVI. huc non ſpectat; ita ut mihi perſuadeam ut credam, Clerum Hiſpanum poſt annum 656. continentiam adeo coluiſſe, ut hac ſuper re nullam Epiſcopis moleſtiam amplius ingeſſerit.

DISSERT. IV. CAP. VI.

Conc. Tolet. IX. cap. 10.

IV. Hinc via nobis patet ad exploranda judicia, prætermiſſis moribus.

Nolim credi ad duo iſta capita tonſuræ, & caſtimoniæ Clericorum data opera eorum mores reduxiſſe (quaſi vero ingentem vitiorum ſegetem extirpandam fuiſſe olim non perſpexerim in tot Conciliis) ut duo illa dumtaxat curanda putem noſtra ætate. Quamvis enim non diffitear, quod veſtium & tonſuræ antiquus rigor, & præſertim caſtimonia integra venerationem Clero, atque Eccleſiæ ſanctitatem compararet, quod votis omnibus optandum eſt; Eccleſiæ nihilominus Hiſpanæ antiquæ moribus ſic coarctor. Quandoquidem demtis nonnullis ob Eccleſiaſticorum inſcitiam vitiis, conſpirationibuſque aliquibus adverſus

DISSERT. IV. CAP. VI. ſus Principem, de quibus alibi ſum locutus, raro admodum depravatam in Hiſpaniis diſciplinam ſum aſſequutus ſeptimo ſeculo, in quo nunc verſor, quod ex Conciliis evidens cuique erit. Nec puto, quod depravationes alicubi ſemel emendatæ, ad Cleri totius mores breviter deſcribendos debeant adiberi. Huc accedit, quod de Eccleſiaſticorum moribus præſtantiſſimæ Card. Aguirrii diſſertationes ſuppetunt in collectione Conciliorum Hiſpaniæ, qua quidem in re doctiſſimum virum veneror, ſummaſque in ejus laudes effunderer, niſi veniendum mihi eſſet ad Judicia, quo vocari videor a recenſitis nuper pœnis, ad continendos in officio Clericos, ſynodaliter ſtabilitis. Certum ſiquidem, ac deliberatum habeo Hiſpaniarum Præſulibus præcipuam laudem vindicare, quæ eſt Romanæ Sedi conſtanter adhæſiſſe uſque ad initia ſeptimi ſeculi, nimirum, quoad gliſcentibus in Italia bellis, ac Langobardorum ſævitia in dies invaleſcente, neceſſitas illos coegit Eccleſias regere juxta Decretales Pontificum Romanorum Epiſtolas, & Conciliorum Canones. Namque Imperii Orientalis, Regumque Italiæ, atque Exarchorum Ravennæ ſuſpiciones, audacia, temeritas omnem Pontificibus libertatem ſcribendi, atque agendi abſtulerant; neque erat, cur Galliarum & Hiſpaniarum Reges alienæ ſortis periculum facerent, niſi aditus iis patuiſſet a Romano Pontifice, quemadmodum liquet multo poſt feciſſe Francos Carolinæ ſtirpis ab eodem Pontifice invitatos. Præterquamquod Gothorum Reges Imperii legum oſores, Canonumque haud ſcientes quonam loco habuiſſent Legationes Epiſcoporum, ſiquæ Romam factæ eſſent, ob Eccleſiaſtica negocia; quum præſertim ad avertenda quævis pericula cavendum fuerit ab ipſis Epiſcopis ſacra lege, ne ad alias gentes quis ſe conferret? *Placuit nunc concordi ſententia definire, ut quiſquis in ordine Clericatus a maximo gradu uſque minimum conſtitutus, in alienæ gentis regionem ſe quacumque occaſione transduxerit, ut exinde ſuperbiendo vel reditum ſuum, vel quodlibet aliud videatur expetere, ſive etiam quo genti Gothorum vel patriæ vel regno ſpecialiter ſub hac occaſione poſſit nocere &c. iſte ita indubitanter omni honoris ſui gradu privetur, ut locum ejus, in quo miniſtraverat, alter continuo perpetim regendum accipiat.*

Collect. Concil. to. 2.

Conc. Tol. VII. cap. 1.

V. Duplex genus Judicior. in Hiſpaniis.

Quæ quum ita ſint, Scriptor Diſciplinæ veteris in magnam me admirationem conjicit, dum re non ſatis explorata, ductuſque Canonibus Conciliorum Hiſpaniæ, inibi judiciorum formam

mam ab illa diverſam, quæ vere fuit, ſtabilivit. Siquidem Thomaſſinus Africanis Conciliis quinto ſeculo celebratis inhærens, inde affirmat fluxiſſe in Hiſpaniam Afrorum judiciorum formam: *Ab Afris*, inquit, *ad Hiſpanos manarat illa judiciorum Canonicorum conſuetudo, & ad Concilium maxime Hiſpalenſe, ex quo in reliquas fluxit Hiſpanias*. Quæ ſane arguendi ratio per ſe ipſa corruit; nam poſtremum Carthaginenſe Concilium, quod vulgo audit Carth. 11. anno 425. celebrabatur, unde ad 619. quum Hiſpalenſe II. eſt habitum, anni fere biſcentum elapſi ſunt, ſpatium temporis, conſuetudinis emanationi longe amplum. Præterea jam vidimus ſuo loco, quæ Hiſpanorum Judiciorum forma eſſet quinto ſextoque ſeculo, dum regnum tenuerunt Ariani. In cauſis enim minoribus Nicæno adhæſerunt Concilio Epiſcopi, & in majoribus Sardicenſi. Quamobrem ut certius aliqnid de hac re affirmem, duplex mihi judiciorum genus, quorum uni aliud ſucceſſerit, conſiderandum videtur. Primum ſcilicet quamdiu in vivis fuit S. Gregorius Magnus, qui ſub initia ſeculi ſeptimi ſupremum diem obiit; alterum poſt ſummi ejuſdem Pontificis mortem, quum ex ſupra allatis cauſis deſiit omne commercium inter Hiſpanos Præſules, Romanumque Pontificem. Profecto ex utroque Judiciorum genere erit evidens, quod Thomaſſini conjectura levi hæret fundamento. Nam Gregorii tempore forma eadem judicandi obtinuit in Hiſpaniis, quam vidimus Sardicenſibus decretis maxime accommodatam. Poſtea vero nihil eſt opus ad Africana Concilia excurrere, ut Hiſpanam inde conſuetudinem eruamus. Quandoquidem præſto eſt Collectio Veterum Canonum, qua utebantur Hiſpani, unde Græcorum, Gallicanorum, Africanorum, ſuorumque Conciliorum decretis uſos eoſdem eſſe in judicando palam fit. Quin etiam quum titulus Codicis viceſimus tertius de majoribus cauſis, ſive de Epiſcoporum depoſitione, id ſolum præſeferat, quod in Sardicenſi Concilio, & in duabus S. Innocentii Epiſtolis decretalibus ſancitum fuit; ſolumque addat græcum Canonem ex Collectione Martini pro Diaconis & Presbyteris injuſte excommunicatis, & can. 28. Concilii Toletani IV. *de ordine quo depoſiti iterum ordinentur*, protrahi longius poſſe primum Judiciorum genus perſuadet: tametſi exemplorum penuria me coegerit ad conſtituendos ejus limites intra Gregorii Magni Pontificatum.

DISSERT. IV. CAP. VI.

De Benef. P. 2. lib. 1. c. 16. n. 14.

Cod. Vet. Can. lib. 3. a tit. 13. ad 23.

VI. Primum genus juxta Canones Sardicenſes.

Præſentiſſimum exemplum ſuppetit judiciorum primi generis in depoſitione Januarii, & Stephani Epiſcoporum Hiſpaniæ, quæ

DISSERT. IV. CAP. VI. quæ facta dicitur, Duce forſan provinciæ Bæticæ Comitiolo inſtigante, dum ſedes Hiſpalenſis ob S. Leandri mortem vacabat, & ab Epiſcopis alieni Concilii, ſive alterius provinciæ, quæ omnia liquido conſtant ex Regeſtis S. Gregorii Magni; nam duplex, instructio ad Joannem Defenſorem, & hujus acta, utquumque extra ſuum locum congeſta, dubium omne amovent. De Ducis violentia teſtantur acta: *Subtiliter quærere veritatem, ſi ut petitio ejus continet, tranſmiſſis Clericis a memoratis Epiſcopis, una cum hominibus glorioſi Comitioli de Eccleſia fuerit violenter abſtractus*. Metropolitanam quoque Sedem vacaſſe fidem facit ſecunda Inſtructio Gregoriii: *Contra hæc ſi dictum fuerit, quia nec Metropolitanum habuit nec Patriarcham*. Eademqne docet, factam eſſe depoſitionem ab alterius provinciæ Epiſcopis, continuo adjungens: *Dicendum eſt quia a Sede Apoſtolica quæ omnium Eccleſiarum caput eſt, cauſa hæc audienda, ac dirimenda fuerat, ſicut & prædictus Epiſcopus petiiſſe dignoſcitur, qui Epiſcopos alieni Concilii judices habuit omnino ſuſpectos*. Multam de his eſſe controverſiam omnes norunt; non enim conſtat, cujuſnam ſedis Epiſcopus eſſet Stephanus, neque a quibus Epiſcopis tum Januarius Malacitanæ Sedis Antiſtes, tum Stephanus incertæ, fuerint depoſiti. In uno tamen conveniunt, quod uterque Epiſcopus Comitioli violentia dejectus, damnatuſque eſt; quodque S. Pontifex Gregorius miſſo in Hiſpanias presbytero Joanne Defenſore, utriuſque cauſam retractari juſſit, probandam ſcilicet, improbandamve conſtituens latam contra illos ſententiam, modo ſervatentur leges æqui. Hujuſmodi vero judicium ipſiſſimum illud eſſe, quod cum Oſio Cordubenſi congregati Patres Sardicenſes decreverant, nil melius comprobat, quam Concilii decretum. *Quod ſi is, qui rogat cauſam ſuam iterum audiri, deprecatione ſua moverit Epiſcopum Romanum, ut e latere ſuo presbyterum mittat, erit in poteſtate Epiſcopi, quid velit, & quid æſtimet. Et ſi decreverit mittendos eſſe, qui præſentes cum Epiſcopis judicent, habentes ejus autoritatem a quo deſtinati ſunt, erit in ſuo arbitrio*. At enimvero cuinam perſuaſum eſſet, deſciviſſe Hiſpanos Præſules Sacrorum Canonum retinentiſſimos ab ea judicii forma, quam Arianis rerum potientibus ſequuti erant, poſtquam unanimes in Concilio Toletano III. deliberaverant, Sacros Canones & Decreta Pontificum ſervanda omnino eſſe? *Permaneant*, inquiunt, *in ſuo vigore Conciliorum omnium conſtituta, ſimul & ſynodicæ ſanctorum Præſulum Epiſtolæ romanorum*.

Lib. II. Ind. 6. epiſt. 50. 53. & 54.

Conc. Sard. c. 5. al. 7.

Conc. Tol. III. cap. 1.

rum. Nullus deinceps ad promerendos bonores Eccleſiaſticos contra Canonum ſtatuta aſpiret indignus; nibil ex hoc fiat, quod Sancti Patres ſpiritu Dei pleni ſanxerunt debere non fieri. Et qui præſumſerit, ſeveritate priorum Canonum diſtringatur. DISSERT. IV. CAP. VI.

VII. Quod evidenter patet ex facto Januarii & Stephani Epp.

Non erit abs re ex documento ipſo latæ a Joanne ſententiæ aliquid huc afferre; quandoquidem ex antiqua Hiſpania ſuppetit Eccleſiaſticum judicium iſtud juxta Canones Sardicenſes, ut penitus rejiciatur Thomaſſini doctrina, quam ſupra audivimus, de conſuetudine Afrorum in Hiſpaniis adoptata. Non enim præterit eruditos, quantæ fuerint apud Afros diſcordiæ, quum audierunt Nicænos laudari Canones de forma judicii, quos ipſi non norant, tametſi & Sardicenſes Nicænorum appendix ſint. *Quum igitur*, ait Joannes, *ex deputatione, & juſſione beatiſſimi, atque Apoſtolici Domini mei Gregorii ego Joannes Defenſor inter Januarium Epiſcopum Malacitanæ civitatis, inter illos, & illos Epiſcopos cognitor reſediſſem, neceſſe fuit bujuſmodi cauſam prædicti Januarii interna inquiſitione diſcutere ..... Qui dum multa contra ſe invicem, ſicut geſta teſtantur, objicerent, ad concluſionis hunc utræque partes aliquando terminum pervenerunt, petentes me de agnitis debere judicare ..... Ea quæ contra eum ſtatuta ſunt, licet jure non teneant, nec alicujus ſint momenti, injuſta tamen, & infirma eſſe pronuncio, atque illos memoratos Epiſcopos, qui poſtpoſita conſideratione ſacerdotali, in fratris præjudicium, atque condemnationem injuſte, & contra Dei timorem verſati ſunt, condemnans, in Monaſterium recipiendos ad agendam in tempus pœnitentiam ſtatuo, atque decerno. Illum vero, qui locum antedicti ſanctiſſimi Januarii contra ſacrorum Canonum ſtatuta, nequiter præſumſit invadere condemnans, privari Sacerdotio, & ab omni Eccleſiaſtico ordine removeri ſtatuo.* En præclariſſimum monumentum Dupinio, iiſque omnibus, qui Canones Sardicenſes ſuo arbitratu interpretantur, objiciendum de Epiſcoporum depoſitione a Romano Pontifice per ſuum presbyterum cognita, & reſciſſa: en Judiciorum formam, quæ apud Hiſpanos obtinuit vivente Gregorio Magno nullatenus ab ea diverſam, quam ſub Arianis regibus inibi viguiſſe comperimus. Quam profecto niſi ingruentia in Italia bella, Regumque Gothorum nulla cum republica Romanorum conjunctio poſtmodum abrupiſſent, haud neceſſe haberemus genus Judiciorum novum in Hiſpaniis explorare, quum Regia poteſtas fuit adhibita majoribus cauſis componendis, Concilio-

S. Gregor. Reg. lib. 11. ep. 53.

Digitized by Google

DISSERT. IV. CAP. VI. rumque autoritas depoſuit, tranſtulitve Epiſcopos Romano Pontifice inconſulto, quod quo jure fecerint, quibuſve aut Conciliorum, aut Romanorum Pontificum decretis inhæſerint, videndum modo eſt.

VIII. Alterum Judicii genus: ac primum de minoribus cauſis.

Quamquam Thomaſſino adverſer contendenti, quod Africana de Clericorum judiciis conſuetudo in Hiſpanias irrepſerit; negare tamen non auſim, quin rem judiciariam Hiſpani Præſules geſſerint ad normam Canonum præcipue Africanorum: ita enim docent tituli Collectionis ſuperius allati. Id vero tribui potius debet majori copiæ id genus Canonum, quos præſto habuerunt Hiſpani ex Conciliis Africæ, quam Judiciorum imitationi. Et ſane titulo Codicis octavodecimo quatuor habentur Canones Carthaginenſium Conciliorum, quibus ſubditur Hiſpalenſis ille, unde imitationem hauſit Thomaſſinus. Ii nihilominus ſi ſerio animadvertantur, parem Hiſpanorum conſuetudinem non evincunt. Decernunt Africani Patres de numero certo Judicum in cauſis Epiſcoporum, Presbyterorum, Diaconorum. *Si aliquam cauſam habuerit, a tribus vicinis Epiſcopis, ſi Diaconus eſt, arguatur: ſi Presbyter a ſex: ſi Epiſcopus a duodecim conſacerdotibus audiatur*, idque decernunt tribus in Conciliis, non quidem habitis quinto ſeculo, ut vult Thomaſſinus, ſed annis 349. 397. & 425. ita ut unicum ad quinti ſeculi principia referatur. Talis eſt ſumma Africanorum hujuſmodi judiciorum: ut nimirum pro perſonis judicandis tres, ſex, aut duodecim congregarentur Epiſcopi viciniores, quod genus agendi nedum in Africa Epiſcopis frequentiſſima, nuſquam provinciale Concilium redolet, Primates ſiquidem in Africæ provinciis, alibi Metropolitas cum pluribus, paucioribuſve comprovincialibus congregatos Concilium feciſſe quis ignorat? Hiſpalenſe autem Concilium aperte agit de Synodo, neque vult ullum aut Diaconum, aut Presbyterum condemnari abſque Concilio: *Nullus noſtrum*, inquit, *ſine Concilii examine dejiciendum quemlibet presbyterum, vel Diaconum putet.... Epiſcopus enim presbyteris, ac miniſtris ſolus honorem dare poteſt, auferre ſolus non poteſt*. Longe etiam clarius loquuntur Patres Toletani IV. *Epiſcopus, Presbyter, aut Diaconus, ſi a gradu ſuo injuſte dejectus, in ſecunda Synodo innocens reperiatur*. Quæ ſatis ſunt ad comprobandum, quod judicia Hiſpana ab Africanis diverſa erant; nam Afri certum Judicum Eccleſiaſticorum numerum extra Concilium in cauſis, præſertim minoribus, requirebant: Hiſpani vero incerto Judi-

Cod. Vet. Can. lib. 3. t. 18.

Conc. Carth. I. c. 11. II. c. 10. III. c. 7. 8.

Conc. Hiſp. II. cap. 6.

Conc. Tolet. IV. cap. 28.

Judicum numero contenti, majores minoreſque cauſas Conciliis cognoſcendas demandabant. Quæ ſane agendi forma iis Præſulibus uſque adeo arriſit, ut duplex Conciliorum genus celebrandum ſtatuerint, ut dicebam alibi, Nationale in cauſis Fidei, aut publicæ utilitatis Eccleſiæ, & Provinciale in minoribus cauſis: idque Afrorum vere exemplo fecerunt, qui perinde ſtatuerant in Concilio Melevitano II. eorum ſiquidem Concilia præſto habebant, unde Eccleſiæ ſuæ utilia decerperent.

DISSERT. IV. CAP. VI.

Conc. Tolet. IV. cap. 3.

Conc. Milev. II. cap. 9.

IX. Ab Hiſpanis Præſulibus ſtabilitum juxta Patrum Regulas.

Cod. Vet. Can. lib. 3. tit. 18.

Sentio, aliquid momenti mihi objectum iri ad vindicandam Thomaſſini doctrinam, ſeu conjecturam. Dicet namque hujuſmodi propugnator: Codex Veterum Canonum, qui certis tot argumentis S. Iſidoro adſcribitur, in eo titulo, quem *de numero Judicum* vocat, Canones illos Africanos laudat de tribus, ſex, ac duodecim Judicibus pro dignitate perſonæ judicandæ, ac continuo addit Canonem Hiſpalenſem memoratum: quum vero Concilio iſti, necnon Toletano IV. ipſe Iſidorus præſederit, non eſt dubium quin Africæ conſuetudinem in Hiſpanias invexerit. Nil minus. Id nihilominus animadverti velim, quod quæcumque occurrunt in Codice Conciliorum localium decreta, non eo credi debent relata, ut quidquid definiunt, Hiſpanam diſciplinam importet, quemadmodum Concilia Œcumenica, & Decretales Epiſtolæ; ſed ut Diſciplina ex tot depravationibus expurganda, Patrum regulis deſtituta ne videretur. Et ſane S. Iſidorus, & comprovinciales inter alia diſciplinæ vitia compertum habuerunt, quod presbyter injuſte depoſitus, miſſuſque exulatum erat a ſuo Epiſcopo: *Comperimus*, inquiunt, *quemdam presbyterum a Pontifice ſuo olim injuſte dejectum, & innocentem ex illo condemnatum*. Quare frenandam credidit Concilium Epiſcoporum audaciam, ita ut deponi non poſſent presbyteri, & diaconi, abſque Concilio: aitque ſe decernere *juxta priſcorum Patrum Decretum*: Non ſane quod trium, ſexve Epiſcoporum viciniorum numerus juxta Afros, quos certe ſequitur, Concilium eſſet; ſed quod inde ſuppetebat exemplum depoſitionis Presbyteri, aut Diaconi non permiſſe uni Epiſcopo, idque erat ſatis ad condendum in Hiſpaniis Canonem nullatenus adverſantem Regulis Patrum. Quamobrem illud urgeo, fortaſſe ad nauſeam, quod nequaquam Africana conſuetudo ad Hiſpanos tranſiit, ut vult Thomaſſinus; ſed Canones ſuppeditavit, quibus Hiſpani Præſules inhærerent, ne decretum omnino novum condidiſſe viderentur: cæterum

Conc. Hiſpal. II cap. 6.

ante

DISSERT.IV. CAP. VI. ante Hiſpalenſe Concilium, presbyterorum, aut diaconorum depoſitiones ad provinciale Concilium ſpectaſſe non invenies.

X. In Concilio expendebantur cauſæ omnes Eccleſiaſticæ. *Conc. Tolet. IV. cap. 3.*

Nec ſolas diaconorum presbyterorumque cauſas ad Concilium deferri voluerunt Hiſpani Præſules, ſed cujuſvis ordinis Clericos, laicoſque cauſam aliquam habentes Eccleſiaſticam ad ſynodum advenire juſſerunt: *Omnes autem*, ajunt, *qui cauſas adverſus Epiſcopos, aut Judices, aut potentes, aut contra quoslibet alios habere noſcuntur ad idem Concilium concurrant, & quæcumque examine ſynodali a quibuslibet prave uſurpata inveniuntur, Regii exequutoris inſtantia juſtiſſime his, quibus jura ſunt, reformentur; ita ut pro compellendis Judicibus vel ſecularibus ad ſynodum, Metropolitani ſtudio idem executor a Principe poſtuletur.* Et infra eodem Canone agens Concilium de tempore, quum cauſæ hujuſmodi ſunt audiendæ, aperte eas declarat mere Eccleſiaſticas, ne quis iterum ſcrupulus comitiorum irreperet: *Tunc ſi aliquis quamcumque querelam, quæ contra Canonem agit, in audientiam ſacerdotalem protulerit, non prius ad aliud tranſeatur capitulum, niſi primum quæ propoſita eſt actio terminetur. Nam etſi presbyter aliquis, aut diaconus, vel Clericus, ſive laicus de his qui foris ſteterint, Concilium pro qualibet re crediderit appellandum, Eccleſiæ Metropolitanæ Archidiacono cauſam ſuam intimet, & ille Concilio denunciet. Et tunc illi & introeundi, & proponendi licentia concedatur.* En rectiſſimum Eccleſiæ cauſarum Tribunal juxta Patrum regulas ab Hiſpaniarum Epiſcopis conſtitutum. Perſonæ conditio naturam cauſæ nullatenus immutabat; modo Eccleſiaſtica eſſet, laicos etiam ad Concilium pertrahebat. Regius quidem Executor dabatur a Rege; at dabatur Epiſcopis petentibus, tum ut laici prohiberentur Eccleſiaſticum Tribunal declinare, tum ut iidem cogerentur Epiſcoporum ſententiam exequutioni mandare. Secus hodie rem eſſe ex diſpenſatione Apoſtolicæ ſedis neminem latet. Verumtamen tota illi errant via qui Principibus aſſentantes, Patrum regulis, ſeu jure niti autumant laicorum Tribunalia de Eccleſiaſticis quibuſvis negociis. Conſuetudo ad ſummum illa peperit, ac Pontificia diſpenſatio conſuetudine inhærens eadem confirmavit. Catholicorum equidem Regum caſte integreque jura perſequor ſeculo ſeptimo, nihilque eorum ſilui, aut deinceps ſileam, quæ aut facta, aut jura illorum comprobant documentis certis. Nihilo tamen minus vix Reges ipſos aditum aliquando eſſe, quum nullum ſuperius Tribunal ſupereſ-

ſe

ſe videbatur, ob difficultates prædictas veniendi Romam, luculenter oſtendam paulo infra. DISSERT. IV. CAP. VI.

Quum vero tam frequenter Concilia non haberentur, ut cauſæ omnes Eccleſiaſticorum expendi in iis poſſent: idcirco Clericis, & Monachis ſua non deerant Tribunalia, juxta Canonum, & decretorum S. Sedis definita, pro prima, & ſecunda inſtantia. Si enim ex Clericis, aut Monachis alicui ad provinciæ ſuæ Metropolitam, veluti ad Tribunal Epiſcopali majus, libuiſſet appellare, proprii Epiſcopi ſilebat autoritas, quamdiu cauſa penitus retractaretur. *Quicumque ex Clericis, vel Monachis cauſam contra proprium Epiſcopum habens, ad Metropolitanum ſuum cauſſaturus acceſſerit, non ante debet a proprio Epiſcopo excommunicationis ſententia prædamnari, quam per judicium Metropolitani ſui utrum dignus excommunicatione habeatur, poſſit agnoſci*, Quin etiam a Metropolita ipſo appellare erat licitum ad alienæ provinciæ Metropolitam, ut patet ex eodem Canone. *Quod etiam & inter Metropolitanos convenit obſervari; ſi prægravatus quis a Metropolitano proprio ad alterius provinciæ Metropolitam moleſtiam preſſuræ ſuæ agnoſcendam detulerit*. Atque id quidem genus confugii ad alienum Metropolitam in tertia inſtantia, negotii aliquid faceſſit, nam a Concilio Chalcedonenſi non parum abludit. Statuerat ſiquidem Oecumenicum illud Concilium: *Quod ſi adverſus ejuſdem provinciæ Metropolitanum Epiſcopus, vel Clericus habet querelam, petat aut Primatem Diœceſis, aut ſedem Regiæ urbis Cpolitanæ, & apud ipſam judicetur*. Quamquam enim ad hujus Canonis autoritatem quod attinet, ſentio cum Lupo Lovanienſi, qui Hincmari Remenſis doctrinam amplectitur affirmantis, hunc Canonem ad Anatolii Cp. Epiſcopi ambitum pertinere, qui tres Diœceſes antocephalas a ſuis prædeceſſoribus uſurpatas, ſibi, tamquam legitima poſſeſſione, aſſerere ſtudebat, ideoque a S. Leone Magno fuiſſe proſcriptum; Hiſpana nihilominus judicia reputans, ipſiſſimum hunc Canonem relatum video in eorum Codicem; ita tamen ut loco *ad Primatem Diœceſis*, poſitum ſit *ad Diœceſis Epiſcopos*, per quos facile indicatur Nationale Concilium. Quare ab Hiſpanis nil contra Regulas inſtitutum videretur, ſi Cauſas in prima inſtantia ad Epiſcopum, in ſecunda ad Metropolitam, & in tertia ad Nationale Concilium deferendas ſtatuiſſent. At, præterquam quod a Metropolita uno ad alium eundum ſtatuunt, continuo proſequuntur:

XI. Appellationes Hiſpan. in minoribus cauſis.

Conc. Tol. XIII. cap. 12.

Conc. Chalced. can. 9.

Digitized by Google

DISSERT. IV. CAP. VI. tur: *Aut ſi inauditus a duobus Metropolitanis, ad Regios auditus negotia ſua perlaturus acceſſerit*: Eaque propter ſupremum cauſæ Judicem videntur Regem conſtituere, quod eſt omnino contrarium Eccleſiæ regulis. Novi equidem ex S. Iſidoro, quanti eſſet poteſtas Regia apud Hiſpanos in Eccleſiæ rebus: uberrimeque, niſi multum fallor, eam ſupra deſcripſi utens Iſidori ejuſdem Verbis, quæ hîc recitanda iterum puto: *Principes ſeculi nonnumquam intra Eccleſiam poteſtatis adepta culmina tenent, ut per eamdem poteſtatem diſciplinam Eccleſiaſticam muniant. Cæterum intra Eccleſiam poteſtates neceſſariæ non eſſent; niſi ut quod non prævalet ſacerdos efficere per doctrinæ ſermonem, Poteſtas hoc impleat per diſciplinæ terrorem*. Quia tamen allatus Canon Toletanus ſua illa provocatione ad ſecundum Metropolitam, indeque ad Regem turbare videtur Patrum Regulas, tum de hac nova forma judicii poſt ſententiam Metropolitæ proprii, tum de Regia poteſtate ſupremi inſtar judicii adhibita quæſtionem inſtaurari oportet.

Sentent. lib. 3. cap. 53.

XII. Quonam jure fierent a Metropolita proprio ad alienũ.

Genus hoc judicii, quod provocationem ad alienum Metropolitam admittit, eſtque idcirco ab ea judiciorum forma quam S. Iſidorus ſtabiliverat nonnihil diverſum, videtur deſumtum ab antiqua Africæ diſciplina, quam probe norunt Hiſpani ex octo Conciliorum Carthaginenſium decretis, quot eorum in collectione recenſebantur. Et vero Concilium Milevitanum II. ſtatuit: *ut presbyteri, diaconi, vel cæteri inferiores Clerici in cauſis, quas habuerint, ſi de judiciis Epiſcoporum ſuorum queſti fuerint, vicini Epiſcopi eos audiant, & inter eos quidquid eſt finiant, adhibiti ab eis cum conſenſu Epiſcoporum ſuorum. Quod ſi & ab eis provocandum putaverint, non provocent niſi ad Africana Concilia, vel ad Primates provinciarum ſuarum*. Quo ex decreto, tametſi provocatio a Metropolita ad Metropolitam non emicet; tribus tamen inſtantiis judicia tria, ut apud Hiſpanos, decerni non videt nemo. Neque hinc abludere Concilium Chalcedonenſe, cujus exemplum in ſuum codicem retulerant, verba ipſa docent, quæ inibi laudantur: *Nam ſi contra ipſius provinciæ Epiſcopum, aut contra Metropolitanum habuerit Epiſcopus, vel Clericus, ad Diœceſis Epiſcopos pergat*. Videtur, inquam, deſumtum ab Afrorum veteri diſciplina novum hoc judicii genus; non enim perſuaſum mihi umquam erit, ut credam quod Hiſpani Præſules (uſque adeo inhærentes Patrum Regulis, ut ne generale quidem Concilium ſextum, iiſdem quin-

Conc. Milev. II. cap. 22.

Cod. Vet. Can. lib. 3. t. 16.

quintum, ut diximus, inexploratum, cumque aliorum quatuor generalium decretis non collatum acceperint) inauditum antea judicii genus, Reguliſque ipſis Patrum contrarium ſtabilire ſe crediderint. Huc accedit, quod ante biennium Toletano Epiſcopo totius Hiſpaniæ Primati privilegium ordinandi Epiſcopos toto in Catholico Regno unanimes conceſſerant, idemque in Concilio XIII. confirmarant; quin etiam permiſiſſe ei videntur, ut cauſas majores cognoſceret: *Quam pœnam*, ajentes, *etiam merebuntur excipere qui exortos contra ſe clamores negotiorum, admoniti a Metropolitano diſtulerint emendare, atque compeſcere, aut ſi admoniti, ut ad judicium primæ ſedis accedant, aut per ſe noluerint properare, aut vades ſuos neglexerint legaliter informatos dirigere*. Nihilo tamen minus quanta quanta ſit Africanorum Canonum ſimilitudo cum Toletano iſto decreto, hac etiam occaſione, ut alias feciſſe eos dixi, non obſcure demonſtrarunt Hiſpani Præſules, quam neceſſaria eſt Romanæ ſedis ſollicitudo, ubi aliquid novum vel in diſciplina decernendum occurrit. Certe ſi iiſdem facilis ad S. Sedem acceſſus fuiſſet, decretum ſpecie cum regulis Patrum haud pugnans, re autem illis contrarium, condere non eſſent auſi. Minus contrarium revera eſt quod de recurſu ad Regem ſtatuunt, niſi a duobus Metropolitis cauſa finiatur.

DISSERT. IV. CAP. VI.

Conc. Tol. xiv. cap. 3. & ſeq.

Conc. Tol. xii. cap. 6.

Conc. Tol. xiii. c. 8. 9. 12.

XIII. Recurſus ad Regem nil cũ Canonibus pugnat.

Paradoxis delectari credar primo adſpectu, dum minus adverſari ajo ſacris Canonibus recurſum Regium, quam provocationem a Metropolita ad Metropolitam. Quandoquidem utut Canone ſtabilita non inveniatur hæc provocatio, innumeri extant Canones, qui Clericos vetant ad ſecularia judicia recurrere. Quamobrem plus peccaſſe videntur Hiſpani Regiam inferendo autoritatem cauſis Eccleſiaſticis, quam cognitionem illam novi generis committendo Metropolitæ alieno. Bene id quidem, ſi aut Regem illi Epiſcopi, aut Regios Magiſtratus conſtituiſſent Judices Cauſarum Eccleſiæ. Secus autem res habet; eſtque evidens ex eorum decretis tum ante agnitum Toletanum Primatum in Concilio Toletano XII. anno 681. tum poſt id temporis. Etenim quum ii nullam in Hiſpaniis dignitatem Metropolitica majorem agnoſcerent, ne Metropolitas nulli obnoxios relinquerent, ita ut peccare impune poſſent, apud Regem eoſdem accuſatum iri decreverant: *Quod ſi talia Epiſcopus agere tentet, Metropolitano ejus hæc inſinuare procurent. Si autem Metropolitanus talia gerat, Regis hæc auribus intimare non differant*.

Conc. Tolet. ix. cap. 1.

DISSERT. IV. CAP. VI. Poſt agnitum vero Primatum, quamquam *Regios auditus* non ſileant, judicium tamen *Primæ ſedis*, non autem Regium nominant, ut patet ex nuper allatis Canonibus. Qua ſuper re, quum in Galliis quoque obtinuerit ſub imperio Caroli Magni, exemplo haud dubie ex Hiſpaniis petito, ita eruditiſſimus Thomaſſinus loquitur: *Dilucidum eſt, nullos tum Primates Eccleſiæ Gallicanæ præfuiſſe, quum poſt Epiſcopi ſententiam a Metropolitano confirmatam, ad Regem confugerent, qui locum & vices mirabili quadam ratione implebat Exarchi, ſeu Primatis, Sed veriſſime addi illud quoque poteſt, non alias hic partes ſuſtinere Regem, quam Advocati, & defenſoris Canonum; ex quo illud exurgit, ut judicii Epiſcoporum, & Metropolitarum executorem agat.* Quod ſi hæc de Galliæ Regibus affirmantur centum amplius annis poſt Hiſpanam diſciplinam; multo magis de Catholicis eadem Regibus aſſerentur, quos vidimus nil ſibi arrogaſſe unquam in Eccleſia, aut ſiquid ulli arrogarunt, ſententiæ Epiſcoporum fuiſſe obnoxios. Hiſpani vero Præſules quidnam aliud ſuis Regibus conceſſiſſent, ſi Patrum Regulis prohibebantur id gerere? Concilii præſertim Milevitani II. decreto deponendus erat qui ſecularia judicia peteret, omni autem pœna carebat qui a Principe Eccleſiaſticum judicium expetebat: *Placuit, ut quicumque ab Imperatore cognitionem judiciorum publicorum petit, honore proprio privetur. Si autem Epiſcopale judicium ab Imperatore poſtulaverit, nihil ei obſit.* Huc igitur collineat Hiſpanorum recurſus ad *Regias aures* poſt Metropolitæ ſententiam, ut Regia autoritate Judices Epiſcopos deputet, qui negotiis finem imponant. Idque non modo cum Patrum regulis nullatenus pugnat, ſed etiam iiſdem inhæret: ac præterea eſt maximum concordiæ ſacerdotii, & Regni argumentum.

Conc. Tol. XIII. cap. 8. 12.

De benef. P. I. l. 1. c. 43. n. 2.

Conc. Milev. II cap. 19.

XIV. Notari hic equidem velim, quod ante Toletanum Concilium XII. in quo univerſi Hiſpaniarum Epiſcopi Regiæ Sedis Metropolitam verum Regni Primatem agnoverunt, nihil aliud fuit recurſus ille ad Regem, quam incerto Epiſcoporum judicio ſe ſubjicere: poſtea vero, Conciliis certiſſime Toletanis cauſam ſuam examinandam proponere, & ad Regem confugere idem eſſe cæpit. Itaque eo dirigebantur omnia Hiſpanorum Præſulum conſilia, ut Cauſæ Eccleſiaſticæ ſupremi inſtar Tribunalis Concilia Toletana, ſeu nationalia venerarentur. Attamen fruſtra quis conatur exprimere aut Regum uſurpationem, aut diſciplinæ ſtabilitatem ex iſta agendi ratione, neutrum quippe evin-

Ita oportuit fieri ex defectu commercii cũ S. Sede.

evincet. Unanimes Sacerdotes & Reges Eccleſiæ rerum ſatagebant: abrupto inter Apoſtolicam Sedem, & eos Epiſcopos commercio, bellorum ac ſimultatum cauſa, nullus S. Sedis Vicarius rerum ſummam ſuſcipiebat, atque eventuum admonebat Romanum Pontificem, ut recte omnia procederent, nihilque ab Eccleſiæ Capite diſſideret, quod rerum potientibus Arianis, ac Gregorio Magno ſuperſtite factum erat; ſed ſacrorum Canonum, ac Pontificiorum decretorum autoritate regebantur omnia. Peccatum quandoque eſt in diſciplina, id vero in rem judicatam non tranſiit, immo in rerum inſtauratione poſt expulſos Mauros, priſtinum diſciplinæ robur feracius emerſit S. Sedis auxilio. Siquid dubium in fide pronunciatum eſt, viam Chriſtus aperuit ad viſibile Eccleſiæ Caput Vicarium ſuum, quo doctrina hinc infallibilis peteretur, ut vidimus, quum de Apologetico Juliani *de tribus ſubſtantiis* agebamus: ceteris, qua erant doctrina, & ſanctimonia Epiſcopi, pro temporum difficultate, ſatis appoſite proſpexerunt. Cæterum quicquid factum in Hiſpaniis legitur poſt S. Gregorii mortem uſque ad Saracenorum invaſionem ope veterum Canonum, ad diſciplinam quod attinet, nonniſi temere uſurpatur ad Eccleſiæ univerſæ diſciplinam eruendam, quæ S. Sedis, Conciliorumque poſteriorum autoritate, locorum ac temporum conditione ſpectata, varias identidem mutationes accepit. Sintque hæc ſatis de minoribus cauſis, quarum judicia juxta veterem illam conſuetudinem expoſui. Aliquid nunc dicendum reſtat de majoribus, quà reſpiciunt Epiſcopos, quarum aliquid intermixtum minoribus neceſſario delibavimus.

XV. Depoſitio Epiſcoporum Hiſpaniæ fit in Concil. juxta regulas.

Judicia Epiſcoporum Hiſpaniæ ad duo omnino capita reducuntur; ad depoſitionem videlicet, ac translationem. Depoſitionum duo exempla ſuppetunt, quæ ſatis ſuperque comprobant rectam hac in re diſciplinam eorum Præſulum. Potamius Bracarenſis, & Sisbertus Toletanus, Metropolitæ ambo, in Conciliis dejiciuntur, ut præcipiunt Canones, & Decreta Pontificum, quibus, ut ſæpe diximus, inhærebant Hiſpani per ſeculum ſeptimum. Potamius fuit rite depoſitus in Concilio Toletano X. Judices erant ſoli Metropolitæ, & Epiſcopi, nequaquam admiſſis presbyteris, qui vices gerentes ſuorum Præſulum Concilio intererant: *Solitariè tantum, ſecretimque adunatis Pontificibus Dei, prædictum Epiſcopum adeſſe coram nobis fecimus*. Videſis cætera indicato loco; inde enim evidens Conc. Tolet. x. Decr. 1.

DISSERT. IV. CAP. VI.

tibi erit, tum rite, atque jure Epiſcopos pronunciaſſe depoſitionis ſententiam, tum Metropolitam ipſum depoſitum, longe ut quereretur dejectionem ſuam, ultro faſſum eſſe incontinentiam, quæ cauſa depoſitionis erat in Hiſpaniis. Quare & pœnitentia ab eo ſuſcepta uſque ad ultimum vitæ terminum, Fructuoſus in eodem Concilio fit Epiſcopus Bracarenſis. Multo vehementior ſententia eſt, quam Patres Concilii Toletani XVI. *Conc. Tol. XVI. cap. 9.* tulerunt adverſus Sisbertum Toletanum Primatem Majeſtatis reum. Non enim dignitate ſolum, & honore eſt dejectus, juxta veteres Canones; ſed juxta peculiares Hiſpaniæ leges communione etiam privatus, rebus omnibus ſpoliatus, perpetuumque in exilium pulſus fuit: *in perpetui exilii ergaſtulo relegatus*. Eſtque hic animadvertendum, quod, non fortuito uterque Epiſcopus ſententiæ acquieſcens, provocare neglexit ad Regiam manſuetudinem, ut Concilio alii ſuam ipſorum cauſam in ſecunda inſtantia cognoſcendam committeret, ut moris fuiſſe vidimus in Hiſpaniis; ſed neceſſario quievit: Concilia enim nationalia erant, nec ſuperior Judex, interdicto ad Romanum Pontificem aditu, inveniri poterat; ipſumque judicium omni majus exceptione fuerat. Nec ſunt quærendæ appellationes, ubi rite recteque facta omnia conſtat. Subjiciam Romanæ Sedis ſententiam de rite deponendo Epiſcopo, ut Hiſpanorum quies ſit apertior. Florentius Tauritanæ Eccleſiæ Epiſcopus, injuſte depoſitus exulabat. Ea propter S. Gregorius Magnus, *Lib. 2. Ind. XI. ep. 8.* re cognita, ſic Salonitanum Archiepiſcopum compellat: *Nunciatum nobis eſt a quibuſdam, fuiſſe eum in cauſis criminalibus accuſatum: at nullis canonicis probationibus exquiſitis, nec Sacerdotalis Concilii præveniente judicio, eum ab honoris officio non jure, ſed autoritate depoſitum. Quia ergo non poteſt quemquam Epiſcopatus gradu, niſi juſtis ex cauſis concors Sacerdotum ſummovere ſententia, hortamur Fraternitatem veſtram, ut præfatum virum ex eodem, in quod detruſus eſt, ejici faciatis exilio, cauſamque ejus Epiſcopali diſceptatione perquiri; & ſi in his in quibus accuſatur canonica fuerit probatione convictus, canonica procul dubio eſt ultione plectendus.*

XVI. *Quæ erat diſciplina ſeptem prior. ſecul.* *S. Gregor. ibi. ep. 9.*

Eadem prorſus urget, atque impenſe curanda jubet Subdiacono ſuo Antonino, quem illuc de S. Sedis more delegaverat, ut Canonum, ac Decretalium Epiſtolarum cuſtodiæ invigilaret. Deinde ſubjungit: *Sin autem generali fuerit judicio abſolutus, nec eum deinceps cujuslibet præjudicio ſubjacere per-*

mit-

mittas, & præfatæ res diſtrictia tuæ ſollicitudinis reſtituantur inſtantia. Neceſſe eſt ergo, ut quanto graviora talium negociorum perpendis pondera, tanto ea maturiori, vigilantiorique ſtudeas executione complere. Neminem præterit, quod non ſolum Metropolitarum, ſed omnium quoque Epiſcoporum cauſæ criminales in prima etiam inſtantia ab antiquiſſimis temporibus Romano Pontifici ſunt reſervatæ; ita enim ſchiſmata, ſimonia, aliæque cauſæ, quas inter Metropolitarum, ſi Deo placet, aliquorum impotentia perſuaſerunt S. Sedi, ut fieret, ne Eccleſia Petro, ejuſque ſucceſſoribus a Chriſto commendata peſſum iret. Verum noſtri inſtituti non eſt originem, cauſaſque hujuſmodi diſciplinæ octavo ſeculo immutatæ nunc referre. Id pro comperto, atque explorato haberi volumus, quod ante Saracenorum irruptionem in Hiſpanias, diſciplina inibi obſervata in cauſis quibuſcumque Epiſcoporum, ſecundum Canones & decreta Pontificum Romanorum, ſic tum obtinebat, Appellationibus dumtaxat ad S. Sedem reſervatis, quemadmodum Sardicenſis Concilii Canonibus declaratur. Quamobrem quidquid novi occurrit in Hiſpanis depoſitionibus, quas audivimus rite factas, eſt depoſitio Sisberti Primatis Toletani, unde aperte conjicimus Primatum hunc non eſſe ejus generis, quod dignitatem conſtituit mediam inter Metropolitam, & Romanum Pontificem, ſive, ut pro longioris ævi ingenio loquar, majorem Patriarcham. At quum de hoc Primatu ſim infra loquuturus ſpeciali capite, unum tantummodo hic dicam, quod Primas Toletanus in Hiſpaniis natus per eadem illa tempora, quum nullum erat commercium iis Præſulibus cum Romano Pontifice, etiamſi aliorum Primatum, ſeu Exarchorum jure omni fruitus eſſet, quia a Romano Pontifice nedum inſtitutus, confirmatus nequaquam fuerat, rite a Metropolitis & Epiſcopis in Concilio congregatis in prima inſtantia fuiſſet depoſitus inconſulta Romana Sede. Quod ſæpe in Oriente factum eſſe conſtat liquido.

DISSERT. IV. CAP. VI.

XVII. Translationes Epiſcopor. in Conciliis fieri ſolitæ.

Ab judiciis disjungendæ non videntur translationes Epiſcoporum, tum quia cauſæ iſtæ, ut cæteræ in Conciliis diſcutiebantur, tum quia cum depoſitionibus nuper allatis, ut cum cauſis effectus, conjunctæ ſunt. Et ſane Fructuoſus Potamio ſuffectus, ex Dumienſi Sede Epiſcopali ad Metropolitanam Bracarenſem eſt translatus: & Felix loco Sisberti renunciatus Primas Hiſpaniarum, ex Hiſpalenſi Metropolitana Sede, ad Regiam Primatialem Toletanam translatus fuit. In Concilio autem Toletano

no

Dissert.IV. Cap. VI. no XVI. eodem poſt dictam translationem aliæ duæ ſunt factæ, Bracarenſis nempe Metropolitæ ad Hiſpalenſem ſedem, & Portucalenſis Antiſtitis ad Bracarenſem. Quæ quidem translationes ſi ſerio expendantur, contrariæ prorſus videntur Sacris Canonibus, Romanorumque Pontificum decretis, quorum vim ingentem collegerat S. Iſidorus, ut videre eſt in Codice Veterum Canonum. *Cod. Vet. Can. Lib.1. tit.58.* Nullus enim ex translatis Epiſcopis, ad nobiliorem, dignioremque ſedem non tranſiit. De Hiſpalenſi nihil dico; nam Regia aderat voluntas in translatione illius ad Toletanum Primatum: *Conc. Tol. XVI. cap.12.* *Secundum prælectionem, atque autoritatem Domini noſtri, per quem in præteritis juſſit, Felicem Hiſpalenſis ſedis Epiſcopum de prædicta ſede Toletana, jure debito curam ferre, noſtro eum in poſtmodum reſervans decreto firmandum*. Quæ, ut ſuo loco diximus, in Hiſpaniis invaluerat per ea tempora ubi creandi erant Epiſcopi. Huc accedit Cleri populique conſenſus, ut nihil deſit Canonicæ electioni: *Ob id*, proſequitur Concilium, *nos cum conſenſu Cleri, ac populi ad dictam Sedem Toletanam pertinentis prædictum Felicem Epiſcopum de Hiſpalenſi ſede in Toletanam ſedem canonice transducimus*. At translationes aliæ videntur inquam contrariæ Sacris Canonibus. Enimvero (prætereo Cleri populique deſideratum aſſenſum, nam privilegio Concilii Toletani XII. utentes Toletanus Primas, & Rex conſtituebant Epiſcopos tota Hiſpania) quænam urgebat neceſſitas tres eos Epiſcopos in meliorem locum transferendi? Certe in rebus tanto a nobis diſſitis intervallo pronunciari vix poteſt. Si nihilominus dixero, quod Hiſpani Præſules Romani Pontificis carentes ope aliquando a recto tramite deflexerunt, nihil novi attulero. Satis eſt ſupra indicatum Codicis titulum uſurpare oculis, ut meam in ſententiam eatur pedibus.

XVIII. *A diſciplina veteri aliquantum alienæ.*

Præſentius quoque argumentum ſuppetit ex Hiſpania duobus elapſis ſeculis, antequam Monarchia in Hiſpania eadem ſtabilita, Romanis infenſi eſſe cœperint Reges Gothi. Illuc quæſo reflectantur oculi. Hirineum e ſua ſede in Barcinonenſem translatum eſſe ajebat Hilaro Papæ Aſcanius Metropolita Tarraconenſis, violatoſque Nicænos Canones id prohibentes; eaque *Supra diſſ. 3. n.2. & ſeqq.* propter ſe aſſerebat confugere ad Apoſtolicam Sedem, *unde nihil errore*, verba ejus ſunt, *nihil præſumtione, ſed Pontificali totum deliberatione percipitur*. Hilarus vero corruptela hujuſmodi vehementer incenſus depoſitionem minitatur Hirineo, niſi relicta Barcinonenſi Sede ad ſuam antiquam revertatur: *Quod ſi Hi-*

Digitized by Google

ſi Hirineus Epiſcopus ad Eccleſiam ſuam, depoſito improbitatis ambitu redire neglexerit; quod ei non judicio, ſed humanitate præſtabitur, removendum ſe ab Epiſcopali conſortio eſſe cognoſcat. Quî autem ſecus decerneret Romanus Pontifex, tot ſuorum Prædeceſſorum decretis, totque Conciliorum Canonibus translationes improbantibus? Eoſdem ſcilicet Canones, eademque decreta ab Iſidoro in laudatum ſæpe Codicem relata Hiſpani haud violaſſent impune, ſi ad Rom.Sedem patuiſſet aditus; ad Romanam inquam Sedem, quæ tamdiu poſt horribile id judicium vidit, quo Formoſus jam mortuus exautoratus eſt, quia Portuenſi relicta Eccleſia ad Romanam evectus fuerat. Non me latet, Scriptores optimos damnare tranſmigrationem Epiſcoporum ſpontaneam; translationem vero ob juſtas cauſas in Conciliis provincialibus expendendas non ſolum non improbare, ſed etiam acerrime vindicare. His equidem do manus victas, quum præſertim innumeris, quæ hinc inde congeſſerunt, exemplis confutandis immorari non vacet. Id tamen affirmo, quod Hiſpaniarum Epiſcopi poſt Iſidori tempora, utqumque ſuorum Prædeceſſorum exemplis admoniti, totque Decretorum & Canonum autoritate prohibiti transferre Fratres de civitate ignobiliori ad nobiliorem aliam, unico in Concilio, inexplorata neceſſitate Sedium, ad tres nobiliores ſedes totidem Epiſcopos transtulerunt, raro apud antiquitatem exemplo, immo nullo. Hinc vero conſuetudinem diſciplinæ illius ævi eduxiſſe, quia ita factum invenitur, probandumne, an improbandum ſit, diſceptari ab iis cupio, quorum magis intereſt præcipuum iſtud caput. Certe Aſcanius Tarraconenſis Metropolita quinti ſeculi, de Concilii hujus Toletani, & de alterius item Toletani antiquioris facto ſententiam proferens, eo libere transferri Epiſcopos diceret, quod neceſſario ſilebat S. Sedes. Perinde in aliis aliquot fidei, ac diſciplinæ rebus factum eſſe jam vidimus eadem de cauſa. DISSERT. IV. CAP. VI.

XIX. Quod oſtenditur autoritate Canonum probata.

Equidem præceps ruere in hanc opinionem fortaſſe videar, niſi ex Codice illo Iſidoriano proferam Concilii alicujus Canonem quo mea inhæreant. Non invitus igitur a Damaſi, Leonis, Gelaſii, Hilari Epiſtolis Decretalibus ibi laudatis abſtineam manus: Græca, Africana, Gallica, Hiſpana Concilia omittam lubens; uno tantum Canone non prætermiſſo ex Africanis Conciliis, qui ita ſe habet: *Ut Epiſcopus de hoc loco ignobili ad nobilem per ambitionem non tranſeat, nec quiſquam inferioris ordinis* Conc. Carth. IV. cap. 27.

nis Clericus. Sane ſi id utilitas Eccleſiæ fiendum popoſcerit, decreto pro eo Clericorum & laicorum Epiſcopis porrectio, in præſentia Synodi transferatur, nihilominus alio in loco ejus Epiſcopo ſubrogato. Inferioris vero gradus Sacerdotes, vel alii Clerici conceſſione ſuorum Epiſcoporum poſſunt ad alias Eccleſias tranſmigrare. Quæro nunc: quæ utilitas Eccleſiæ Toletanæ Hiſpalenſem plebem Paſtore orbabat ſuo? quæ Bracarenſem? quæ Portucalenſem? nonne potius ſibi invicem ii Præſules ſucceſſerunt, ut meliores digniorеſque Cathedras aſſequerentur? Ita quidem perſuaſum eſſe vult unicus ille electus Portucalenſis Epiſcopus inferior cæteris, dum alii tres ad digniorem Metropolim provehuntur. Procedunt cætera, inficiari non auſim; locus enim creandi Epiſcopos univerſa Hiſpania Toletum erat, nec præter Toletani Præſulis autoritatem, Regiamque confirmationem, antiquata canonica electione ob Hiſpanæ Eccleſiæ utilitatem, Cleri populique conſenſus requirebatur. Nihilo tamen ſecius diffiteatur nemo, quod hujuſmodi apertæ tranſgreſſiones Romanis Pontificibus vim intulerunt, ut, ſtatim atque reſpirare licuit a bellorum tumultibus, quieſcentibuſque Principum ſimultatibus ſupremam ſuam poteſtatem in univerſam Eccleſiam exercere; tam multas, & tam varias conſuetudines, quæ ubique in optimam diſciplinam irrepſerant, aut abolerent, aut ſelectis potioribus, novam ad diſciplinam ſtabiliendam iis uterentur, ut factum novimus. Ita enim decebat Chriſti Vicarium, ne Eccleſia ſibi commiſſa ſenſim diſſolveretur, quemadmodum factum iri Epiſcopi remotiſſimarum gentium in diverſa abeuntes, ſibique plus æquo tribuentes portendebant. Quandoquidem, tametſi Sanctis Patribus Gregorio, & Iſidoro olim docentibus, varietas conſuetudinum unitatem Fidei non ſcindat; tamen ſi hæ conſuetudines non a diſpenſatione, ſed a tranſgreſſione Canonum, & Decretorum S. Sedis profectæ ſunt, in ordinem revocari eas oportet a Romano Pontifice, qui non alia de cauſa ſe Canonum Cuſtodem fecit, niſi ut Decreta generalium Conciliorum, necnon localium a ſe probata ubique locorum ſanctiſſime obſervarentur.

XX. *Depravatio hæc non recte in exemplum diſciplinæ veteris adducitur. Boſſuet. defenſ. Cl. Gall. p. 2. l. 12. c. 29.*

Quæ quum ita ſint, quis non doleat, conatos eſſe aliquos ſiſtema diſciplinæ illius ævi per hujuſmodi tranſgreſſiones ſtabilire? Quid quod Concilium ipſum generale VI. (Hiſpanis V. quia nihil de iſto audiverant) ſubjectum fuiſſe examini Toletanæ Synodi, uſurpant pro rei ſuæ argumento, quamquam manifeſte contrarium ſibi eſſe intelligant? Profecto ſi hac de re pronunciandum mihi

mihi eſſet, non magis quæri dicerem antiquas conſuetudines aſſerendi artem, quam diſciplinæ depravationes inolitas, atque ob temporum difficultates aut non ſtatim deprehenſas, aut toleratas a S. Sede, poſtliminio revocandi adminicula: quum cæteroqui natura ipſa doceat, minus quieſcendum eſſe conſuetudini, cujus certum principium a recto aberrat. Quod ut verum ſit, tota in antiquitate Eccleſiæ Hiſpanæ translationum Epiſcopalium exempla illa ſola reperiuntur, quæ attulimus. Quin etiam, veritati enim fucum facere iniquum eſt, quæcumque translationes tota in Occidentali Eccleſia fuerunt factæ ante octavum ſeculum, ad Hiſpanas iſtas tantummodo reducuntur. Quis enim Gallicanos aliquot Epiſcopos ad Francorum regnum confugere coactos aut ſedium ſuarum everſione, aut barbarorum inſaniente veſania, inter translatos Præſules recenſere auſit? Multo autem minus Anglicanæ naſcentis tum Eccleſiæ Antiſtites huc revocandos quis putet: in extremis enim Eccleſiæ difficultatibus multa licent, quæ tranquillitatis tempore ſunt reformanda. Itaque ſolæ translationes Hiſpanæ manifeſtum ambitum præſeferentes ſunt reliquæ. His vero utemur fundamentis, ut conſuetudinem translationum inſcia Apoſtolica Sede tribuamus Conciliis Provincialibus? Eſt id non modo Pontificum Decretis, ſed etiam Conciliis generalibus (quæ optimo meritoque jure tanti apud omnes ſunt, ſemperque fuerunt) autoritatem adimere, ut prava ſuſtineatur conſuetudo. Neque iſtud dico, quaſi poſteriorem diſciplinam a S. Sede ſtabilitam condemnaturus, ita ut Translationes levi hærere arbitrer fundamento; quæ enim Romanus Pontifex pro Eccleſiæ bono aut inſtaurat, aut decernit, firmiſſima omnium ſtabilitate nituntur. Id dico, ut vindices conſuetudinum moneam, ne S. Sedi detrahant, quod facta quædam in Eccleſiis longe diſſitis reperiant; ſed potius inquirant, quænam origo eorum ſit, quam ſi pugnantem cum ſacris Canonibus nullaque Romani Pontificis autoritate hærentem offenderint, depravationis, quam diſciplinæ nomine tutius appellent. Hæc de moribus, atque Judiciis Clericorum Hiſpaniæ per ſeculum ſeptimum.

DISSERT. IV. CAP. VII.

CAPUT VII.

De Eccleſiaſticis Beneficiis Hiſpaniarum eodem ævo.

I. Rudimenta beneficiorum Hiſpaniæ.

DE re acturus, ſiquæ maxime, omnibus nota, tantiſper ab ipſo initio, retro abeam; juvat quippe omnia, quæ ad Eccleſiam Hiſpanam jure poſſunt referri, in meam hanc provinciam undelibet tranſmovere, nam cupio quam maxime aptam atque explicatam lectori eam tradere. Rudimenta Beneficiorum deprehendimus ineunte ſexto ſeculo in Concilio Toletano II. cujus verba tunc prætermiſſa hîc recito: *Si quis ſane Clericorum agellos, vel vineolas in terris Eccleſiæ ſibi feciſſe probatur, ſuſtentandæ vitæ cauſa, uſque ad diem obitus ſui poſſideat; verum poſt ſuum de hac luce diſceſſum, juxta priorum Canonum Conſtitutiones jus ſuum Eccleſiæ ſanctæ reſtituat, nec teſtamentario, ac ſucceſſorio jure cuiquam heredum, proheredumve relinquat niſi forſitan cui Epiſcopus pro ſervitiis, & præſtatione Eccleſiæ largiri voluerit.* Canoni vero huic aliorum Conciliorum alios præiviſſe aperte teſtantur Patres, qui poſſunt repeti ex Concilio præſertim Agathenſi 59. & ex Aurelianenſi I. 25. ſtabilientes, quod terrulæ, ac vineolæ, aliaque Eccleſiæ bona ab Epiſcopo conceſſa Clericis ad excolendum, nulla temporum præſcriptione ab Eccleſia avelli poſſunt, multique alii Canones, & Epiſtolæ Romanorum Pontificum id genus præſto ſunt in Codice Veterum Canonum: unde conſtat liquido, quod Eccleſiæ bona perpetuò ab eadem poſſeſſione retinentur, dum beneficii nomine conlata Clericis, Monachiſve utquumque exculta ab iis, ac feraciora reddita, nunquam ex jure Eccleſiæ avelluntur, quod eſſe ingenium Beneficiorum Eccleſiaſticorum noſtra etiam ætate compertum exploratumque eſt. De horum nomine, laica origine, conditione, ac varietate diſſertiſſime Thomaſſinus: nec nobis reliquum eſſe aliud videtur, quam ſpicilegium. Quamobrem intra meæ provinciæ limites eo ipſe munere perfungens, Toletanum Canonem, unde Hiſpaniæ beneficiorum rudimenta elicui, ab aliis multo antiquioribus Africanis illuſtrari non ſileam. Agellos nimirum, & vineolas illas, quæ credebantur Clericis, manu eorumdem excoli conſueviſſe nullus dubito; nam video, S. Iſidorum retuliſſe in codicem nuper laudatum hos quarti Concilii

Conc. Tolet. II. cap. 4.

Cod. Vet. Can. l. 1. tit. 9. lib. 3. tit. 5.

lii Carthaginenſis Canones, nempe 51. & 52. *Clericus quantumlibet verbo Dei eruditus artificio victum quærat*. Et: *Clericus victum, & veſtimentum ſibi artificiolo, vel agricultura, abſque officii ſui dumtaxat detrimento præparet*. Quibuſcum concinit etiam proxime ſequens, qui in Codice occurrit: *Omnes Clerici qui ad operandum validi ſunt, & artificiola & literas diſcant*. Data opera hos Canones recitavi; non modo ut anguſta beneficiorum primordia teneantur, dum agricolas Beneficiarios, juxta Concilia Agathenſe, & Aurelianenſe conſtituebant; verum etiam ut pateat, quod verba illa Toletani Canonis: *ſi quis Clericorum agellos, vel vineolas in terris Eccleſiæ ſibi feciſſe probatur, ſuſtentandæ vitæ cauſa*, ipſiſſimam præſeferunt Beneficiorum Hiſpanienſium naturam, quæ apud Afros, & Gallos fuerat.

DISSERT. IV. CAP. VII. Cod. eod. l. 1. c. 9. & 13.

Hinc non obſcure inſtitutio beneficiorum eruitur. Quum ſcilicet inter oblationes Fidelium, prædia, fundique paſſim numerarentur, queis dotabantur Eccleſiæ; Epiſcopi, in quorum poteſtate omnia erant, partem eorum aliquam ſuis Clericis elargientes beneficia inſtituerunt, tenuiſſima primum, ut rerum omnium conditio eſt, at poſtea magnis aucta incrementis, dum ſua in Eccleſiam conferre patrimonia Fideles certatim ſtuduerunt. Hæc quidem ex indicato Aurelianenſis Concilii Canone nullo diſcrimine Clericis Monachiſve per Epiſcopos concedi conſueverunt, principio ſexti ſeculi: *Si Epiſcopus*, inquit, *humanitatis intuitu, mancipiola, vineolas, vel terrulas Clericis, vel Monachis præſtiterit excolendas, vel pro tempore tenendas, etiamſi longa tranſiſſe annorum ſpatia comprobentur, nullum Eccleſia præjudicium patiatur: nec ſecularis legis præſcriptio, quæ Eccleſiæ aliquid impediat, opponatur*. An Hiſpani Præſules Arianorum tempore tam Clericis, quam Monachis beneficia hujuſmodi ea conditione contulerint, maxime dubia res eſt. Poſt deteſtatam vero hæreſim ſecus fuit: nam quidquid Monaſteriis, parochialibuſve Eccleſiis, de prædiorum aut fundorum largitionibus conceſſerunt, ſtabili donationis fundamento iiſdem datum fuiſſe teſtatur Concilium Toletanum III. *Hæc ſancta Synodus nulli Epiſcoporum licentiam tribuit res alienare: quoniam & antiquioribus canonibus prohibetur. Siquid vero, quod utilitatem non gravet Eccleſiæ, pro ſuffragio Monachorum, vel Eccleſiis ad ſuam Parochiam pertinentibus dederunt, firmum maneat. Peregrinorum vero, vel Clericorum,*

II. Prima eorum inſtitutio ab Epiſcopis facta.

Conc. Aurel. I. cap. 25.

Conc. Tol. III. c. 3. & 4.

 & ege-

Digitized by Google

& egenorum neceſſitati, ſalvo jure Eccleſiæ præſtare permittantur pro tempore quo potuerint. Et clarius ſequenti canone: *Si de rebus Eccleſiæ pro eorum ſubſtantia aliquid, quod detrimentum Eccleſiæ non exhibeat, eidem loco donaverit, ſit ſtabile*. Præter hos caſus, quælibet vel minima Eccleſiæ rerum diſtractio erat vetita, ut abunde Agathenſe Concilium nos docet; ac ne extra Hiſpaniam quæramus exempla, Concilia duo Hiſpana Tarraconenſe, & Ilerdenſe, quæ præiverunt tempora Toletani II, quibus addi etiam poteſt Valentinum Toletano eodem pariter antiquius, de rebus Eccleſiæ domeſticis tanta cum ſeveritate decernunt, ut tamquam ſacrilegum condemnent, quicumque aliquid *mobilis, & immobilis rei Eccleſiaſticæ* abſtulerit: tam alte iis Epiſcopis inſidebat, quod pretia peccatorum, & patrimonium pauperum, unde originem ducunt beneficia, ſemel in Eccleſiæ jus tranſeuntia, ſacra erant, ſanctequeque tractanda; eorumque diſpenſatores ſoli erant Epiſcopi, a quorum arbitrio & fundi, & mancipia, & quidquid rerum in Eccleſiarum poteſtatem venerat, omnino dependebant.

III. Quam grati eſſent Epiſcopi iis, qui largiebantur ſua bona Eccleſiæ. *Conc. Tolet. IV. cap. 38.*

Ipſo autem illo arbitrio quam ſancte uterentur Epiſcopi perſpicuum valde argumentum eſt id quod unanimes totius Hiſpaniæ Epiſcopi S. Iſidoro præſide decreverunt pro Fidelium ſua bona largientium Eccleſiæ progenie ad paupertatem redacta. Verba eorum recito, plurimi enim habenda eſſe puto. *Præbendum eſt a Sacerdotibus vitæ ſolatium indigentibus, & maxime his, quibus reſtituenda viciſſitudo eſt. Quicumque ergo fidelium de facultatibus ſuis Eccleſiæ aliquid devotione propria contulerunt; ſi forte ipſi, aut filii eorum redacti fuerint ad inopiam, ab eadem Eccleſia ſuffragium vitæ pro temporis uſu percipiant. Si enim Clericis, vel Monachis, ſeu peregrinis, aut quamlibet neceſſitatem ſuſtinentibus, pro ſolo religionis intuitu in uſum res Eccleſiaſticæ largiuntur, quanto magis his conſulendum eſt, quibus retributio juſta debetur?* Hæc quid Gratianus congeſſerit cum aliis multis ad juspatronatus inde exprimendum non intelligo. Id tantum ſcio, quod ex Toletanorum Patrum decreto, juris Patronatus illatio non ſequitur. Ibi enim agitur de ſublevandis præcipue inter alios pauperes iis, qui de ſuis bonis donaverunt Eccleſias, ſi forte aut ipſimet, aut ipſorum filii ad inopiam lapſu temporis redigerentur. Hæc vero miſericordiam potius Epiſcoporum, gratumque eorum animum commendant, quam jus Patronatus importent. Qui autem Patro-

16. q. 7. Quicumque fideliũ.

tronatus eluceat in Concilio, quod manifeſte illum excludit ab ipſis fundatoribus Eccleſiarum? *Noverint ergo*, ait, *conditores baſilicarum in rebus, quas eiſdem Eccleſiis conferunt, nullam ſe poteſtatem habere, ſed juxta Canonum inſtituta ſicut Eccleſia, ita dos ejus ad ordinationem Epiſcopi pertineat*. Et quamquam ad avertendam aliquot Præſulum avaritiam; *quia avaritia Sacerdotum omnia auferuntur*: Fidelibus, qui ædificarant baſilicas, & oblationes ſanctas dederant, juris aliquid Fundatoribus eorumve filiis datum eſſe a Concilio liqueat; id nihilominus patronatum neququam redolet, ſed ſollicitudinem, ſed vigilantiam, ſed recurſum ad Concilium, quod unicum tribunal his competens cauſis in Hiſpaniis eſſe demonſtravimus. Verba eorum Patrum perſpicua ſunt; *Quod ſi amplius quippiam ab eis* (Epiſcopis) *præſumtum extiterit, per Concilium inſtauretur, appellantibus aut ipſis conditoribus, aut certe propinquis eorum ſi jam illi a ſeculo deceſſerunt*. Quæ poſt, proſequuntur cætera, quæ nuper attuli, ne forte plus æquo ſibi arrogarent Fundatores. Cæterum tam ex hoc, quam ex ſuperius recitato Canone conſtat liquido, quam providi Eccleſiæ rerum diſpenſatores, ſimulque quam retinentes ſui juris eſſent Hiſpaniarum Epiſcopi, dum ſemel donata Eccleſiis ex omni largitorum poteſtate excidiſſe definiunt, tametſi aliquam eorum curam non abjiciunt frenandæ cauſa Sacerdotum libidinis, in cauſa dumtaxat uſurpationis eorum quæ Eccleſiis dederant: necnon primum inter pauperes locum tribuunt Fidelibus, qui aliquid donarunt Eccleſiis, ſi aut ipſi, aut eorum liberi ad inopiam redigerentur. Qui ſane caſus fortuiti aut largitorum inopiæ, aut Fundatorum recurſus ad Concilium contra avaros Epiſcopos, generalem non faciunt regulam pro utriuſque generis eventibus.

DISSERT. IV. CAP. VII.

Conc. id. c. 34.

IV. Iidem Epiſcopi Eccl. rerum diſpenſatores, non domini.

Quin etiam Epiſcopi ipſi tam ſeveris legibus ipſos ſe cohibuerunt, ad cujuslibet generis res Eccleſiæ quod attinet, ut ne in libertatem quidem aſſerere mancipia poſſent, ne Eccleſiæ damnum inferrent, mancipia inquam, quæ inter Eccleſiæ utilitates numerabantur. Et quidem jure: diſpenſationem ſiquidem, non dominium natura ſua important res Eccleſiæ. Quamobrem Patres Concilii Hiſpalenſis I. celebrati anno 590. ſub S. Leandro Inſtauratore Catholicæ Fidei, quum Gaudentii Aſtigitani Epiſcopi jam demortui factum ſimile emendarent: *Comperimus*, inquiunt, *in Canone, ut Epiſcopus, qui res proprias, exceptis filiis, & nepotibus alteri, & non Eccleſiæ ſuæ dimiſerit, quicquid*

Conc. Hiſpal. I. c. I. 2.

quid de Eccleſiæ rebus aut donavit, aut vendidit, aut quoquo modo ab Eccleſia tranſtulit, irritum habeatur. Et ideo ſi res Præceſſoris tui Gaudentii Epiſcopi Eccleſia veſtra non poſſidet, liberi, qui ab eo facti ſunt, non ſunt legitime abſoluti. Decernunt itaque, quod qui libertate donati erant, in Eccleſiæ jure permaneant, quidquid acquiſierint, filiis tantum hæreditate relinquant, omniaque in Eccleſiæ utilitatem redeant. Quæ vero mancipia Eccleſiæ aliis donata fuerant, ad eam revocari jubent; eaque lege Bæticam omnem provinciam teneri. Quæ poſt ſic Canonem ſecundum abſolvunt: *Durum eſt enim, atque irreligioſum, ut Epiſcopus, qui Eccleſiaſticis ſtipendiis vivit, & proprietatem ſuam lucris Eccleſiæ minime confert, aliorum oblationes a jure Eccleſiaſtico privet.* Nec vero mirari aliquis debet, quod antiqui Canones tot numero inveniantur dotem ſuam Eccleſiis acerrime vindicantes, ita ut largitores omni ſpoliarent jure, Epiſcopoſque ipſos ejuſdem diſpenſatores, non dominos conſtituerent. Id quippe ingenium erat quarumcumque oblationum mobilium, ſeu immobilium, non canonibus ſtabilitum, ſed ab Apoſtolis per manus ductum ad Epiſcopos, qui primos hac de re condiderunt Canones. At enim vero quid iſto, illove ſubdolo indiget largitore Eccleſia, qui Eccleſiæ dare ſimulet, ſibique retineat? *Act. 5. 4.* *Nonne manens tibi manebat*, ajebat Petrus largitori ejuſmodi, *& venumdatum in tua erat poteſtate? quare poſuiſti in corde tuo hanc rem? non es mentitus hominibus, ſed Deo.* Epiſcopos vero, quorum arbitrio, ex veteri hac diſciplina & oblationes, & largitiones omnes committebantur, antiqui Canones conceptis verbis rerum commendatarios appellant. *Conc. Carth. IV. cap. 31.* *Ut Epiſcopus rebus Eccleſiæ tamquam commendatis, non tamquam propriis utatur.* Et clarius Agathenſe Concilium: *Conc. Agat. cap. 6. 7.* *Caſellas, vel mancipiola Eccleſiæ Epiſcopi, ſicut priſca Canonum præcepit autoritas, vel vaſa miniſterii, quaſi commendata fideli præpoſito in integro Eccleſiæ jure poſſideant, ideſt, ut neque vendere, neque per quoſcumque contractus res, unde pauperes vivunt, alienare præſumant.* Quin etiam eo uſque religioſam hac in re antiquitatem reperimus, ut ne eorum quidem, quæ privatim tradebantur Epiſcopo, hic dominium aſſequeretur: *Pontifices*, ait idem Concilium, *quibus in ſummo Sacerdotio conſtitutis ab extraneis dumtaxat aliquid aut cum Eccleſia, aut ſequeſtratim aut dimittitur, aut donatur, quia hoc ille, qui donat pro redemtione animæ ſuæ, non pro commodo*

Sa-

Digitized by Google

Sacerdotis offerre probatur, non quaſi ſuum proprium, ſed quaſi dimiſſum Eccleſiæ, inter facultates Eccleſiæ computatur.

V. Donata Eccleſiis a Rege, aut alio quovis, ex eorum jure excidebant.

Nullum ego Canonem laudavi, non dico ex Conciliis in Hiſpania ignotis, ſed qui in codicem ipſorum proprium non eſſet relatus. Atque ea propter nolim dubites, quin ipſiſſimæ naturæ eſſent bona Eccleſiarum omnia, unde Clericis beneficia ad tempus, Monaſteriiſque, ac Parochialibus Eccleſiis in perpetuum concedebantur. Quî autem ſecus fuerit? Ne Regiæ quidem largitiones alîus naturæ erant in Hiſpaniis; cujus rei habemus teſtem Nationale Concilium VI. quod celebrabatur anno 638. poſt S. Iſidori mortem. En verba ipſa ſatis perſpicua: *Quia his, qui Principibus digne ſerviunt, atque deferentibus fidele illis obſequium, conſtat nos optimum miniſtraſſe ſuffragium; dum juſte a Principibus acquiſita, in eorum jure perſiſtere ſancimus indivulſa; æquum eſt maxime, ut rebus Eccleſiarum Dei adhibeatur a nobis providentia opportuna: adeo ut quæcumque rerum Eccleſiis Dei a Principibus juſte conceſſa ſunt, vel fuerint, vel cujuſcumque alterius perſonæ quolibet titulo illis non injuſte conlata ſunt, vel extiterint, ita in earum jure perſiſtere firma jubemus, ut evelli quocumque caſu vel tempore nullatenus poſſint. Opportunum eſt enim, ut ſicut fidelia ſervitia hominum non exiſtere cenſuimus ingrata, ita Eccleſiis conlata (quæ proprie ſunt pauperum alimenta) earum in jure pro mercede offerentium maneant inconvulſa.* (Conc. Tolet. VI. cap. 15.) Hinc eſt, quod concilium idem lata lege, tum Clericos, tum alios quoſvis aliquid de Eccleſiæ bonis accipientes, cautionem facere juſſit, ne aut temporis diuturnitas eadem bona ab Eccleſia avelleret, aut pro tempore poſſidentium incuria iis damnum inferretur. *Sæpe fit*, inquit, *ut proprietati originis obſiſtat longinquitas temporis. Quapropter providentes decernimus, ut quiſquis Clericorum, vel aliarum quarumlibet perſonarum ſtipendium de rebus Eccleſiæ cujuſcumque Epiſcopi percipit largitate, ſub precariæ nomine debeat profeſſionem ſcribere; ut nec per detentionem diurnam præjudicium afferat Eccleſiæ; & quæcumque in uſum perceperit, debeat utiliter laborare, ut nec res divini juris videatur aliqua occaſione negligi, & ſubſidium ab Eccleſia, cui deſerviunt, percipere poſſint Clerici. Quod ſi quis eorum contemſerit facere, ipſe ſtipendio ſuo videbitur privari.* (Conc. eod. c. 6.) Tricennalis dumtaxat poſſeſſio baſilicam aliquam aſſerebat Epiſcopo alîus parochiæ, ſeu Diœceſis, ut oſtendunt Canones. Id vero jus poſſeſſionis ſpectabat, non

DISSERT.IV. CAP. VII. non rerum Eccleſiæ perpetuam ſtabilitatem: atque ob id utquumque ea præſcriptione alteri Epiſcopo vindicaretur Baſilica juris olim Epiſcopi alîus, natura Eccleſiæ rerum nullatenus immutabatur, iiſdem nimirum ſub Epiſcopi juriſdictione omnino permanentibus, aut ea eſſent fundi, & prædia, aut Baſilicæ a quovis fundatæ, ac dotatæ. Quod ſane Eccleſiaſticarum rerum ingenium nullatenus immutatum reperire eſt apud Hiſpanos per totum ſeculum ſeptimum, alia licet multa ii peccaverint, ut dictum eſt, tum in diſciplina, tum in cauſarum judiciis, quia nullum cum S. Sede commercium priſtinas eorum conſultationes abruperat.

Conc. Hiſpal. II. cap. 2. Tol. IV. cap. 33. & 34.

VI. Juſpatronatus inſtitutus creditur in Conc. Tol. IX.

Per totum inquam ſeculum ſeptimum, ſeu mavis toto eo tempore, quum diſciplina vetus quæri in Hiſpaniis poteſt, ideſt ante Mauricam tyrannidem, unde aliquando demum emergentes, novam coaluiſſe diſciplinam invenerunt, eamque, ut decuit, ſunt amplexæ. Novi equidem apud plurimos, eoſque non ineruditos, noſtram hanc ſententiam, quippe nimis abſolutam, non bene audituram. Quandoquidem Juris patronatus inſtitutionem mihi objicient ex Concilio Toletano IX. quod paulo poſt ſeptimi dimidium ſeculi, anno videlicet 655. celebrabatur; at ſecus facturos eos eſſe confido, ubi penſius rem agnoverint. Nova ii Patres decreta ſancitum iri affirmant: *Id communi definitione decrevimus, ut capitula, quæ in priſcis Canonibus minime habebantur inſerta, promulgarentur ſententia, & antiquis jungerentur Regulis perenni jugitate manſura, & omni reverentia conſervanda.* Et quia rem ſerio agunt, a ſua ipſorum reformatione incipiendum eſſe profitentur: *ante noſtris exceſſibus imponere modum, & ſic errata corrigere ſubditorum.* Quinam vero erant hi exceſſus? Epiſcopi ſcilicet nonnulli bona Eccleſiarum a Fidelibus fundatarum abſtulerant, ſibique aut ſuæ Cathedræ aſſeruerant. Itaque Concilium vota Fidelium fruſtrari videns, decrevit, ut quævis bona a quocumque Fundatore tribuerentur Eccleſiæ per eum fundatæ, eidem perpetuo adnexa eſſent. Deinde ſollicitudinem, ac vigilantiam longe majorem illa, quam dederat Concilium Toletanum IV. ipſis Fundatoribus impertiunt, ut quæ adverſus fraudem decreverant, firmiora eſſent: *Verum*, inquiunt, *ut hujus rei potior ſoliditas habeatur, condignis filiis vel nepotibus, honeſtioribuſque propinquis ejus qui conſtruxit, vel ditavit Eccleſiam, licitum ſit hanc bonæ intentionis habere ſolertiam, & ſi Sacerdotem, ſeu Miniſtrum aliquid* ex

Conc. Tolet. IX. præf.

Ibid. cap. 1.

ex conlatis prævíderint defraudare, aut commonitionis honeſtæ conventione compeſcant, aut talia Epiſcopo, vel Judici corrigenda denuncient. Quod ſi talia Epiſcopus agere tentet, Metropolitano ejus hæc inſinuare procurent. Si autem Metropolitanus talia gerat Regis hæc auribus intimare non differant, juxta eam judiciorum formam, de qua ſupra ſum loquutus. Hinc enitere juris Patronatus poſtea inſtituti a Romano Pontifice imaginem, ſive etiam naturam negare non auſim; Patronatum nihilominus nequaquam fuiſſe ab Hiſpanis inſtitutum, aperte declarant quæ continuo ſequuntur: *Ipſis tamen hæredibus in eiſdem rebus non liceat quaſi juris proprii poteſtatem præferre, non rapinam, non fraudem ingerere, nec violentiam quamcumque præſumere; ſed hoc ſolum in ſalutarem ſollicitudinem adhibere, quod aut in nullam noxam operatio nocens attingat, aut ut in multam partem, aut aliquam ſalutaris merces aſſumat*. Nec enimvero fas illis erat ſecus decernere; niſi ſuorum Prædeceſſorum decreta convellere, quam novis additis firmiora reddere maluiſſent, quod utique poſteriora Concilia conſueverunt.

VII. Idem recte examinatus a Patronatu valde differt.

Longe præclarius Patronatus argumentum aliis eſt ſequens Canon ejuſdem Concilii; non enim Toletanorum Patrum ſententiam cum recentiori diſciplina Patronatus conferunt, ſed illorum ex decreto exprimunt, quæ multo poſtea inſtituta eſt. Itaque ad trutinam revocari debet is Canon. Incuriam Epiſcoporum aliquot, qui fundationes fidelium peſſum ire patiebantur, emendaturi Patres, duobus ſe capitibus moveri ajunt, miſeratione, & jure; Fundatores ſiquidem Eccleſiarum pereuntium ob Epiſcopalem negligentiam jure queſti eſſe videbantur ſuarum fundationum vices. Verba Patrum tam perſpicua ſunt, ut Commentariis non indigeant. *Quia ergo*, ajunt, *fieri plerumque cognoſcitur, ut Eccleſiæ Parochiales, vel Sacra Monaſteria, ita quorumdam Epiſcoporum vel inſolentia, vel incuria horrendam decidant in ruinam, ut gravior ex hoc oriatur ædificantibus mœror, quam in ſtruendo gaudii extiterat labor; ideoque pia compaſſione decernimus, ut quamdiu earumdem fundatores Eccleſiarum in hac vita ſuperſtites extiterint, pro eiſdem locis curam permittantur habere ſollicitam, & ſollicitudinem ferre præcipuam, atque Rectores idoneos in eiſdem Baſilicis iiſdem ipſi offerant Epiſcopis ordinandos. Quod ſi tales forſitan non inveniantur ab eis, tunc quos Epiſcopus loci probaverit Deo placitos, ſacris altaribus inſtituat, cum eorum conniventia ſerrituros.* (Conc. Tolet. IX. cap. 2.)

DISSERT. IV. CAP. VII.

Quod ſi ſpretis eiſdem fundatoribus, Rectores ibidem præſumſe- rit Epiſcopus ordinare, & ordinationem ſuam irritam eſſe nove- rit, & ad verecundiam ſui alios in eorum loco, quos iidem ipſi fundatores condignos elegerint, ordinari. Quæ poſtrema verba emendandis Epiſcoporum exceſſibus, ut principio erant profeſſi Patres, ita decernendum fuiſſe luce clarius oſtendunt. Equidem penitus aſſequutus mihi eſſe videor eorum mentem, qui jus Pa- tronatus inde educunt. Inſtitutione haud diſſimili illud repu- tantes, ejuſdemque originem quam fieri poſſit altiorem aucupan- tes, in localis hujus Concilii Canonem offendunt, rerumque eventubus ſus deque habitis, Toletanis Patribus appingunt, quæ nec conſtituerunt, nec conſtituere omnino poterant. Penſius, oro, animadvertant quæ in eo Concilio decernuntur, nec ne- gligant cauſas, quæ Canonem pepererunt. Facultas ea concedi- tur ſolis Fundatoribus, ne eorum quidem filiis comprehenſis in Canone; de Monaſteriis, ac Parochialibus Eccleſiis agitur, quæ Epiſcopis omnino ſuberant, neque inſtitui ab alio poterant, quod enucleatius oſtendam in diſſertatione de Monaſteriis; ac denique arbitrio Fundatorum permittitur præſentatio idonearum perſo- narum, quæ non modo Parochiis, ſed etiam Monaſteriis præfi- ciantur, vita tantum ſuperſtite.

VIII. *Eſt merum privilegium ad tē- pus conceſſum Fundatoribus Eccl. in prov. Tol.*

Ex tribus his capitibus primum & tertium, jus Patronatus prorſus excludunt, modo ejus natura conſideretur attentius: neque eſt aliud canonica ea facultas, quam merum privilegium Fundatoribus Eccleſiarum in provincia Carthaginenſi conceſſum ad cohibendos Epiſcoporum exceſſus, miſerationis dumtaxat, & æquitatis intuitu: quod ſcilicet cum fundatore ipſo habebat finem. Ad caput alterum quod ſpectat, nec Parochiales Eccleſiæ, nec Monaſteria ulla præſentationem Abbatum & Parochorum a laicis fundatoribus factam tuliſſent, abſque diſciplinæ omnis excidio. Quumque incredibile prorſus ſit, quod Eugenius Me- tropolita Toletanus ejuſque Comprovinciales legem tulerint a Metropolitis Epiſcopiſque aliis improbandam, utpote ſacris con- trariam Canonibus; quid ſibi velit hæc Rectorum præſentatio tam pro Monaſteriis, quam pro Parochialibus Eccleſiis, quæ tertio capite indicatur, aut ſaltem Fundatorum conſenſus in Re- ctoribus eligendis per Epiſcopum, facile aſſequemur ſpectata cauſa, qua ſe moveri ajunt Epiſcopi. *Quum ſæpe*, inquiunt, *ſit ſolitum etiam illa quæ non debentur, prece ſupplicationis, & vi quodammodo extorqueri doloris: quanto magis & ſine obſtaculo con-*

concedi debent exquiſita ſimul & ordine juris, & dolore compaſſionis? Fundatores igitur Baſilicarum aliquot in provincia Carthaginenſi, quæ poſtmodo Epiſcopali autoritate in Monaſteria, & Parochiales Eccleſias evaſerant, ægre ferentes, quod quæ ipſi pro redemtione animarum obtulerant, aliena negligentia corruiſſent, ſupplices ad cœtum Epiſcopalem acceſſere, obtinueruntque, ut non modo Baſilicarum, quas fundaverant ſarta tecta ſibi, quoad viverent, permitterentur; ſed ut Rectorum quoque electio ipſis invitis non fieret, quod utique privilegium ad omnes ejus provinciæ fundatores ſe extendit. Longe vero, ut limitatum adeo privilegium Fundatoribus ſolis Carthaginenſibus conceſſum, ad Hiſpaniæ provincias cæteras transferre quis poſſit, e contrario Concilium Toletanum Nationale X. anno poſt celebratum, priſtinam in Hiſpaniis diſciplinam obtinere teſtatur, qua jubebantur Epiſcopi *Monachos ad converſationem ſanctam præmonere, Abbates, aliaque Officia inſtituere, atque extra regulam facta corrigere*; neque aliud ſibi uſurpare *contra inſtituta Canonum illicita præſumtione.* Et ſane dolet id Concilium, nonnullos Epiſcopos præcepti Apoſtolici *ita eſſe immemores, ut quibuſdam Monaſteriis, Parochialibuſque Eccleſiis aut ſuæ conſanguinitatis perſonas aut ſui favoris participes iniquum ſæpe ſtatuant in Prælatum*: pœnamque interminatur depoſitionis hujuſmodi perſonis, atque annuæ excommunicationis Epiſcopis id præſtare deinceps auſis. De interventu autem Fundatoris neque hîc, neque alibi ulla occurrit mentio, ut Canones evolventi patens erit, quod ſatis ſuperque eſt ad affirmandum, quod privilegium e re nata conceſſum aliquibus Fundatoribus in una provincia, vita dumtaxat ſuperſtite, vix, immo ne vix quidem attendi debet.

DISSERT. IV. CAP. VII.

Conc. Tolet. IV. cap. 51.

Conc. Tolet. X. cap. 3.

IX. In Hiſpan. ante Mauros inaudita res erat Patronatus.

De jure illo Patronatus tum laicali tum Eccleſiaſtico ſequioribus ſeculis nato, quod ſacris tot legibus nulli eruditorum ignotis nititur, nihil dicam; nimio enim intervallo disjungitur vetus Eccleſia Hiſpana ab iis temporibus, quum revixit in aliqua ex iiſdem provinciis, quas omnes Monarchia Gothorum amplectebatur. Quadringentis fere annis ſub jugo Saracenorum gemuiſſe eam quis neſcit? totidemque annis non modo patronatum, interim natum, noſci non potuiſſe, ſed ne fundationem quidem ullam inibi factam eſſe quem præterit? Ad vetera igitur tempora, ſeu ad ſeptimum redeamus ſeculum, quum neque Eccleſiaſtici, neque laici Patronatus jure Eccleſiæ bona turbabantur,

tur,

DISSERT. IV. CAP. VII. tur, ſed omnimoda in poteſtate erant Epiſcoporum, quorum aliquot eadem abutentes in ordinem redactos audivimus. Quumque aliquantulum digreſſi inde ſimus, non erit abs re Nationalis Concilii Canone fundationum ejus ætatis ingenium memoria repetere. *Conc. Tol. III. cap. 19.* *Sic quidam contra Canonum autoritatem Eccleſias, quas ædificaverunt, poſtulant conſecrari, ut dotem, quam eidem Eccleſiæ contulerint, cenſeant ad Epiſcopi ordinationem non pertinere. Quod factum taliter in præterito corrigatur, ut in futuro ne fiat prohibeatur, & omnia ſecundum conſtitutionem antiquam ad Epiſcopi ordinationem, & poteſtatem pertineant.* Hæc vero Epiſcoporum Hiſpaniæ poteſtas in Eccleſiaſtica omnia bona ſuæ Diœceſis, certis ut vidimus circumſcripta erat limitibus, adeo ut nec vendere, nec diſtrahere, nec donare ex iis aliquid, fas iiſdem eſſet; præterea diſpenſatio ipſa eorumdem bonorum tam caute facienda erat, ut ſemel, & iterum a S. Iſidoro in provinciali primum, deinde in Nationali Concilio ſancitum fuerit, nefas eſſe Epiſcopo rem Eccleſiaſticam adminiſtrare per ſe ſolum. *Conc. Hiſpal. II cap. 9.* *Si quis Epiſcopus poſthac ſine teſtimonio Œconomi rem Eccleſiaſticam crediderit gubernandam, ut contemtor Canonum* (Chalcedonenſium) *& fraudator Eccleſiaſticarum rerum a Chriſto judicabitur reus, & Concilio manebit obnoxius.* Sic cum ſuis Comprovincialibus Iſidorus. Toletanum vero Concilium. S. eodem *Conc. Tolet. IV. cap. 48.* viro Præſide: *Eos*, inquit, *quos Œconomos Græci appellant, hoc eſt qui vice Epiſcoporum res Eccleſiaſticas tractant, ſicut S. Synodus Chalcedonenſis inſtituit, omnes Epiſcopos de proprio Clero ad regendas Eccleſias habere oportet. Qui deinceps contemſerit, obnoxius ejuſdem magni Concilii erit.* Hæc ad rectam Epiſcoporum adminiſtrationem quod attinet. Recitanda modo ſunt ex *Cod. Vet. Can. l. 3. tit. 36.* eodem Canone Hiſpalenſi quæ cum argumento ſint conjunctiora, Codice Veterum Canonum duce, qui his verbis citat laudatum Canonem: *De Œconomis, ne ex laicis conſtituantur.* Sententia autem ejus hæc eſt: *Unuſquiſque Epiſcopus ſecundum Chalcedonenſium Patrum decreta ex proprio Clero Œconomum ſibi conſtituat. Indecorum enim eſt laicum eſſe Vicarium Epiſcopi, & ſeculares in Eccleſia judicare .... Si quis Epiſcopus poſthac Eccleſiaſticam rem per laicalem procurationem elegerit adminiſtrandam, ut contemtor Canonum, a Chriſto judicabitur reus.* Quæ quum ita ſint, quiſnam erit tanta ſagacitate præditus, ut jura Patronatus iſta in Hiſpaniarum antiquitate deprehendat?

X. OEconomi Epi- Perfunctorie videar huc advocaſſe Œconomos, qui Patronos

nos excluderent, niſi prolatis ſingulis eorum muneribus, quemcumque aditum Patronatui ad Hiſpanam antiquitatem intercludam. Quaobrem juvat ex celebri illa S. Iſidori epiſtola ad Laudefredum Cordubenſem huc tranſmovere quicquid Œconomi iſti ex Clero deſumti autoritatis habuerint in Eccleſiæ bonis. *Ad Œconomum*, inquit, *pertinet reparatio Baſilicarum, atque conſtructio: actiones Eccleſiæ in judiciis vel in proferendo, vel in reſpondendo: tributi quoque acceptio & rationes eorum, quæ inferuntur: cura agrorum, & culturæ vinearum: cauſæ poſſeſſionum, & ſervitialium, ſtipendia Clericorum, Viduarum, & devotarum pauperum, diſpenſatio veſtimenti, & victus domeſticorum, Clericorum, ſervitialium quoque & Artificum: quæ omnia cum juſſu & arbitrio ſui Epiſcopi ab eo complentur*. Sic Iſidorus Laudefredo interroganti de officio Œconomi. Itaque prædia omnia, & Baſilicæ, eſſent eæ fundatæ ab Eccleſiaſticis, ſive a laicis, cæteraque omnia ad Œconomi curam pertinebant; nihilque erat ad Cathedrales Eccleſias ſpectans, cujus non illi ſatagerent; qua quidem ex parte (eaque erat maxima, nam quæcumque a Fidelibus donabantur, ad Epiſcopos eorumque Eccleſias perpetuo attinere jam novimus) prætenſus ille Patronatus ſilet. Monaſteriis ſane, & Parochialibus Eccleſiis, quibus perpetuo aſſerebantur quæcumque aut ab Epiſcopo, aut a Fundatoribus ſemel tributa fuerant, ſui erant privati reditus, qui Epiſcopali, aut laicali largitione coaluerant, legeque cautum erat, quid inde Epiſcopis proveniret, atque inter tributa ab Œconomo exigenda recenſebatur. Tertiam partem omnium rerum cujuſvis Parochiæ ad Epiſcopum pertinere teſtatur Concilium Toletanum IV. *Conſtitutum eſt a præſenti Concilio, Epiſcopos ita Diœceſes* (ſic vocari Parochias per id tempus liquet) *ſuas regere, ut nihil ex earum jure præſumant auferre; ſed juxta priorum autoritatem Conciliorum tam de oblationibus, quam de decimis, tributis, ac frugibus tertiam conſequantur*. Et multo antea Tarraconenſe eadem docuerat: *Si qua forte baſilica reperta fuerit deſtituta, ordinatione ipſius reparari præcipiatur, quia tertia pars ex omnibus, per antiquam traditionem, ut accipiatur ab Epiſcopis novimus ſtatutum*. Hac vero ex tertia parte, quæ apud alias gentes quarta, pro rerum diviſione appellabatur, inſtauratio Eccleſiarum earumdem curanda erat ab Epiſcopo per ſuum Œconomum. Hinc eſt, quod aliquorum incuriam damnatam novimus in Concilio Tol. IX. ſollicitudinem Fundatoribus

DISSERT. IV. CAP. VII.

ſcoporum Eccleſiæ res adminiſtrabant.

S. Iſid. ep. ad Laudef.

Conc. Tolet. IV. cap. 33.

Concil. Tarrac. cap. 8.

DISSERT. IV. CAP. VII. bus demandando, ut inſtaurationem (puta ex tertia ea bonorum parte) curarent fieri tempeſtive, avertendis Baſilicarum excidiis: quo ſingulari exemplo perperam jus Patronatus exprimi, reclamante ſacra omni antiquitate, contendimus, & , ſi Deo placet, demonſtravimus.

XI. Tertia pars parochialis ad Epiſcopos pertinebat.

Nunc, quoniam occaſione patronatus rejiciendi ab antiqua Hiſpania, Tertiarum, ut audiunt, meminimus, operæ pretium fecero, ſi de ipſis Tertiis, quæ poſt Maurorum expulſionem, aliam ſortitæ ſunt conditionem, luculenter dicam aliquid pro Eccleſiæ Hiſpanæ antiquitate, quade agimus. Antequam Leovigildi Regis Arianorum ultimi præpotentia Suevorum Regnum extingueretur, Martini græcorum Canonum colectoris induſtria & religionem, & diſciplinam Eccleſiaſticam in Gallæcia inſtauratam eſſe ſuo loco diximus. Itaque lubet ex hac provincia exordium ducere. Occurrit primum Canon Concilii Bracarenſis I. cui ſub Metropolita Lucretio aderat vir idem doctiſſimus, tunc Dumienſis Epiſcopus, conceptis his verbis definiens de Tertiis:

Concil. Brac. I. cap. 7. *Placuit, ut de rebus Eccleſiaſticis tres æquæ fiant portiones, id eſt Epiſcopi una, alia Clericorum, tertia in recuperatione, vel in luminariis Eccleſiæ; de qua parte ſive Archipresbyter, ſive Archidiaconus illam adminiſtrans Epiſcopo faciat rationem.* Unde liquet tum quænam eſſet tertia illa pars, quam antiqua traditione inhærere ait Concilium Tarraconenſe, & qua contentos eſſe volebat Epiſcopos Toletanum IV, tum quis eſſet futurus Tertiarum uſus. At propius accedamus ad ſeptimi finem ſeculi, quæ res & ad brevitatem aptior, & ad reliquas res providentior mihi erit. Concilium Toletanum XVI. anno 693. celebratum de Tertiis ita decernit:

Conc. Tol. XVI. cap. 5. *Tertiæ, quas antiqui Canones de Parochiis ſuis habendas Epiſcopis cenſuerunt; ſi eas exigendas crediderint, ab ipſis Epiſcopis dirutæ Eccleſiæ reparentur: ſi vero eas maluerint cedere, ab earumdem Eccleſiarum cultoribus, ſub cura & ſollicitudine ſui Pontificis, reparatio iiſdem baſilicis adhibenda eſt. Quod ſi omnes Eccleſiæ aut incolumes fuerint, aut quæ dirutæ erant, reparatæ extiterint, ſecundum antiquorum Canonum inſtituta, tertias ſibi debitas unuſquiſque Epiſcopus aſſequi, ſi voluerit, facultas ſibi omnimodo erit.* Quid deſideratur illuſtrius? Antiquiſſima Tertiarum inſtitutio in Hiſpaniis uſque adeo adnexa erat Eccleſiarum reparationi, & juxta poteſtati Epiſcoporum, ut ſeu ab Epiſcopo, puta per ipſius Œconomum, ſeu a Rectoribus Eccleſiarum cum voluntate, & cura Epi-

Epiſcopi, adhibendæ eſſent ad eum finem, ſi Eccleſiarum neceſſitas id exigeret: ſin autem reparationis minus indigentes Eccleſiæ eſſent, haud in ipſarum poteſtate Tertiæ remanerent, invito Epiſcopo, cui æque erat liberum eas exigere, ac remittere. Hanc bonorum Eccleſiæ portionem omnino æqualem alterutrique ad Epiſcopum, Clerumque ſpectanti, eſſe voluerunt antiqui Canones, quantumvislibet in immenſum ea excreviſſent ſeptimo ſeculo exeunte: quia ſcilicet quidquid ſupererat inſtaurationi unius Baſilicæ, inſtaurandæ alii magis inopi, aut pauperum ſublevandæ egeſtati ab Epiſcopo, in cujus poteſtate erant Tertiæ, deſtinabatur; ſicque Eccleſia tum formalis, tum materialis ad Dei laudem erigebatur.

XII. Ea utebantur Epiſcopi pro inſtaurandis Eccl.

Quod ſane arbitrium Epiſcoporum circa Tertias aut exigendas, aut relinquendas, aut exactas impendendas in alius Eccleſiæ utilitatem, non ego meis ex thecis eduxi, ſed ex ipſis Conciliis Toletanis juxta meum morem. Concilium ſiquidem Toletanum IX. tametſi non provinciale, ideoque ad ſolam Carthaginenſem provinciam pertinens, ſic decernit: *Quum præteritis ſanctionibus notiſſimum habeatur, quæ de rebus parochialium Eccleſiarum pars Epiſcopo conferatur, opportune duximus decernendum, ut ſi Epiſcopus tertiam quam de rebus eiſdem ſanctione paterna ſibi debitam novit, aut ipſi Eccleſiæ, cujus res eſſe pateſcit, aut alteri Eccleſiæ, cui elegerit, conferre decreverit, & licitum maneat, & irrevocabile robur ejus ſententia ferat.* Quid ſibi velint Patres Emeritenſes undecimo anno poſt Toletanum Concilium IX. congregati, Chriſti videlicet 666. dum Tertiæ hujus notionem aliquanto aliam nobis præbent, aſſequi mente non poſſum: quum tamen quidquid ipſi decernunt, in idem recidat, pono ob omnium oculos eorum decretum: *Bene*, inquiunt, *diſpoſuit Divina gratia, quidquid unaquæque Eccleſia a fidelibus conlatum eſt, habeat. Priſcis quippe Canonibus erat decretum, ut Epiſcopus de Parochitanis Eccleſiis tertiam ſequeretur, cui ſua pleniſſime ſufficere poſſunt. Placuit huic Sancto Concilio, ut nullus Provinciæ Luſitaniæ Epiſcopus ſententiæ hujus terminum excedat, nec a qualibet Parochitana Eccleſia tertiam auferre præſumat: ſed quidquid exinde conſequi poterat, totum in reparationem ipſarum baſilicarum proficiat. Omnes vero ſupradicti presbyteri, qui virtutem habuerint, Epiſcopo ſuo placitum faciant, ut reparare Eccleſias ſibi commiſſas intendant.* Equidem niſi Concilii Nationalis Toletani XVI. decreto

Conc. Tolet. IX. cap. 6.

Conc. Emer. c. 6.

DISSERT. IV. CAP. VII. creto ſuperius allato diſciplinam Tertiarum tota Hiſpania obtinentium edocerer, non invita abriperer Minerva in eorum opinionem, qui nullo provinciarum diſcrimine, nullaque earum ratione habita, quidquid in Hiſpaniis ubilibet locorum ſtatutum inveniunt, ad univerſam ejus Eccleſiæ conſuetudinem trahunt. Verum continuata ea Tertiarum diſciplina multo poſt Luſitanorum decretum, mihi perſuadet, ut credam, perinde eos proſpexiſſe incommodis parochialium Eccleſiarum negando Tertiam Epiſcopis, ac olim fecerant Toletani concedendo Fundatoribus, ut baſilicarum ſatagerent, quas fundaverant. Cæterum quam prudentius reparationi Eccleſiarum conſultum fuerit concedendo Tertias Epiſcopis, quam negando, iidem Luſitani Patres oſtendunt, nam Eccleſias inopes in nuper recitato Canone miſericordiæ Epiſcoporum commendant: *Eccleſiæ tamen*, ajunt, *quæ mundiales res nullas habent, ſollicitudine, intentione, & diſpoſitione Epiſcopali (ut ratio permiſerit) habeant reparationem*. Quod ſane confugium non erat opus, ſi Tertiæ arbitrio Epiſcoporum relictæ erant, ut earum ſubſidio uterentur, ſi quando inopes reparari Eccleſias oportebat, quod fecit Concilium Toletanum IX. permittens Epiſcopo, ut Tertiam impenderet pro qualibet baſilicarum reparatione.

XIII. Talis enim erat ejus inſtitutio. Silentio præteriri non debet aliud Luſitanorum decretum de oblationibus fieri ſolitis per dies feſtos; nonnihil enim diſcrepat a Nationalis Concilii Toletani IV. Canone ſuperius laudato. *Conc. Tolet. IV. cap. 33.* In eo ſiquidem tripertita diviſio fieri præcipitur *juxta priorum autoritatem Conciliorum, tam de oblationibus, quam de decimis, tributis, ac frugibus*. Patres autem Emeritenſes quà prædictas oblationes, tripertito dividundas decernunt in Eccleſiis parochialibus, ut in Cathedralibus, Toletano Canoni minime adhærent. *Concil. Emerit. cap. 14.* *Statuimus*, inquiunt, *in noſtris Eccleſiis, vel Civitatibus hoc eſſe ſervandum, ut quidquid pecuniæ a fidelibus in Eccleſia fuerit oblatum, fideliter collectum maneat, & conſervatum, & fideliter Epiſcopo præſentetur; qualiter exinde tres partes fiant æquales, unam Epiſcopus habeat, & alteram Presbyteri & Diacones inibi deſervientes conſequantur, & inter ſe, ut dignitas & ordo popoſcerit, dividant: tertia vero Subdiaconibus, & Clericis tribuatur, ut a Primiclero, juxta quod in Officio eos præſcit eſſe intentos, ita ſingulis diſpenſetur. Similis forma & de Parochitanis presbyteris in Eccleſiis illis a Deo creditis erit ſervanda*. Hæc profecto, ad Parochiales Eccleſias quod

Digitized by Google

quod ſpectat, procedunt; nam quæ tertia pars Epiſcopo debebatur, tametſi alio Canone nuper recitato conſtituatur, ut penes presbyteros remaneat; in Eccleſiæ tamen inſtauratione impendi eam oportebat. Quod vero ad Cathedrales attinet, tripertita ea diviſione ſaginari videntur Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi & Clerici, quos inter dividebantur partes duæ æquales uni illi Epiſcoporum, inſtauratione Eccleſiæ prorſus neglecta: quum cæteroqui, ut Bracarenſi Canone ſumus edocti, pars unica inter omnem Clerum dividenda eſſet, duabus cæteris ad Epiſcopum, & ad Eccleſiam pertinentibus. Præterquamquod nova prorſus videtur diſciplina illa, qua Subdiaconi cum Clericis admiſcentur, ſubjiciunturque Primicerio; nova inquam in Hiſpaniis, ut conſtat ex ſuperius dictis de Subdiaconis. Immo Iſidorus inquiens: *Archidiaconus imperat Subdiaconibus*; Et: *Collectam pecuniam de communione ipſe accipit, & Epiſcopo defert, & Clericis partes proprias ipſe diſtribuit*, novitatem Luſitanæ diſciplinæ luculentiorem reddit; nam Primicerio Subdiaconos, & diſtributionem eripiens, affirmat, quod ad eumdem *pertinent Acolyti, & Exorciſtæ, Pſalmiſtæ, atque Lectores*. Itaque quodquumque hac de re ſuis in Eccleſiis ſervatum iri ſanxerunt Emeritenſes, neque ad reliquas Hiſpaniarum provincias transferri debet, quod recte iidem admonent, *ſtatuimus, in noſtris Eccleſiis, vel Civitatibus hoc eſſe ſervandum*; neque ullatenus lædit Tertiarum inſtitutionem pro inſtaurandis Eccleſiis laudabiliter factam, acerrime vindicatam, ac uſque ad invaſionem Mauricam conſtantiſſime in Nationali Concilio confirmatam; quod ſatis eſt pro re noſtra.

DISSERT. IV. CAP. VII.

S. Iſid. ep. ad Laudefr.

XIV. Quarta pars ad pauperes ſpectans includebatur in tertia Epiſc. & Cler.

Neminem latet, bona Eccleſiarum omnia in quatuor partes dividi conſueviſſe in Occidente ab antiquiſſima memoria, quamquam primum hujus rei decretum tribuatur Simplicio Papæ, quod poſtea confirmatum conſtat a Gelaſio. Quin etiam ignotum id partitionis genus non fuiſſe Hiſpanis teſtatur Codex Veterum Canonum qui habet: *Ut de redditibus Eccleſiæ, & oblatione fidelium quatuor portiones fieri debeant. Decretum Gelaſii generale tit. 29. cap. 84.* Nihilominus quum primam Collectionem Canonum habuerit Hiſpania eam, quam fecit Martinus Bracarenſis ex Orientis Conciliis, quæ hujuſmodi diviſionis nihil habent; eodemque Martino præſente, fortaſſe etiam ſuggerente, conſtituerit Bracarenſe Concilium I, tres faciendas eſſe portiones æquales, ut vidimus, deteſtata poſtmodum hæreſi totâ

Cod. Vet. Can. lib. 3. tit. 37.

DISSERT.IV. CAP. VII. Hiſpaniâ, ac ſubinde abrupto cum Romanis Pontificibus commercio, trina ea dimenſio invaluit, neque aliam ullam in antiquitate illius Eccleſiæ reperire eſt. Nec tamen propterea ſuam deſuiſſe partem pauperibus, quoniam ſiletur, quis putet. Epiſcopi enimvero, quorum in poteſtate omnia erant, quæ ad Eccleſiam pertinuerunt, idcirco tertiam partem ex Parochialibus etiam Eccleſiis colligebant inſtaurationis non indigentibus, non ut abundarent, pinguioreſque heredes relinquerent, quod Canonibus erat vetitum, ſed ut liberaliores in pauperes fierent, quorum curam iis incumbere, Officium Œconomi palam facit. Eapropter ex bonis Eccleſiæ aliquid non ſolum Clericis, ſed & laicis pauperibus, ſub præſtatione tradere conſueverunt, quod patet ex Concilio Toletano IX. *Si Sacerdos, vel Miniſter de rebus Eccleſiæ ſuæ quippiam alicui ſub præſtationis obtentu concedat, in ſerie inſtrumenti cauſam præſtiti evidenter exponat: ut ex hoc aut juſte confecta tranſactio innoteſcat, aut fraus incompetens, quæ latet, appareat. Aliter vero pro hujus negotii cauſa deinceps ſcriptura confecta non valeat.* Et Concilium Agathenſe, cujus Canones ſæpe occurrunt in Codice Hiſpano, decreverat aliquanto clarius: *Minuſculas vero res, aut Eccleſiæ minus utiles*, (puta terrulas ſeu agellos) *peregrinis vel Clericis, ſalvo jure Eccleſiæ, in uſum præſtari permittimus.* Nec prætermittenda mihi ſunt Nationalis Concilii Toletani quarti verba de eadem re, ut conſuetudo generalis Hiſpaniarum teneatur. *Si enim*, inquit, *Clericis, ſeu Monachis, vel peregrinis, aut quamlibet neceſſitatem ſuſtinentibus pro ſolo religionis intuitu in uſum res Eccleſiaſticæ largiuntur, quanto magis &c.* Itaque hac nova laude non pigeat proſequi Hiſpaniarum Epiſcopos, qui nimirum quæcumque Eccleſiæ bona, non in partes quatuor, ut reliquum Occidens, at in ſolas tres judicarunt dividenda, prætermiſſa ea, quæ erat in pauperes eroganda, ut ſubſidium abundantius ii acciperent ab Epiſcopis, & Clericis, qui ſcilicet norant Eccleſiæ bonorum ingenium. Idque tum quia eſt notiſſimum & nobis ſeris poſteris, tum quia a noſtro abhorret dicendi genere, haud videtur hîc explanandum; tametſi ſcriptorem integrum non dedeceat ſuadere, ut ſerio æſtimetur ab iis, quicumque ſuas opes patrimonio pauperum, ac pretio peccatorum ampliores redditas non ignorat.

Conc. Tolet. IX. cap. 3. — *Conc. Agath. c. 7* — *Conc. Tolet. IV. cap. 38.*

XV. Immunitas bonorum Eccleſiæ.

Catholici quidem Reges hujus rei naturam uſque adeo ſunt aſſequuti, ut Clerum omnem voluerint eſſe immunem ab inferendo

rendo in Regium ærarium ex Eccleſiaſticis ſuis redditibus quicquam. Extatque Nationalis Concilii decretum de eadem re valde perſpicuum. *Præcipiente*, ajunt Toletani Patres, *Domino noſtro, atque Excellentiſſimo Siſenando Rege, id conſtituit Sanctum Concilium, ut omnes ingenui Clerici pro officio religionis ab omni publica indictione atque labore habeantur immunes, ut liberi Deo ſerviant, nullaque præpediti neceſſitate ab Eccleſiaſticis officiis retrahantur*. Solos invenio Epiſcopos, exeunte ſeculo ſeptimo, ſuis Regibus contribuere aliquid conſueviſſe, quia ſcilicet fundi, poſſeſſioneſque Cathedralium eo uſque excreverant, ut pro patriæ, ac gentis incolumitate etiam Principi ſubminiſtranda non deeſſent. Nullum vero Canonem hac de re condiderunt, quia ſcilicet voluntate id, non jure faciendum norunt. Quod ſane conſtat ex Egicanis Regis petitione fruſtrata a Patribus Concilii Toletani XVI. quam hîc recitandam puto; inde enim multa ſuppetunt ad rem iſtam illuſtrandam: *Et hoc*, inquit, *honorificentia veſtra promulgare curabit, ut nemo Epiſcoporum pro Regiis inquiſitionibus exhibendis, Parochialium Eccleſiarum jura contingat, nec quaſcumque exinde inquiſitiones, aut erectiones exigere audeat; ſed de prædiis ſuarum Sedium Regio culmini ſolita perquiſitionum obſequia deferat, nihilque de rebus earumdem parochialium Eccleſiarum cauſa ſtipendii cujuſpiam dare præſumat. Quod ſi fecerit, duorum menſium ſpatio excommunicari ſe noverit*. Hinc non minus emicat Regia pietas, qua parochiales Eccleſiæ a contribuendo immunes declarantur, quam conſuetudo Hiſpana, qua ſcilicet Cathedrales Regi aliquid perſolvebant de Eccleſiæ bonis. Namque hic Egicanis amor in parochiales hauddubie originem duxerit ex Parochorum querelis renuentium ſubire onus contributionum: ac proinde petitio Regia non eſt de nova ferenda lege, ſed de moderanda exactionum conſuetudine, ita ut ſola Cathedralium prædia contributioni Regiæ eſſent obnoxia, quia nempe ampliora, atque opulentiora. Epiſcopi igitur, incertum quando cœperint, ſuo Principi contribuebant ſponte, nec ullum reperire erit decretum ab iiſdem factum ſive ante, ſive poſt Regiam hanc petitionem, quo Eccleſiarum prædia, antiquis Canonibus repugnantibus, tributorum oneri ſubjicerentur. *Audivimus*, ajebat Francorum Regibus Gregorius, *quia Eccleſiarum prædia tributa nunc præbeant: & magna ſuper hoc admiratione ſuſpendimur, ſi ab eis illicita quærantur accipi, quibus etiam licita relaxentur*: puta Im-

DISSERT. IV. CAP. VII.

Conc. Tolet. IV. cap. 47.

Conc. Tol. XVI. præf.

S. Gregor. Reg. lib. 7. Ind. 2. ep. 114.

Imperatorum legibus, qui certatim prædia Eccleſiarum a quocumque onere immunia eſſe voluerunt, ut nuper vidimus feciſſe Siſenandum in Hiſpaniis. Quamobrem tota erraret via, qui ſpontaneas illas Hiſpanorum Præſulum donationes in jus vocaret: ac proinde eum opinio falleret, qui Principum potius largitati adſcriberet prædiorum, quæ donabantur Eccleſiis, quocumque ab onere ſolutionem; quam privilegio natura indito iiſdem prædiis. Donationes ſiquidem Regi ab Epiſcopis factas ſemper, & ubique invenias, ubi de incolumitate regni res fuit; numquam vero Eccleſiarum privilegia a piis Principibus violata occurrent. Exempla certe non deſunt eorum qui ſecus ſe geſſerint: at putas impune? Sit tibi inſtar omnium Egicanis ipſius filius Witiza, cujus uſurpationes & Eccleſiæ, & Regni excidium pepererunt. Quapropter Egicanis pietas dum parochiales Eccleſias onere allevavit, æquitatis plena fuiſſe dicenda eſt: ſecus de petitione ab eodem facta Epiſcopis, pronunciandum: Epiſcopi vero ipſi nec decernentes juxta Regiam voluntatem, neque a priſca reſilientes conſuetudine, ſummis ſunt laudibus efferendi.

XVI. *Immunitas Eccleſ. & Epiſcoporum autoritas in reos mortis.*

Ecquis autem Catholicos Reges Witizæ Prædeceſſores appellare auſit minus reverentes in ſacroſanctas Eccleſias, earumque Antiſtites: dum ex adverſo longe aliis Principibus liberaliores ſeſe ſemper oſtenderunt in protendenda ſacrarum Ædium veneratione, atque autoritate Epiſcoporum amplificanda? Audiatur Concilium Nationale de immunitate Eccleſiæ: *Pro his, qui quolibet motu, vel terrore Eccleſiam appetunt, conſentiente pariter, & jubente glorioſiſſimo Domino noſtro Ervigio Rege, hoc Sanctum Concilium definivit, ut nullus audeat confugientes ad Eccleſiam vel reſidentes inde abſtrahere, aut quodcumque nocibilitatis, vel damni, ſeu ſpolii reſidentibus in loco ſancto inferre: ſed eſſe potius his ipſis, qui Eccleſiam petunt, per omnia licitum in triginta paſſibus ab Eccleſiæ janius progredi: in quibus triginta paſſibus uniuſcujuſque Eccleſiæ, in toto circuitu reverentia defendetur: ſic tamen ut hi qui ad eam confugiunt, in extraneis, vel longe ſeparatis ab Eccleſia domibus non obcelentur. Sed in hoc triginta paſſuum numero, abſque domorum extranearum receptaculis progrediendi aditum: qualiter & requiſitæ naturæ uſum debitis expleant locis: & nullo teneantur eventu neceſſitudinis, qui dominicis ſe defendendos commiſerint clauſtris*. Concinunt cum hoc decreto aliquot legis Wiſigothorum

Conc. Tol. XII. cap. 10.

Leg. Vviſig. l. 6. t. 4. c. 16. l. 9. t. 3

rum capita, quæ ne homicidas quidem abſtrahi de Eccleſia permittunt, niſi Epiſcoporum accedat conſenſus, præeatque ſacramentum de non afficiendo reo publica mortis pœna. Tanta erat Gothorum Regum reverentia erga Eccleſias, & Epiſcopos! Quin etiam iiſdem Epiſcopis perduellium cauſæ committebantur a Rege, quarum ipſi judices fieri noluerunt, niſi pari Rex ſacramento ſe obſtringeret. *Sæpe Principes*, en Concilii alîus Nationalis verba, *contra quoslibet Majeſtatis obnoxios Sacerdotibus negotia ſua committunt: Et quia ſacerdotes a Chriſto ad miniſterium ſalutis electi ſunt, ibi conſentiant Regibus fieri judices, ubi jurejurando ſupplicii indulgentia promittitur, non ubi diſcriminis ſententia præparatur*. Quo autem loco maxima hæc veneratio habenda erat, ſi & Eccleſiarum prædia, & iidem Epiſcopi ad publicum tributum perſolvendum adacti eſſent? Huc accedit, quod Nationale idem Concilium, Rege Siſenando jubente, omnem Clerum a quovis tributi genere exemerat, ut nuper vidimus. Quamobrem conſuetudo illa, quæ Egicanis tempore irrepſerat, prorſus alia a cæterarum gentium, præter Francos, conſuetudine, nonniſi ſponte contribuentes Epiſcopos mihi videtur innuere, quemadmodum fieri conſtat noſtra ætate ab Epiſcopis Franciæ. Cæterum qui ad Chriſti Domini inter homines peregrinantis exemplum confugiunt, qui & ſolvendum eſſe tributum Cæſari dixit, & ipſe quoddam ſolvit per ſuum Vicarium Petrum, ab Eccleſia nimis remotum argumentum petunt. Deſcendant, oro, ad eamdem ſuper Petrum fundatam, commiſſamque Apoſtolis; ſenſim coaleſcentem conſiderent, invitis Principibus; ac demum iiſdem adnitentibus magno ubique auctam incremento. Oblationes certe fidelium ab ipſis Apoſtolorum temporibus fieri cœptas inter Eccleſiam, quæ tunc erat, dividi comperient; reſpirante Eccleſia, jamque longe lateque diffuſa & oblationes numero plures, & donationes fundorum, largitioneſque immenſas Baſilicis pro Dei cultu erectis perpetuo adjudicatas ab ipſis Principibus invenient; ac demum legibus tum civilibus, tum Eccleſiaſticis ſtabilitum deprehendent, quod bona Eccleſiarum, velint nolint, earumdem Eccleſiarum, Epiſcoporum, Cleri, pauperum patrimonium ſunt. Inde autem rectius ac verius argumentum ducent, quod patrimonium iſtud non mutavit ingenium, ideoque nullum Principum, nullumque aliorum jus alio nititur fundamento, quam privilegio Romani Pontificis juxta novam diſciplinam, aut voluntaria Epiſcoporum do-

DISSERT. IV. CAP. VII.

Conc. Tolet. IV. cap. 31.

DISSERT.IV. CAP.VII. donatione, juxta veterem, pro rerum ac temporum neceſſitate.

XVII. Decreta adverſus Simoniacos. Novam, inquam, diſciplinam, quam vices bonorum Eccleſiæ peperere. Sequioribus enim ſeculis tot invaſiones, pravæque tot conſuetudines in Occidente invaluerunt, deſidia præſertim Epiſcoporum, ut Romani Pontifices Eccleſiarum juribus inſtaurandis plurimum inſudarint, nec niſi aliqua ad S. Sedem revocando, nonnulla Principibus concedendo, ac ſubjectiores quodammodo Epiſcopos S. Petro, ſibique ejus Succeſſoribus reddendo reſtituerint rem. Gemebat tunc temporis Hiſpania ſub Saracenorum jugo, quumque emerſit, obtinentem ubique hanc novam diſciplinam invenit. Multi nihilominus Hiſpaniarum Epiſcopi, antequam Eccleſia illa peſſum iret, peccare illa cœperant, quæ Romanos Pontifices ad id compulerunt. Præ aliis vitiis ſimoniam id eviciſſe ignorat nemo. Hanc vero paulatim in Hiſpaniis gliſcentem fuiſſe cohibitam a Concilio Toletano IX. admonemur ejus decreto. *Multa*, ait, *ſuper hoc Capitulo Patrum ſententiæ manaverunt; ſcilicet ne inappretiabilem Sancti Spiritus gratiam donis, vel muneribus quis exiſtimet comparandam. Sed (quod non ſine gravi dolore dicendum eſt) quanto hac res frequenti decretorum eſt præceptione probibita, tanto nobis fraudibus cognoſcitur iterata: dum hi qui tali pretio mercari nituntur gratiam Spiritus Sancti, aut ordinationis, ſeu tempora præveniunt munere; aut poſt acceptum honorem, promiſſam ſuis conferunt apparitoribus turpis lucri mercedem. Et ideo ut horum, & ſimilium argumentorum deinceps amputetur occaſio, hoc Sancta Synodus definivit: ut quum quiſque pontificale culmen ante Domini altare percepturus acceſſerit, ſacramenti ſe taxatione adſtringat, quod pro conferenda ſibi taxatione honoris, nulli perſonæ cujuslibet præmii collationem vel jam dediſſet, vel aliquando ad futurum dare procuret*. Simile habetur decretum in Concilio Bracarenſi III. quod Concilii Chalcedonenſis Canonem renovat: *Quia neceſſe eſt*, inquit, *ut frequentius retundatur, quod ſine intermiſſione præſumitur*. Unde patet, quod non minus in Bracarenſi, quam in Toletana provincia Simoniæ vitium extirpatum non fuerat a Nationali Concilio multos ante annos celebrato. Canonem ipſum recitabo: plurimum enim refert Apoſtolicæ Sedis narrare cauſas, quæ illam ad novæ inſtitutionem diſciplinæ impulerunt. *Sæpe*, ait, *pullulantia pravitatis germina, licet ſæpiſſime Patrum juſta noverimus ſeverita-*

Conc. Tolet. IX. cap. 9.

Conc. Brac. III cap. 8.

Conc. Tolet. VI. cap. 4.

te

te damnata, quia tamen crebris conſpiciuntur denuo vigere radicibus, juſtitiæ acriore vigore radicitus amputare ſancimus. Proinde quicumque Simonis imitator ſimoniacæ quoque hæreſis extiterit ſectator, & Eccleſiaſticorum ordinum gradus non dignitate morum obtineat, ſed munerum impenſione conquirat, & per oblata munera capiat, quibus hunc nec rationis ordo, nec dignitas morum ulla commendat, talis inventus ſacrorum ordinum apices penitus adipiſci nullo modo permittatur: ſed etſi adeptus fuerit, communione privatus cum ordinatoribus ſuis propriorum bonorum amiſſione damnetur. Quod ſi in Hiſpaniis nec cognitio omnium Canonum, neque Conciliorum tum nationalium, tum provincialium frequentia, nec ſumma Regum pietas, nec Metropolitarum aſſidua vigilantia fuerunt ſatis ad extirpandum ſimoniæ vitium, quia Romani Pontificis autoritas illic ſilebat, judicet nunc æquus rerum æſtimator, quam ſapienter excogitarit S. Sedes rationem ſuo jure utendi in quibuſcumque Eccleſiæ provinciis, juxta eam diſciplinam, quæ tot ſeculis viguit, noſtraque ætate obtinet, de qua non eſt hic diſputandi locus. DISSERT. IV. CAP. VII.

Multa hoc capite congeſſi de conditione Eccleſiæ rerum in Hiſpaniis. Nec tamen dixi omnia, quæ per ocium legi poſſunt in Conciliis Hiſpanis: mea enim parum interfuit minutam aggredi narrationem quarumcumque appendicularum, actiuncularumque ad ſpiſſi confectionem voluminis aptiorem, quam ad rei ſummam. Colligam nunc quæ ſatis fuſe ſunt diſputata, ut ſint clariora. Ante octavum ſeculum, quum Saraceni invaſerunt Hiſpanias, rudimenta potius beneficiorum quam vera beneficia inveniuntur. Ea ex fundis, prædiiſque a Fidelibus donatis Eccleſiæ pro animarum redemtione orta ſunt, tenuiſſima quidem, vixque alendis beneficiatis paria: quicquid agricultura, & ſedulitate Clericorum meliorabantur, in Eccleſiæ utilitatem cedebat, ad quam redibant poſt eorum mortem. Parochialibus Eccleſiis, & Monaſteriis, quæ ex Cathedrali ſua donabat Epiſcopus, perpetuo adjudicabantur. Fundatoribus Eccleſiarum nullum omnino jus remanebat ſeu in fundationes ipſas, ſeu in quaſvis largitiones Eccleſiæ factas, nam omnia in jus tranſibant Eccleſiæ, vel ſi Epiſcopo ſpecialiter donarentur. Epiſcopi ipſi non tanquam Domini, ſed tanquam Commendatarii, & Diſpenſatores bonorum Eccleſiæ habebantur. Tota Hiſpania tripertito eadem dividebantur: pars una Epiſcopo; altera Clero; tertia inſtaurationi Eccleſiarum deſtinata erat. Hinc Tertiæ apud XVIII. Epilogus dictorum hoc capite.

DISSERT. IV. CAP. VII. apud Hiſpanos celebres loco quadripartitæ diviſionis, quæ toto in Occidente obtinuit. Hæc diſciplina erat Hiſpaniarum in re beneficiaria per ſeculum ſeptimum, quam niſi Saracenica irruptio peſſum dediſſet, corrumpi jam cœptam Simonia, aliiſque Clericorum vitiis, firmari oportuiſſet a Romano Pontifice, quumprimum concordia Principum, omniumque interrupti commercii cauſarum finis Sanctæ Sedi vindicaſſent jus ſuum. Id evenit jacente ſub jugo Saracenorum Hiſpania, quæ demum aliquando emerſit ſtabiliori, ac minus obnoxia vitiis diſciplina ubique obtinente.

CAPUT VIII.

De Primatu Eccleſiæ Toletanæ.

I. Primatus Toletanus poſt expulſos Mauros ignotus.

HANC de Eccleſia Hiſpana diſſertationem abſolvet Primatus Eccleſiæ Toletanæ, de quo tam multa, & tam varia in utramque partem ſunt diſputata, ut eruditis in mentem venerit cimmerias inter tenebras Eccleſiæ illius gloriam deſerere. Præ aliis Archiepiſcopus Pariſienſis totus in aſſerendo Lugdunenſi Primatu, Toletano illudit, negatque aperte hujuſmodi honorem Eccleſiæ iſti inter Hiſpanas præcipuæ & Regum ſede, & Nationalium Conciliorum celebratione, & ordinatione Epiſcoporum tota Hiſpania, & aliis prærogativis, quas infra recenſeam ſingulas. Itaque operæ pretium facturus mihi eſſe videor, ſi hujus quæſtionis finem afferam perſpicue, breviterque aſſerendo hunc Primatum, ejuſque originem, & conditionem detegendo. Quod antequam facio, Primatus ejuſdem inſtaurationem ab Urbano II. factam undecimo ſeculo inclinante, id eſt anno 1088. poſtquam Alfonſi Catholici Regis virtute barbaris erepta eſt Regia urbs Toletum, memoria repetendam puto. Rex idem Alfonſus aliorum Principum mores imitatus, juxta eam, quæ tunc temporis ubique obtinebat, diſciplinam, Toletani Archiepiſcopi dignitatem, atque autoritatem a Romano Pontifice per Sacri Pallii traditionem petiit confirmari. Pontifex vero exultans gaudio ob inſignem de Saracenis victoriam reportatam, ſuorumque veſtigiis Prædeceſſorum inhærens, continuo ſacrum id indumentum Bernardo Toletano Præſuli electo tranſmiſit. *Urb. II. Bulla.* *Tum benevolentia*, inquiens, *Romanenſis Eccleſiæ ſolita, & digna Toletanenſis Eccleſiæ reverentia; tum cariſſimi filii noſtri*

noſtri præſtantiſſimi Regis Ildefonſi precibus invitati, Pallium DISSERT. IV. *tibi Frater Venerabilis Bernarde, ex Apoſtolorum Petri, & Pauli benedictione contradimus: plenitudinem ſcilicet ſacerdotalis dignitatis*. Hactenus nihil novi: quin omnia reſpondent diſciplinæ jampridem inſtitutæ, de qua octavum etiam Concilium generale, perſpicue loquitur: *Univerſorum Metropolitanorum, qui ab ipſis* (Patriarchis) *promoventur, & ſive per manus impoſitionem, ſive per Palli dationem Epiſcopalis dignitatis firmitatem accipiunt, habeant poteſtatem, videlicet ad convocandum &c.* & liber diurnus Pontificum documenta ipſa ſuppeditat tum traditi, tum accepti ſacri hujus Pallii, de quo peculiarem diſſertationem infra habes, unde ejus diſciplinam tum veterem, tum novam, ſi Deo placet, firmam & certam intelligas. Quidquid novi affert Urbani Diploma, ſunt quæ ſtatim proſequitur: *Teque, ſicut ejuſdem Urbis antiquitus conſtat extitiſſe Pontifices, in totis Hiſpaniarum Regnis Primatem, privilegii noſtri ſanctione ſtatuimus*. Novi, inquam; nam Metropolitarum Tarraconenſis, & Narbonenſis Primati olim Toletano ſubjectorum alia conditio erat, quum Toletum e Saracenorum tyrannide eſt ereptum. Bracarenſis pariter Metropolitæ poſtmodum emergentis cauſas ſimiles cum Tarraconenſi negotii aliquid faceſſiſſe huic Primatui non eſt ignotum. Denique & duas reliquas Metropoles aut palam, aut clanculum imitatas eſſe aliarum exemplum, latet omnino neminem. Id quo jure fecerint, demonſtrandum breviter mihi eſt: deinde Primatus antiquus Toletanus declarandus; ac poſtremo illius inſtauratio, ſeu potius nova inſtitutio, aperienda.

CAP. VIII.

Conc. Gen. VIII. cap. 17.

II. *Metropolita Narbonēſis Primatum detrectat jure.*

Qui Metropolitarum omnium primus cum Romano Pontifice Urbano queſtus eſt tam effuſam Toletani Præſulis poteſtatem, is eſt Narbonenſis. Dolebat ſcilicet hic Archiepiſcopus ex ſua juriſdictione eripi Tarraconenſis provinciæ Epiſcopos, qui annis fere quadringentis ſibi morem geſſerant. Hanc ſiquidem Hiſpanam provinciam Narbonenſi finitimam adverſus invaſores Mauros Franci Reges defenderant, plurimique fuſione ſanguinis ſuſtinuerant, itaque ejuſdem Sedes Epiſcopales incolumes, exciſa præſertim Metropoli Tarracone, alii non paruerunt Metropolitæ, quam Narbonenſi. Latet profecto eruditorum neminem, quod nova hæc Narbonenſis jura nullo hærent fundamento, præter excidium, vaſtitatemque Metropolis Tarraconenſis, quam ſerius ocyus in-

DISSERT. IV. CAP. VIII. inſtauratam Comprovincialibus Epiſcopis legem dare oportuit. Ipſam nihilominus Narbonenſem Metropolim ſubjici jam tum Primati Toletano haud potuiſſe, ut olim ſubjiciebatur, dum Monarchiæ Hiſpanæ pars erat, abunde docet hiſtoria. Et vero, quum de Gallicanis Eccleſiaſticis provinciis inſtaurandis res fuit Romæ inter Adrianum I. Summum Pontificem, & Carolum Franciæ Regem, exeunte octavo ſeculo, centum fere annis poſt Mauricam invaſionem, Pontifex dedit Carolo Indiculum Metropoleon omnium; ſediumque Epiſcopalium ſingulis ſubjectarum, in quo ita legitur: *Provincia Narbonenſium prima Civitates numero VIII. Metropolis Civitas Narbonenſium. Civitas Toloſacum. Civitas Agatenſium. Civitas Betervenſium. Civitas Magalonenſium. Civitas Lutevenſium. Civitas Uſiacenſium.* Extatque hic indiculus, ſeu notitia in Vaticano Cod. MS. an. 1338. qui a Schelestratio editus, ſic inſcribitur: *Iſte codex eſt ſcriptus de illo authentico, quem Domnus Adrianus Apoſtolicus dedit glorioſiſſimo Carolo Regi Francorum, & Longobardorum, ac Patricio Romanorum, quando fuit Romæ.* Quo quidem teſte integrior nullus afferri poteſt. Itaque Narbonenſis provincia juris erat Francorum Regum jam inde a Monarchiæ Gothorum diſſolutione, quemadmodum Gallicanas inter provincias ſub imperio Romanorum recenſebatur; nec moris erat Romani Pontificis, alterius regni provincias, niſi urgente neceſſitate, Primati alicui, aut Vicario ſubjicere. Quamobrem Toletanus inſtaurari Primatus non poterat, æque ac olim fuerat, conditione rerum id prohibente. Huc accedit, quod alia tunc temporis diſciplina in Galliis invaluerat: nam Metropolitæ omnes S. Bonifacii Moguntini opera confirmari cœperant S. Pallii traditione a Romano Pontifice, quod novum ſane impedimentum fuit, quin Toletanus Primatus antiquus inſtauraretur, cum omnibus iis privilegiis, quæ partim neceſſitate rerum, partim Principum voluntate conglomerata erant in ea Sede, conniventibus fortaſſe Romanis Pontificibus, ſua certe confirmatione tantum uni Metropolitæ in provincias omnes non tribuentibus. Hinc etiam eſt, quod ejus dignitatis inſtaurator Urbanus novam Primatui acceſſionem fieri voluit, Vicariatum nempe Apoſtolicum, qui ſolos agnoſcit limites, quos Romanus Pontifex ei præſcribit. Toletani autem Primatis poteſtatem in Narbonenſis etiam provinciæ Epiſcopos Urbanus effudit: *Ei noſtræ ſollicitudinis vices in Hiſpania univerſa, & Narbonorum provincia miniſtrandas injunximus*, ajebat Tarraconenſi Metropolitæ. Mul-

Antiq. Eccleſ. to. 2. p. 643.

Urb. II. ep. in Collect. Concil. to. x. pag. 459.

III. Tarraconenſis item Metropolita Primati ſub eſſe recuſat, nullo jure.

Multa ex Urbani literis hac de re Lectori ſuppetent, quæ, ne ab inſtituto disjungar, prætermitto. Id tantum inde eruo, quod niſi difficultates rerum tot ſpatio annorum jus aliquod tribuiſſent Narbonenſi Metropolitæ in provinciæ Tarraconenſis Epiſcopos, exciſæ præſertim Metropolis conditio, quæ Auſonenſi Eccleſiæ unita fuerat; Romanus plane Pontifex juris nihil tribuiſſet Toletano Primati in Gallicanam eam provinciam. Et ſane poſt triennium ab inſtauratione Primatus nullo jure motum eſſe Narbonenſem intelligens, Tarraconenſem Metropolim reſtitutam priſcis privilegiis ornavit, ſubduxitque Metropoliticæ Narbonis autoritati; nec deinde actum invenio amplius de Narbonenſis ſubordinatione, quæ, ut plurimum, uſque ad Bernardi Primatis mortem perſeveravit, juxta perſonalem Vicariatus conditionem. Secus ſane futurum erat de jurisdictione Toletani Primatis in provinciam Tarraconenſem; nam, ut infra erit evidens, non modo Tarraconenſis Gothorum tempore una cum reliquis Hiſpaniarum & Galliæ Metropolitis, morem geſſerat Toletano, tanquam Primati, ſalvis juribus Metropoliticis; verum etiam Hiſpana provincia erat Tarraco, &, quod majus, in ruinis jacens ejus Metropolis, inſtaurato jam Primatu, honorem priſtinum adepta eſt. Suæ nihilominus cauſæ præſto ſibi eſſe videbantur Metropolitæ iſti, cur detrectaret Primatum, nam alienæ ditionis erat, quod civilem ſpectat adminiſtrationem; nec facile induci poterat, ut Regni alius Primati ſubjiceretur, quem præterea recens inſtitutum eſſe putabat, nulla antiquæ dignitatis memoria apud eum exiſtente. Eadem vero ex ignoratione Primatus priſci ortæ ſunt controverſiæ omnes tam vehementes, ac tam diuturnæ, quæ ſæpe Toletano Primatui diem dixerunt, vixque, adnitentibus Catholicis Regibus, quieviſſe ad tempus eas liquet; ita ut noſtro etiam ævo cecinerit claſſicum Metropolis Hiſpalenſis eripiendi animo dignitatem Primatus Toletanæ, ſibique præter jus omne aſſerendi. Memoriale ſcilicet ſcriptum ab Anonymo, Eccleſiæ Hiſpalenſis nomine, ſpecioſis oppletum argumentis, criminationibuſque perinde acutis, ac juſtitiæ omnis vacuis; necnon ſubmiſſæ ab eodem in publicam lucem ſcriptiunculæ ejuſdem furfuris, adverſus vindicias Toletani Primatus, quæ (quantæ quantæ ſint, inhærent jure optimo) me vehementiſſime commoverunt, ut hanc de Eccleſiæ Hiſpanæ antiquitate diſſertationem non conficerem abſque integra Toletani antiqui Primatus demonſtratione, quod

P. Cañas Mem. de la Igleſia de Sevilla.

Aa 2 mox

mox faciam. Eo autem in Memoriali Anonymi illud præſertim meas offendit aures, quod nec pro Apoſtolicæ Sedis reverentia, nec pro Alfonſi Regis, ac Primatis Bernardi dignitate loquens, obreptum fuiſſe contendit Romano Pontifici Urbano, hujuſque conceſſionem, ſeu privilegium ſequutos Succeſſores inexploratam rem ſuis Diplomatibus confirmaſſe, reclamantibus ſemper Metropolitis aliis; ita ut pacifice numquam tali uſi ſint privilegio Toletani Præſules, ſed Regia ſemper autoritate honorem hujuſmodi ſibi aſſerere neceſſe habuerint. Hanc equidem diſputationis partem prætermittam, quippe quam neque ulli ignotam, nec rei neceſſariam eſſe puto: dicam tamen de Primatu antiquo tam perſpicue, tam evidenter; ut neque Tarraconenſem, neque alium ullum Metropolitam Hiſpaniæ ullo jure uſum eſſe oſtendam, quum Toletanum Primatum detrectavit.

IV. Bracarenſis itē Metropolis nullo jure utitur. Vaſ. Chron. c. 12.

Aliquanto firmiori dici poſſet ratione innixus eſſe Metropolita Bracarenſis, ſi conſtarent quæ de hac ſede affirmat Vaſæus in ſuo Chronico; ait enim, primam omnium Metropoleon *a Mahumetiſtarum tyrannide liberatam* eſſe. Secus autem docet ſcriptor æqualis eorum temporum Bernardus B. Geraldi Bracarenſis Archiepiſcopi diſcipulus, cui fides haud dubie major eſt adhibenda, quam Vaſæo. Verba ejus ſunt, apud Franciſcum Pagium in breviario Romanorum Pontificum: *Ut B. Geraldus ſedi Bracarenſi propriam dignitatem reſtitueret, Romam petiit, & a Domino Papa Paſchali honorifice ſuſceptus, Pallium, & privilegium, & autoritatem Eccleſiæ ſuæ inde aſportavit. In Concilio enim Palentino, quod Vener. Richardus Romæ Cardinalis celebravit, Epiſcopis & Abbatibus, & optimis Clericis Hiſpaniæ circumſedentibus Romanum privilegium in auribus omnium recitatum eſt; & juxta tenorem ipſius privilegii Bracaræ Metropolis ſuffraganei Pontifices Ven. Geraldo Bracarenſi Metropolitano, juſtitia dictante, & Cardinali præcipiente obedientiam, & reverentiam promiſerunt.* Firmiori inquam ratione, quam cæteræ Hiſpaniarum Metropoles, reſtitutæ poſt confirmatum a S. Sede Toletanum Primatum. Quæ enim ſedes Dei optimi beneficio Arianam hæreſim olim deteſtata in regno Suevorum, dum reliqua Hiſpania Arianis Gothis obtemperabat, jus aliquod in Metropolim Lucenſem habuerat, ſi Toletanam pari modo præveniſſet excutiendo jugo Saracenorum; ea ſin minus autoritate, antiquitate ſaltem cum ea Metropoli digladiata eſſet. Quid vero? Et Vaſæi affirmata pugnant

Pag. in V. Paſchalis II. n. 52.

cum

cum antiqua hiſtoria, ut vidimus, & Bracarenſium poſteriora DISSERT. IV.
omnia argumenta (quæ tamen intacta relinquam) ex octavi CAP. VIII.
nonique ſeculi figmentis deducta ſunt. Quamobrem tum Metropolitæ iſti, tum Tarraconenſi nulla omnino adfuit cauſa, cur Toletanum Primatum a S. Sede inſtauratum averſarentur. Ratio illa una utrique ſuccurriſſet, quæ a Narbonenſi eſt habita; alienæ nimirum ditionis eſſe: eratque ea ſatis ad rejiciendam, Romano Pontifice ſic jubente, Toletani Primatis autoritatem. Quam ſiquidem rationem, quia neuter habuit, Primatus idem, quantalibet autoritate ſit, tum a multis Pontificibus confirmatus, dum variæ in Hiſpaniis dominationes erant, tum poſtea interrupta nunquam poſſeſſione retentus ad noſtram uſque ætatem, nequicquam ſe torquent qui ægre illum ferunt, Toleti vere eſt, ut olim fuit, conditione licet diverſus, quod utique oſtendam, ubi de antiquo aliquantulum diſputavero.

V.
De Tolet. Primatu hactenus diſputatum eſt longe a recto, & æquo.

Qui de Primatu iſto Toletano ante Saracenicam invaſionem tam multa congeſſerunt ſcriptitando, ii profecto mihi videntur a recto tramite aberraſſe. Prætereo illos, qui ab inani Eccleſiæ fundatione originem ejus ducunt, nullo enim loco mihi ſunt. Mitto etiam alios, qui poteſtatis exercitium ipſum illud quærunt Gothorum ævo, quod ſuis temporibus obtinere norunt; non enim pluris facio eos, qui veterem diſciplinam cum nova miſcent, quam qui omnes Eccleſiæ rerum eventus uno metiuntur modulo, ſive, ut paucis multa complectar, maxima in Eccleſiaſticæ hiſtoriæ ignoratione verſantur. De iis dumtaxat loquar, qui Apoſtolicum Vicariatum, & Primatum unam eamdemque rem eſſe autumantes, deſultorium in Hiſpaniis Primatum cudunt, eumque de una in aliam ſedem tranſmoventes, ne rem quovis deſtitutam adminiculo affirment, Diplomata excogitant Pontificia, quo maxime tempore Hiſpanos inter, & Romanos nullum erat commercium. Quumque horum ex numero eruditos aliquot recentiores ſeligendos duxerim, quorum ſententias redegi in ordinem, ubi de Vicariatu fuit ſermo, reliquum mihi eſt, ut nullis altercationum nebulis involutum proferam Primatum Toletanum. Quod ut fiat apertius, memoria oportet repeti, quæ ſuperius allata ſunt de Orientalis Eccleſiæ Patriarchis, atque Exarchis, necnon de Vicariatu Illyrici, quos ſolos ajebam recenſeri a S. Leone Magno, ubi Anaſtaſio *S. Leo ep. 84. cap. 11.*
Theſſalonicenſi ſuo per Illyricum Vicario proviſum eſſe dixit, ut in Eccleſia aliqui Epiſcopi autoritate Metropolitis anteirent, ne

omnes

DISSERT. IV. CAP. VIII. omnes omnia ſibi uſurparent, ſed: *Quidam*, inquit, *in majoribus urbibus conſtituti, ſollicitudinem ſuſciperent ampliorem, per quos ad unam Petri ſedem univerſalis Eccleſiæ cura conflueret, & nihil uſquam a ſuo capite diſſideret.* Nec de Patriarchis quidem omnibus loquutum eſſe Pontificem, Conſtantinopolitano, & Hieroſolymitano hauddum ſtabilitis, novimus: quorum unius, nempe Conſtantinopolitani originem ſerio animadverti cupio; cum Toletani enim Primatus origine valde conjuncta eſt. Ibidem quoque indicavimus, Vicariatum Arelatenſem, perſonalem ſcilicet dignitatem, tunc ſilere, atque Carthaginenſem Primatum peſſum iviſſe; ita ut toto quam longe lateque patebat Occidente, præter Romanum Pontificem illius Patriarcham, omnino nullus eſſet Epiſcopus, qui autoritate Metropolitis anteiret.. Carthaginenſem nihilominus Primatum, tunc licet exciſum, ac poſtmodo ad momentum excitatum, perinde ac Patriarchatum Conſtantinopoleos conſiderari velim, ejus quippe conditio, & natura mirum in modum exprimit Toletanum, de quo ſermo eſt. Minus igitur a recto, & æquo aberraturum me eſſe puto, ſi Conſtantinopoleos Patriarchatus originem, & Primatus Carthaginenſis Africæ conditionem, & naturam propoſuero; quippe inde Toletanus Primatus exprimitur.

VI. Origo Patriarchatus Conſtantinopoleos. Tres ſolas eſſe Patriarchales ſedes a D. Petro Apoſtolorum Principe, & Eccleſiæ univerſalis moderatore inſtitutas, Romam, Alexandriam, Antiochiam, tam certum eſt, quam quod maxime. Eos vero, qui in iis ſedebant Præſules apud omnem antiquitatem Primates audiviſſe teſtatur Nicænum Concilium, qua Patriarchæ Alexandrini autoritatem vindicat, exemplo utens Patriarchæ Romani, eaque occaſione oblata, & Antiocheni meminit. *Antiqua*, inquit, *conſuetudo ſervetur per Ægyptum, Lybiam, & Pentapolim; ita ut Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem: quia & urbis Romanæ Epiſcopo parilis mos eſt. Similiter autem, & apud Antiochiam, ceteraſque provincias ſuis privilegia ſerventur Eccleſiis*; Epheſinæ videlicet, Heracleenſi, & Cæſarienſi, quibus Autocephalæ Diœceſes Aſia, Thracia, Pontus ſubdebantur, quod liquet. Poſt Concilii autem Nicæni tempora, & Conſtantinopolim, & Jeroſolymas Patriarchalem ad honorem evectas eſſe hiſtoriam omnem habemus teſtem. Et quidem Cpolis, cujus urbis cauſam agimus, anno Chriſti 381. prima ſuæ gloriæ jecit fundamenta in Concilio inibi celebrato: *Conſtantinop. civitatis Epi-*

Concil. Nicæn. can. 6.

Conc. Cp. I. c. 3.

Epiſcopum habere oportet primatus honorem poſt Romanum Epiſcopum, propterea quod ſit nova Roma. Quam minimi in Occidente ponderis hic aliique hujus Concilii canones fuerint, qua res novas in Eccleſiæ diſpoſitionem invehere conabantur Cpolitanus, aliique orientis Præſules, compertum eſt: conſtat pariter, quod eadem ſemper urgentes illi Epiſcopi plus æquo ſibi tribui evicerunt in Concilio Chalcedonenſi: ac demum certo certius eſt, quod tanta moliti ſunt ambitioſiſſimi illi Epiſcopi, ut non modo uſurpata a ſuis Prædeceſſoribus ſibi aſſererent, ſed etiam nova ſemper ambirent; ita ut Patriarchatus nomen, & honorem, quin etiam prærogativam ſuper Patriarchis Alexandrino, & Antiocheno eripuerit illis nemo Romanorum Pontificum, modo inſolentiæ finem afferrent. Quam rem quum minime obtinuiſſent tot Romani Pontifices, præſertim S. Gregorius Magnus admirabili illa humilitate, qua ſe ſervum ſervorum Dei appellavit, ad infringendam Joannis Jejunatoris audaciam, divinitus factum fuit, ut Orientis Eccleſias a Romana perpetuum ſchiſma disjungeret. Is fuit interitus Patriarchatus Conſtantinopolitani, cujus nos ſpectamus originem. Cæterum nec S. Sedis interceſſio tam in Conſtantinopolitano, quam in Chalcedonenſi Concilio, nec creberrimæ vehementiſſimæque admonitiones a Petri ſucceſſoribus eo miſſæ, ad rem noſtram faciunt. Id tantummodo animadverti debet, quod Byzantium urbs humilis Thraciarum provinciæ primæ, cui antiquitas fecit nomen Europa, antequam ſedes imperii fieret, ſuum habebat Epiſcopum Heracleenſis Antiſtitis ſuffraganeum: poſtea vero Conſtantinopolis & nova Roma appellata, Epiſcopis, atque Impetatoribus adnitentibus, Patriarchalem honorem adepta eſt. Quem quidem honorem ultra æquitatis limites prætervectum diu averſati ſunt Romani Pontifices; ſumma nihilominus moderatione illo utentibus novis hiſce Patriarchis non modo conniverunt iidem Pontifices, ſed & agnoverunt Patriarchatum inſcia S. Sede erectum, nulloque jure veris Patriarchatibus prælatum: noſtroque ævo diligentiſſime conſervari hunc honorem Romæ ipſis oculis cernimus.

VII. Ejus conditio ſeculo decimotertio.

Hiſce autem de Patriarchis, qui Romæ ſibi ſuccedunt, notandum venit, quod ubi per ſacras expeditiones licuit Conſtantinopolitanum Patriarcham creare poſt longum ſchiſma, diſciplina illa vetus exciderat, nec Romani Pontifices neceſſe habebant amplius conſuetudines tolerare in Eccleſiis longe diſſitis, aut in uſur-

DISSERT. IV. CAP. VIII. uſurpationibus poteſtatis connivere; ſed omnia juxta firmiter ſtabilitam diſciplinam procedebant. Quapropter ab uno Romano Pontifice Epiſcopus quivis, quacumque aliis poteſtate præcelleret, eam accipiebat. Patet id ex geſtis Innocentii III. quum idem Pontifex ordinavit Romæ Thomam Venetum electum Patriarcham. *Sabbato quatuor temporum Quadrageſimæ in diaconum ordinavit, & in Sabbato hebdomadæ mediantis in ſacerdotem promovit, ac ſequenti Dominica Romæ apud S. Petrum in Epiſcopum conſecravit, ac poſtmodum contulit ei palleum, inſigne videlicet plenitudinis Pontificalis officii, de corpore B. Petri Apoſtoli ſumtum, recepto ab eo fidelitatis, & obedientiæ juramento ſub ea forma jurandi antiqua, & approbata, ſecundum quam Primates, & Metropolitani ſolent in ſuſceptione pallei Romano Pontifici, & Eccleſiæ Romanæ jurare*. Ejuſdemque generis ſunt Patriarchæ omnes perpetuo ſibi ſuccedentes Romæ, ut, ſi quando Dei optimi beneficio Eccleſiæ magna ea pars ad unitatem revocetur, ad Patriarchalem eam ſedem qui tunc tali honore fulgeat, ſe quantocyus conferat. Idcirco in Lateranenſi Concilio IV. ab eodem Innocentio celebrato Patriarchalibus Orientis ſingulis antiquus decor inſtauratur: ſtatuit enim Concilium, *ut poſt Romanam Eccleſiam, quæ diſponente Domino ſuper omnes alias ordinariæ poteſtatis obtinet principatum, utpote mater univerſorum Chriſti fidelium, & magiſtra, Cpolitana primum, Alexandrina ſecundum, Antiochena tertium, Jeroſolymitana quartum locum obtineant*. Quo ex decreto evidens eſt, quod Romani Pontifices, longe ut quæ inſcia S. Sede fuerant primum inſtituta in provinciis longe diſſitis, deinde ab eorum Prædeceſſoribus aut tolerata, aut confirmata, antiquarent, ea potius inſtaurabant, priſtinumque in ſplendorem reſtituebant. Quin etiam deletis ex hominum memoria quibuſvis principii vitiis, rectam ſolummodo, juſtamque S. Sedis autoritatem commemorare erant ſoliti. Cujus rei præſentiſſimum, luculentiſſimumque argumentum ſuppetit ex laudatis paulo ante Geſtis Innocentii III. in ſubjecto Privilegio: *Sane*, inquit, *quum eadem Eccleſia, quæ tunc Byzantina, nunc Cpolitana vocatur, nec nomen, nec locum inter ſedes Patriarchales haberet, Apoſtolica Sedes fecit ei nomen grande juxta nomen magnorum, qui ſunt in terra, & ipſam quaſi de pulvere ſuſcitatam uſque adeo ſublimavit, ut eam tam Eccleſiæ Alexandrinæ, quam Antiochenæ, ac Jeroſolymitanæ dignitatis privilegio*

S. Innoc. III. geſt. n. 99.

Conc. Later. IV. cap. 5.

Digitized by Google

legio anteferret, atque poſt ſe præ cæteris exaltaret. Tametſi quæcumque poterant concedi, abſque Apoſtolicæ Sedis detrimento, liberaliſſime concedentes, non quaſi inſtauratores antiqui juris ſe habuerunt, quod diſciplinæ contrarium fuiſſet, ſed largiri ſe ajebant ex integro: *Ad indicium etiam*, proſequitur Innocentius, *gratiæ plenioris, autoritate tibi propria indulgemus, ut Archiepiſcopis ſuffraganeis tuis uſum Pallii, præſentis indulgentiæ autoritate concedas, ab eis pro te, quod canonicum fuerit, pro nobis autem, & Eccleſia Romana ſponſionem obedientiæ recepturus*. DISSERT. IV. CAP. VIII.

VIII. Conditio Primatus Carthaginenſis Africæ

Itaque, quantumvis alia omnino ſint jura iſta Patriarcharum Conſtantinopoleos, quos S. Sedes inſtituit; tamen honorem Patriarchatus (certiſſime uſurpatum ab iis Epiſcopis) videmus modo Apoſtolica autoritate inſtauratum, nec dubii quicquam nobis remanet, quin, ſi ablato ſchiſmate Orientalis Eccleſia Occidentali perpetuo caritatis vinculo jungeretur, idem inter Patriarchas præeminentiæ ordo ſervaretur, quem Lateranenſe IV. Concilium inſtauravit. Quod ſi Apoſtolica Sedes majori etiam Patriarchæ, qui uſque eo devenerat temeritatis, ut cum Romano Pontifice per ſummum nefas de primatu contenderet, honorem priſtinum non dubitavit aſſerere; quanto magis ſui Occidentalis Patriarchatus Eccleſiis antiquum ſplendorem vindicare debuit, ſiquæ Primatum, mediam videlicet autoritatem inter Patriarchalem, & Metropoliticam olim habuiſſe deprehenderet? Harum vero, ut vidimus, nulla erat toto in Occidente quæ hujuſmodi honore præcelleret, præter Carthaginenſem Africæ, nam Vicariatus Apoſtolicus, alibi obtinens, perſonæ adnexus erat, non Sedi. (Atque hic fuit ſtatus occidentalis Patriarchatus per ſex priora Eccleſiæ ſecula). Carthaginenſis autem Primatus Africæ non is erat, qui cum tribus Orientis Exarchatibus comparari ullatenus poſſet, tum quia perpetuum S. Sedi obſequium illi Epiſcopi præſtiterunt, tum quia Autocephalus non erat is Primas. *Carthaginenſis Epiſcopus*, ait Lupus, *erat totius Diœceſeos Africanæ Primas, non tamen Autocephalus, quoniam Sedi Apoſtolicæ jure Patriarchico ſubjectus*. Quin etiam indicium certum conditionis hujus Primatus ſuppetit ex S. Agapeti literis, quum Juſtiniani Imperatoris virtute devictis Wandalis, licitum fuit S. eidem Pontifici Primatum illum inſtaurare. Subjicere illas juvat omnium oculis: *Univerſa præterea*, inquit, *quæ inimicorum perverſitas invaſerat, caritati tuæ Metropolitana* Chriſt. Lup. in can. 6. Nic. S. Agap. Pap. ep. 3.

Digitized by Google

jura reparantes, hortamur, ea quæ tuo, vel aliorum nomine reſcripſimus, univerſis debeas innoteſcere, Metropolitani quippe autoritate ſuffultus: ne quis ſe excuſabiliter aſſerat ignorare quod Sedis Apoſtolicæ principalitas Canonum conſideratione præſcripſit. Nomen ſiquidem attendenti Metropolita magis occurrit, quam Primas; autoritatem vero illam ſiquis æſtimet, qua Carthaginenſis totâ Africâ monere Epiſcopos, eſſent ii Metropolitæ necne, jubetur, continuo aliquid plus, quam Metropolitam reputet neceſſe eſt. Eadem ratio autem Primatialis hujus autoritatis per ſextum ſeculum a ſummo Pontifice inſtauratæ, ſi ſedulo animadvertantur ſuperiora ſecula, omnino conſtat. Enimvero Primates, primæque ſedis Epiſcopos appellari in omnibus Africæ provinciis conſueverunt Metropolitæ, nec nomine tenus diſcriminis quicquam eſt obvium, quod Carthaginenſi cum cæteris intercederet: autoritate dumtaxat his illum anteire compertum erit, dum extra Proconſularis ſuæ provinciæ terminos ſe extendens, non modo Epiſcopis alienæ provinciæ ſed ipſis Primatibus jura dabat: ad Concilium ſcilicet univerſale, ſeu Nationale in Carthaginenſi Sede celebrandum convocabat ex quavis provincia Epiſcopos: ibique coram omnibus eodem Præſide, de communibus cauſis diſceptabatur.

IX. *Primas Africæ præſidebat Côciliis plenariis Carthagine celebratis.*

Rem hanc videre quis poteſt in Concilio hujuſmodi ſtabilitam, quod vulgo eſt Milevitanum II, in Codice autem veterum Canonum recte Carthaginenſe VIII. appellatur; tametſi quandoque Milevitani etiam nomen adhibetur; nam duo ſimul, ut ſuo loco monuimus, coaluerunt Concilia. Verba decreti hujus ſunt: *Placuit, ut non ſit ultra fatigandis fratribus anniverſaria neceſſitas, ſed quoties exegerit cauſa communis, ideſt totius Africæ, undecumque ad hanc ſedem pro Concilio datæ literæ fuerint, congregandam eſſe Synodum in ea Provincia, ubi opportunitas perſuaſerit. Cauſæ autem, quæ communes non ſunt, in ſuis provinciis judicentur*. Duo hinc aperte agnoſcimus, primum videlicet, quod ante hujus Concilii tempora Carthaginem Africani Epiſcopi conveniebant quotannis, ibique generale habebatur Concilium: alterum vero quod extra Carthaginenſem Sedem celebranda etiam erant Concilia hujuſmodi, modo opportunitas loci aut rerum id exigeret, at prævia Sedis Carthaginenſis autoritate. Quorum utrumque eo collimat, ut Carthaginenſem Epiſcopum totius Africæ Primatem eſſe demonſtret. Ejuſmodi poteſtatis exercitium in peculiaribus aliis cauſis, quæ po-

Conc. Milev. II. cap. 9.

Digitized by Google

poſtea obtinuerunt, indagare, eſt Carthagine aliud Primatis genus, quam qui vere fuit, ſibi fingere. Erat enimvero Carthaginenſis Epiſcopus, quumprimum a S. Sede Fidem accepit Eccleſia illa, tanquam pater tum Epiſcoporum omnium, tum Fidelium qui ſenſim Chriſti legem amplectebantur; coaleſcente utrorumque numero viſum eſt Primates alios, ſeu Metropolitas creare, quibus Eccleſiaſticæ provinciæ committerentur; nihilominus Carthaginenſi cæteris antiquiori, ac præſtantiori obſequium, ac quædam ſubjectio recentiorum Primatum rata ſemper ac firma perſeverarunt. Unicum, locupletiſſimumque rei argumentum ſunt Concilia plenaria in totius Eccleſiæ Africanæ cauſa. Præter id nihil ſuppetit certum poſt novas provincias inſtitutas, quas quæ præiverunt, Metropolitam, non Primatem definiunt. Ordinationibus ipſis Epiſcoporum ſe minime admiſcuiſſe Carthaginenſem Primatem fidem facit Concilium Carthaginenſe ultimum, vulgo II. prope Wandalicam irruptionem celebratum anno circiter 425. in quo ſua vindicatur Metròpolitanis juriſdictio, nulla Primatis mentione facta. Concilii ejuſdem verba commentariis non indigent: *Numidius Epiſcopus Maſſilitanus dixit: Aliqui Epiſcopi uſurpatione quadam exiſtimant, contemto Primate cujuslibet provinciæ, ſive ad deſiderium populi Epiſcopum ordinare, nec literis ad ſe primæ Cathedræ manantibus, neque poſtea acceptis ..... Ab univerſis Epiſcopis dictum eſt: Placet omnibus, ut inconſulto Primate cujuslibet provinciæ tam facile nemo præſumat, licet cum multis Epiſcopis in quocumque loco, ſine ejus, ut dictum eſt, præcepto Epiſcopum ordinare. Si autem neceſſitas fuerit, tres Epiſcopi in quocumque loco ſint, cum Primatis præcepto ordinare debeant Epiſcopum.* Non me præterit Concilii Carthaginenſis III. ſub finem quarti ſeculi celebrati Canon: *Fuit ſemper hæc licentia huic Sedi, unde vellet, & de cujus nomine fuiſſet conventus, pro deſiderio cujuſque Eccleſiæ ordinare Epiſcopum*. Per quæ Epiſcopus Numidius Aurelii Carthaginenſis verbis, *Ego enim cunctarum Eccleſiarum dignatione Dei (ut ſcitis Fratres) ſollicitudinem ſuſtineo*, repoſuerat. Is vero Canon Metropolitæ potius Africani antiquam autoritatem adeo effuſam ſpectat, quam Primatis juriſdictionem; cujus rei alium ego teſtem non appello, præter Concilii poſterioris laudatum decretum.

DISSERT. IV. CAP. VIII.

Conc. Carth. II. cap. 12.

Conc. Carth. III. cap. 45.

X.

Nullius antiqui Primatus inſtitutio facta a S. Sede.

Utquumque autem fuerit, Carthaginenſis Epiſcopi Primatus in Africa perinde certus eſt, ac tres Orientis Exarchatus: per-

DISSERT.IV. CAP. VIII. indeque horum, atque illius principium nulla S. Sedis inſtitutione nititur; ſed natura ipſa duce Epheſinus, Cæſarienſis, & Heracleenſis Exarchi, necnon Primas Carthaginenſis ſuis quiſque in Diœceſibus Aſiana, Pontica, Thraciæ, & Africana non ſolum propriæ provinciæ Epiſcopis, ſed aliarum quoque provinciarum Diœceſis Metropolitis præfuerunt. Diſcrimen illud erat inter Africæ Primatem, & Exarchos, quod hi Autocephali audiebant apud veteres, quippe quorum inſtitutio ab Apoſtolorum temporibus facta nullum ex majoribus Patriarchis parentem habuerant, Carthaginenſis autem Tertulliano teſte ab Apoſtolica Sede, ſeu a Romano Pontifice inſtitutus fuerat Præſul Africanæ Eccleſiæ, in quam poſtea, pluribus licet provinciis Eccleſiaſticis inſignem, Primatialem exercuit poteſtatem. Verumtamen neque Exarchis, nec Primati poteſtatem adeo effuſam ullo invenias documento conceſſam eſſe, tametſi Conciliorum autoritate, aut Romani Pontificis decreto & huic, & illis vetera privilegia vindicari comperies. Itaque qui ſoli certique Primates ſunt, ſeu minores Patriarchæ in tota Eccleſiæ antiquitate, ii nullatenus inſtituti fuerunt a S. Sede, ſed in excitatas ſubinde Metropoles jus quoddam antiquum, conniventibus Patriarchis majoribus, retinuerunt. Præter hos quin alii prioribus Eccleſiæ ſeculis naſcerentur, impedimento fuit Vicariatus Apoſtolicus a S. Sede inſtitutus primum per Illyricum, deinde aliis in Occidentis Diœceſibus, de quo in ſuperioribus ſatis multa. Poſt S.Gregorii ævum, nempe ſeptimo ſeculo & ſequentibus, quando barbaris, qui undique eruperant ad meliorem frugem divina ope redactis, Eccleſiæ reſpirarunt, ipſa in Italia Patriarchas iſtos minores emerſiſſe compertum eſt. Horum vero, quantamcumque cum Toletano ſimilitudinem habere videantur, nihil noſtra intereſt. Africani ſiquidem Primatus naturam inſpectaſſe, atque expendiſſe originem Patriarchatus Conſtantinopolitani, qui Exarchatuum excidio tantam ſibi peperit majeſtatem, ſatis ſuperque eſt ad Regiæ Gothorum Catholicorum Sedis Præſulum dignitatem ſeptimo natam ſeculo, ab invaſoribus Mauris interruptam, ac demum poſt quadringentos fere annos autoritate S.Sedis confirmatam, penitus agnoſcendam, ipſiſque, ut opinor, manibus tenendam. Quam profecto non Apoſtolica Privilegia longe poſt excogitata, nec poſteriorum Primatum autoritas ſpecioſis ventilata diſputationibus patefacient, ſed planiſſima expoſitio rei, qua indagandis antiquis moribus accomodatius nihil inveniri poteſt, demonſtrabit.

Ne

Digitized by Google

Ne inanem & ego operam luſiſſe videar, quod equidem reor factum iri ſi argumentis aliorum aliis per ſe leviſſimis refellendis inſtitero, hoc ratum, atque firmum eſſe habendum conſtituo, quod ante Concilium Toletanum III. anno 589. celebratum nulla Hiſpaniarum Metropolis autoritate, aut dignitate aliis prælata eſt: & quod nonniſi poſt Concilium Toletanum VIII. anno 653. habitum, Metropolitæ Toletani cœpit autoritas, quæ Primatem eum certiſſime reddidit. Itaque de præſtantia Toletanæ ſedis ſenſim coaleſcente, & de Primate Hiſpaniarum Regiæ urbis Archiepiſcopo, ſeorſim dicam neceſſe erit. Ad ſedem illam Metropolim quod ſpectat, tam longe eſt, ut ante Catholicos Reges præferendam aliis quis arbitretur; ut anno 610. & Concilii decreto, & Gundemari Regis reſcripto opus fuerit ad Metropoliticam juriſdictionem Arianorum ævo diſturbatam Toletano Præſuli aſſerendam, qua de re in ſuperioribus ſatis dixi. Parum id quidem obeſſe præſtantiæ illius ſedis, urgeat aliquis, nec immerito: Metropoliticæ enim juriſdictioni cum jure Primatus diſcrimen maximum intercedit, nec ſemel Patriarchis ipſis majoribus Metropolitica vindicari jura compertum eſt. At, bona cum venia, Regii diplomatis verba nimis aperta ſunt: *Eumque inter ſuos Coepiſcopos tam honoris præcellere dignitate, quam nominis: juxta quod de Metropolitanis per ſingulas provincias antiqua Canonum traditio ſanxit, & autoritas vetus permiſit*. Quod ſi dignitas tum honoris, tum nominis vindicabatur autoritate Canonum de Metropolitica autoritate agentium, haud dubie nil amplius Toletano erat honoris aut nominis, præter Metropoliticum. Præſtantior nihilominus Metropolibus cæteris eſſe cœpit jam inde a celebratione Concilii Toletani III. Sedes enimvero Nationalium, ſive ut tunc audiebant, univerſalium Conciliorum evaſit Toletum in Hiſpaniis, quod antea Carthago fuit in Africa: neque ante id temporis tanto dignatam honore ullam ſedem invenies; non enim Elibertina ſynodus, atque alia S. Leonis ævo in ſummis rerum anguſtiis celebratæ, comparari ullatenus debent cum Toletanis, ad quæ Hiſpani, Gallique Epiſcopi maxima in Reipublicæ tranquillitate confluebant. Multo autem minus, quamdiu rerum potiti ſunt Gothi Reges Catholici, aut alibi celebratum Nationale Concilium, aut celebrari poſſe decretum fuiſſe (ut in Carthaginenſi VIII.) comperies. Itaque Toletanam ſedem reliquis præſtantiorem, poſt deteſtatam Arianorum hæreſim haberi cœpiſſe

DISSERT. IV. CAP. VIII. XI. Toletana Sedes ſub Catholicis Regibus ſenſim autoritate augetur.

Conc. Tol. a. 610.

piſſe

piſſe, exploratum eſt. Nec vero Metropolitana quicquam autoritate ſplendidius adeptam eſſe dixeris, ſi animadvertas, quod tametſi omnes undique Hiſpani Gallique Præſules ad Toletana Concilia advolabant, Concilii tamen Præſes fuit ſemper Metropolita ſenior, quod inter æquales fieri conſuevit. Quin etiam Toletani Metropolitæ uſque ad annum 656. quum Toletanum Concilium X. celebrabatur, loco ſemper conceſſerunt aliis, tamquam ordinatione antiquioribus, ut ex ſubſcriptionibus patet. Quare omnium nemo, niſi impotenter, affirmet Toletanam ſedem ante hæc tempora Hiſpaniarum Primatu uſam eſſe.

XII. Ut olim Byzantina ſub Imperatoribus.

Quæ quum ita ſint, teneri jam puto, cur ego originem Toletani hujus Primatus cum Conſtantinopolitano Patriarchatu duxerim comparandam, tametſi neque ambitus Præſulum, nec Regia vis Pontificum Romanorum patientiam exercuerit, ut Conſtantinopoli eſſe factum conſtat. At enim quæcumque attuli, ut Metropoliticum honorem injuria ereptum Toleto oſtenderem, nullo habeantur loco; fuerit Toletum ejus naturæ oppidulum, quod alienæ appetens gloriæ ſcriptor decantat; Toletanus Præſul Metropolitæ Carthaginenſis ſuffraganeus fuerit: nonne Byzantium urbs humilis, immo a Severo in Vicum redacta, ſuffraganeum & ipſa Epiſcopum habuit? Eo nihilominus dignitatis hic venit, quo altius aſcendere, ſi Romanum excipias Pontificem, nemo poteſt. Quid igitur, malum, coacervanda erant tot falſa, atque incredibilia tum ab iis, qui hunc Primatum aſſerere ſunt conati, tum ab iis, qui eumdem moliti ſunt diruere? Satis ſuperque erat illud dicere, quod quemadmodum Imperatores Græci Conſtantinopolim Imperii ſedem factam, novæque Romæ illuſtri nomine appellatam, ornatiorem in dies reddere ſtuduerunt; ita Catholici Gothorum Reges Toletum urbem pari modo declaratam Regiam ſedem, ac præclaro nuncupatam titulo Regiæ urbis, præſtantiorem cæteris ſuæ ditionis civitatibus effecerunt. Hæc ſiquidem omnia conſtant liquido ex documentis ſeptimi ſeculi, quorum partem de aliis rebus agens in medium attuli, partem infra opportunius recitabo. Opus non eſſe arbitror ingenii acie, ut Urbem Regiam, Regiæque inaugurationi præ aliis deſtinatam, &, paucis ut multa complectar, Urbem totius Monarchiæ negotiis tum civilibus, tum Eccleſiaſticis definiendis electam quis deprehendat aliis ſingulis dignitate, & loco præſtitiſſe. Quamobrem præcipuæ hujus inter Hiſpanas Metropolis Pri-

Digitized by Google

Primatus, nequicquam ſe torquent qui ſecus ſentiunt, nec de-
duci debet ab Exarchatibus Orientis, neque a Primatu Africæ, nam utrobique incerta origo omnis, præter eam, quam naturæ ipſi retulerunt acceptam. Longe autem minus ab Apoſtolici Vicariatus conditione, quippe cujus ingenium aliud prorſus erat, ſedem hoc Apoſtolicam, ejuſque autoritatem præferente, quoad ſuperſtes fuit Præſul tali honore conſpicuus; dum Primatus ille e contrario Sedi perpetuo adhærens, propriam largiebatur autoritatem Epiſcopis ſibi invicem ſuccedentibus, abſque Romani Pontificis autoritate, aut conſilio. Largiebatur, inquam, abſque Romano Pontifice, ab eo ſiquidem inſtitutus non fuerat, nec confirmatus; tametſi maxima locorum diſtantia, temporumque acerbitas tulerint, ut invaleſcentem conſuetudinem toleraret. Indeque poſtea eſt factum, ut quadringentis fere annis ſilentem eum Primatum erexerit Urbanus II. ne privilegium quod Toletana ſedes habuerat, undelibet natum, ſuique Prædeceſſores toleraverant, interiret. Summa autem rei eſt, quod Conſtantinopolitani Patriarchatus, & Primatus Toletani origo una eademque eſt. Exaltatio ſedis utrique Præſuli autoritatem peperit.

XIII. Archiepiſcopus Tolet. erat Primas ante an. 681.

Metropolitam Toletanum præferri aliis cæptum eſſe, vel ante Concilium Toletanum VIII. jure aliquis dixerit; nam in præcedenti Nationali Concilio per annum 646. celebrato ſic ſtatutum legimus. *Id etiam placuit, ut pro reverentia Principis, ac regiæ ſedis honore, vel Metropolitani civitatis ipſius, & conſolatione, convicini Toletanæ urbis Epiſcopi, qui ejuſdem Pontificis admonitionem acceperint, ſingulis per annum menſibus in eadem urbe debeant commorari, meſſivis, ac vindemialibus feriis relaxatis*. Honorem hujuſmodi, legant relegant quantum libet qui Toletanam gloriam ægre ferunt, nulli omnino Metropolitæ Hiſpaniarum ante Mauricam invaſionem tributum eſſe comperient. Et niſi ego aliud quærerem in Toletano, præter honoratiorem locum tota Hiſpania, unico hoc argumento cauſam viceram; quum vero certam quoque juriſdictionem in provinciis ſingulis demonſtrare ſim paratus, illud urgeo, quod nonniſi poſt Concilium Toletanum VIII. Primatis juriſdictio debet inquiri. Poſt illud vero Concilium duodetriginta annorum ſpatio, qui ante Concilium Toletanum XII. ſunt elapſi, ab anno videlicet 653. ad 681. Archiepiſcopus regiæ urbis Primatis honorem adeptus eſt. Toletano ſiquidem VIII. præſidet Orontius

DISSERT. IV. CAP. VIII. tius Emeritenſis Metropolita aliis antiquior, eademque de cauſa Antonius Hiſpalenſis loco præſtat Eugenio Toletano, qui tertium tenet locum. Sequentibus autem Conciliis Nationalibus ſemper præfuit Toletanus Præſul, & quod maxime notandum velim, Julianus Regiæ urbis Epiſcopus Toletano XII. præſedit ipſo eodem anno, quo eſt creatus Epiſcopus, ac propterea reliquis Metropolitis haud dubie junior; quod mox oſtendam. Hinc eſt, quod Felix Juliani ſucceſſor, ac continuator libri Virorum Illuſtrium a S. Ildefonſo confecti, de Juliano ſic loquitur: *Poſt S. Me. Quiricum idem Egregius Julianus præfatæ urbis eſt unctus Primatu*: ſeu *nactus Primatum*, ut in Fabricii editione legitur. Unde certo diſcimus, quod Julianus non modo erat Primas ante Concilii Toletani XII. celebrationem, ſed Primati Quirico ſucceſſerat. Quæ res mihi perſuadet, ut aliquanto altius Toletanum Primatum expendam; modo anni 653. præſcriptos mihi limites non tranſcendam. Idque eo libentius conſtitui facere, quod opto falſi arguere tum eorum opinionem, qui Primatum omni hominum memoria vetuſtiorem Toleti confingunt, tum eorum ſententiam, qui Concilio Toletano XII. altiorem ejus ætatem fuiſſe negant.

XIV. Nec ignorabatur a Romano Pontifice.

Ex ſubſcriptionibus Conciliorum IX. X. & XI. nullum ſuppetit argumentum: Nono ſiquidem, & undecimo Toletanus præfuit, ut Metropolita quilibet ſuæ provinciæ ſynodis præeſſe ſolet; decimo autem, quod Nationale erat, Toletanum Præſulem Eugenium præſediſſe recte quis affirmet, tanquam Metropolitis aliis ſeniorem; adfuerat enim Conciliis Toletanis VII. VIII. & IX. dum Fugitivus Hiſpalenſis ſucceſſerat Antonio poſt Concilium Tol. VIII. & Fructuoſus ipſo hoc in Concilio X. ſuffectus fuit Potamio e ſede Bracarenſi dejecto. Quamobrem præſidentiæ iſtæ nullatenus ſuffragantur patronis cauſæ Toletanæ. Eſt nihilominus argumentum aliud præſentius, quo Toletanus Primatus ſanctæ ipſi Sedi Apoſtolicæ non fuiſſe ignotus demonſtratur. Literæ illæ ſcilicet, quas anno 682. datas eſſe ajebam a Leone II. ad Epiſcopos omnes Hiſpaniæ, & ſingillatim ad Quiricum Toletanum Epiſcopum, qui cæteroqui ante biennium erat mortuus, maximum rei noſtræ pondus afferunt. Quid enimvero, quum Leo Ervigio Regi, Simplicio Comiti, Epiſcopique Hiſpaniæ omnibus ſcripſiſſet, omnium unum Toletanum elegerit, ad quem ſingulares traderet literas? Nonne quia Primatis loco eum haberi in Hiſpaniis norat? Huc accedit, quod Metropo-

politas ſingulos una cum ſuffraganeis ſic alloquitur: *Hortamur* DISSERT.IV. *proinde veſtram divinis miniſteriis mancipatam in fidei veritate* CAP. VIII. *concordiam, ut ſummam ſedulitatem, atque operam præbeatis,* *Leo II. ep.2.* *paribuſque laboribus accingamini pro amore, atque timore Dei, Chriſtianæque profectu religionis, & Apoſtolicæ prædicationis puritate, ut per univerſos veſtræ provinciæ Præſules, ſacerdotes, & plebes, per religioſum veſtrum ſtudium innoteſcat, ac ſalubriter divulgetur; & ab omnibus reverendis Epiſcopis una vobiſcum ſubſcriptiones in eadem definitione venerandi Concilii ſubnectantur*. Singulari vero in Epiſtola ad Quiricum, rationem ei reddit exactiſſimam literarum omnium tam Regi, quam Comiti, & Epiſcopis ab ſe conſcriptarum; deinde ſibi ut auxilium præbeat in re tanti momenti eum orat: *Cui*, inquiens, *pro Dei* *Idem ep.3.* *miniſterio, quod ſuſcepimus, & rectitudine Apoſtolicæ fidei, per quam ſalvari tam nos, quam commiſſas nobis animas præſtolamus, providentiam, atque concurſum omnem exhibeat veſtra in Chriſto dilectio, ut pro flagrantibus ſtudiis Evangelicæ, atque Apoſtolicæ fidei æternæ beatitudinis cum beatis Chriſti Apoſtolorum principibus habere conſortium mereamini*. Quæſo hîc memoria repetantur quæ paulo ſupra ſunt allata ex S. Agapeti Epiſtola ad Primatem Carthaginenſem: *Ea*, inquit, *quæ tuo, vel* *S.Agap. ep.3.* *aliorum nomine reſcripſimus, univerſis debeas innoteſcere*: aliorum ait nomine; quippe Epiſtolam ordine ſecundam ſcripſerat Epiſcopis Africanis, quemadmodum Leo Hiſpanis literas alias miſerat, quarum rationem reddit Quirico, præcipuam ei demandans ſollicitudinem in Concilii VI. generalis cauſa. Equidem apud Eccleſiam veterem argumenta Primatus clariora non invenio; mihique perſuaſiſſimum eſt, quod Romanus Pontifex Leo perinde primum Hiſpanorum Præſulem Toletanum agnovit, atque Agapetus Carthaginenſem; tametſi neutrum aut a S. Sede inſtitutum, aut præclaro eo Primatis nomine appellatum affirmare quis poſſit.

Neminem hodie latet, quam longe ab omni ſuppoſitione XV. ſint hæ literæ, de quibus olim Baronius dubitavit. Præ aliis autem argumentis illud, quo eaſdem ad rejiciendas utebatur, Quiricum videlicet ante annos ſeptem eſſe mortuum, levitatis arguunt recentiores, & quidem jure: namque ejus mortem illigare cum anno 675. quum præfuit Concilio Toletano XI. quia 681. præſedit duodecimo Julianus, leviter admodum ratiocinari eſt. Liquido enim conſtat, Julianum ſucceſſiſſe Quirico an-

Et quidem ante an.681. quo eſt habitum Conc. Tol.XII

 no 680. die 26. Januarii, ex vitæ illius ſcriptore ſynchrono Felice, qui ſediſſe eum docet annos 10, menſem, & dies ſeptem, mortuumque eſſe die quarta Martii æra 728. cui reſpondet Chr. annus 690. ſi enim hinc retro abeamus tantumdem temporis, in diem 26. Januarii anni biſſextilis 680. incidemus, feriam quintam, unde Felix ætatem ducit, non ab ordinatione poſt tridui peracta die dominico. Quamobrem defeciſſe Quiricum eodem anno & menſe ante paucos dies certo certius eſt; ita ut, quum Leo dabat literas triennio poſt, non ſeptem ante annos, ſed tres circiter Julianus Toleti Epiſcopus ſederet. Quid vero intra id triennium Romæ Quirici mors ignoraretur, dum Ervigii Regis creatio poſt octo menſes facta non fugiebat Pontificem, mirum ſolummodo illi erit, qui antiquæ inſcius diſciplinæ Epiſcoporum omnium obitum, & ordinationem cum recenti componunt. Regum ſiquidem omnium, præcipue Catholicorum ſucceſſiones noſſe multum intererat S. Sedis, quippe ad quam ſollicitudo pertinet univerſalis Eccleſiæ; at ſucceſſiones Epiſcoporum, quæ tum temporis juxta Canones peragebantur, modo fierent rite juxta obtinentem tunc diſciplinam, non erat, cur tot tantiſque negociis impeditos vexarent Pontifices Romanos. Huc accedit minimum illud commercium literarum Eccleſiæ Hiſpanæ cum Romana intercedens per ea tempora, ut dictum fuit. Quamobrem error quidem ineſt in epiſtolæ inſcriptione, nam Quiricus ante triennium occubuerat mortem, ſed ipſe hic error Toletani Primatus argumentum eſt locupletiſſimum. Et vero nihil auditum Romæ fuerat de maximo illo autoritatis incremento, quod Toletano Præſuli acceſſit unanimi Metropolitarum voluntate in Concilio Toletano XII. cui Quirici ſucceſſor præſedit; Leo tamen Quiricum ut Primatem adhibet in Synodali negocio, quod nuper vidimus. Nonne hinc apertius etiam diſcimus, Quiricum Primatem eſſe, quam ex Felicis teſtimonio integerrimo, qui Primatem primum appellans Julianum, de Quirico conjiciendum relinquit? Unum id optandum erat hac in re, ut Concilium Toletanum XI. Nationale eſſet; nam Quiricus Metropolitis aliis præſidens extra omnem aleam rem poſuerat. Julianus nihilominus Præſes duodecimi, antequam autoritas illius augeretur, Conciliique ejuſdem decretum nihil omnino agens de inſtitutione Primatus, hunc eſſe antiquiorem Juliano ipſo palam facient.

XVI. In Conc. Tol. Primum recito Decretum ipſum; decretum plane celeberrimum,

mum, quod Scriptores omnes in unanimem opinionem pertraxit; quod nimirum Toletano Præſuli Primatus autoritas conceſſa ſit. Nihil muto, nihil prætermitto: *Illud quoque*, ajunt Patres, *collatione mutua decernendum nobis occurrit, quod in quibuſdam Civitatibus, decedentibus Epiſcopis propriis, dum differtur diu ordinatio ſucceſſoris, non minima creatur & Officiorum divinorum offenſio, & Eccleſiaſticarum rerum naſcitur perditio. Nam dum longe lateque diffuſo tractu terrarum, commeantium impeditur celeritas Nunciorum, quo aut non queat Regis auditibus decedentis Præſulis tranſitus innoteſci, aut de ſucceſſore morientis Epiſcopi libera Principis electio præſtolari; naſcitur ſemper & noſtro ordini de relatione talium difficultas, & regiæ poteſtati, dum conſultum noſtrum pro ſubrogandis pontificibus ſuſtinet, injurioſa neceſſitas. Unde placuit omnibus Pontificibus Hiſpaniæ atque Galliæ, ut, ſalvo privilegio uniuſcujuſque provinciæ, licitum maneat deinceps Toletano Pontifici, quoſcumque regalis poteſtas elegerit, & jam dicti Toletani Epiſcopi judicio dignos eſſe probaverit, in quibuslibet provinciis, in præcedentium ſedibus præficere Præſules, & decedentibus Epiſcopis eligere ſucceſſores. Ita tamen ut quiſquis ille fuerit ordinatus, poſt ordinationis ſuæ tempus, infra trium menſium ſpatium, proprii Metropolitani præſentiam viſurus accedat: qualiter ejus autoritate, vel diſciplina inſtructus, condigne ſuſceptæ ſedis gubernacula teneat. Quod ſi per deſidiam, aut neglectum, quilibet conſtituti temporis metas exceſſerit, quibus Metropolitani ſui nequeat obtutibus præſentari, excommunicatum ſe per omnia noverit: excepto ſi regia juſſione impeditum ſe eſſe probaverit. Hanc quoque definitionis formulam, ſicut de Epiſcopis, ita & de cæteris Eccleſiarum Rectoribus placuit obſervandam.* Mirum eſt, quantis hunc Canonem commentariis onerant, tum qui Apoſtolico antiquiori diplomate inhærere volunt hunc Primatum; tum qui negant hoc decreto Primatum declarari, eruditis omnibus reclamantibus. Utrique autem diſceptatorum generi facile illudent verba Hiſpanorum Præſulum tota ex Hiſpania & Gallia congregatorum Toleti poſt triennium. Confirmant ii quæcumque in Toletano Concilio XII. unanimes decreverant: *Ea ipſa geſta*, ajentes, *prout geſta ſunt vel conſcripta, omni temporum æternitate valitura decernimus..... Item de conceſſa Toletano Pontifici generalis Synodi poteſtate: ut Epiſcopi alterius provinciæ cum conniventia Principum in Urbe regia ordinen-*

DISSERT. IV. CAP. VIII.

XII. autoritas Primatis augetur, non recens inſtituitur.

Conc. Tol. XII. cap. 6.

Conc. Tol. XIII. cap. 9.

nentur. Quid deſideratur illuſtrius tam ad Primatus declarationem; quam ad Pontificiam inſtitutionem rejiciendam? Nonne cujus juriſdictio provinciæ ſuæ limites prætergreditur., is Metropolitis autoritate præſtat? Id vero eſt Primatus. Nonne Synodi Nationalis conceſſio ab Apoſtolicæ Sedis conceſſione diverſa eſt? Ita vero Toletani Primatis tranſacta res eſt: nec documentum proferri ullum unquam eveniet, quod ſecus eſſe factum evincat. Antiqui enim Primates, ut iterum iſtud urgeam, nulli ab Apoſtolica Sede erecti ſunt, ſed alios natura ipſa peperit, ut Exarchos Orientis, & Primatem Africæ, alios cauſæ aliæ, ut Patriarchatum Conſtantinopoleos ambitio Præſulum, & Toletanum hunc Primatum ardor Præſulum Hiſpanorum, ac ſollicitudo ingens Eccleſiarum, Regni & Sacerdotii concordia, cauſæque aliæ, quas unuſquiſque ex hactenus allatis eliciat. Cæterum ſerio id velim animadverti, quod non uno ex iſto capite ordinationum tota Hiſpania Toletanus Præſul aſſequutus eſt Primatum; nam ſuperius eſt demonſtratum, quod Primas Carthaginenſis ipſo iſto jure, quo olim utebatur, dum Metropolita unus erat totius Africæ, ſe ultro exuit, & tamen erat Primas; quia nimirum ſua in ſede habebantur Concilia Nationalia, quibus præerat; quia eadem Concilia convocabat; & quia rerum momenti S. Sedis juſſu præcipuam ipſe curam habebat tota Africa.

XVII. Julianus Tolet. junior cæteris Concilio præſidens Primatum antiquioré eſſe demonſtrat.

Singulæ iſtæ res evenerunt Toleti. Ibi ſiquidem, nullaque in alia Sede celebrata eſſe Nationalia Concilia conſtat; eadem a Rege convocata videntur: attamen Præſulis regiæ urbis jus, operamque omnem fuiſſe is tantum neget, qui regiæ, ac ſacerdotalis poteſtatis diſcrimen ignoret, qua de re in capite de Conciliis ſatis dixi. Negocia momenti a Romano Pontifice commiſſa eſſe Toletano Præſuli, unico oſtendi, quod extat, exemplo; quemadmodum ſingulare attuli documentum hujuſmodi pro Africæ Primate. Deerat, ut Toletani Præſulis præſidentiam in Nationali quovis Concilio oſtenderem. Hoc autem caput nonniſi poſt Concilii Toletani VIII. tempora diſſertiſſimus quiſque, diligentiſſimuſque antiquitatis perveſtigator Toletanis acceſſiſſe Præſulibus deprehendet. Quin etiam eorum ullum præſediſſe non alio ex capite, præterquam Primatus, Nationali Concilio haud datum erit invenire ante Julianum, qui Concilio Toletano XII. præfuit, utquumque ordinatione junior. Quam quidem rem, ne fidenter projeciſſe videar, animadverti velim, quod nedum

nedum affirmari, ne poteſt quidem cogitari, ullum ex tribus Metropolitis, qui Concilio iſti aderant, ordinatione juniorem eſſe Juliano Toletano, qui annum adhuc primum agebat ſui Epiſcopatus. Et ſane Liuba Bracarenſis ſucceſſor Leodecifii, qui anno 675. præerat Concilio Bracarenſi III. tertio loco ſubſcribit Toletano XII. tamquam ſenior Stephano Emeritenſi ſucceſſore Proficii, qui celebravit Concilium Emeritæ anno 666. (De Juliano Hiſpalenſi nihil dico, nam poſt 656. quum Conc. Tol. X. habebatur, Fugitivo ſucceſſit.) Quare niſi omnium Prædeceſſorum ætas plus æquo protrahatur, ad annum 680. ſucceſſorum omnium principium differri non poteſt, quod cæteroqui neceſſarium eſſet, ut Toletanum reliquis ſeniorem crederemus. Quid vero indigemus confugio iſto, ut uno præſidentiæ capite comprobemus Primatum? Id ſcilicet differatur, quantum libet: compertum jam, atque exploratum habemus, quod in Concilio Toletano XII. nequaquam inſtituta eſt recens illa dignitas, ſed incrementum additum eidem eſt. Julianum ipſum (Felice ſucceſſore poſt Sisbertum id teſtante) Toletanam Cathedram aſcendiſſe, tamquam Primatem Hiſpaniæ, intelleximus. Equidem nihil moveor iis quæ leguntur, in fine notitiæ illius, quam poſtremam affert Garſias Loaiſa in notis ad Concilium Lucenſe: *Omnia ſupraſcripta legit glorioſus Rex Wamba in Concilio Toletano, ubi omnes Archiepiſcopi, & Epiſcopi convenerant, quæ ſubſcriptione omnium firmata ſunt, Quiriaco Toletano Archiepiſcopo Primatiæ dignitate, & fide Catholica conſiſtente*, quamquam probari ea videam ab Antonio Pagio. Id tantum affirmo, quod ante Concilium Tol. XII. Præſul Regiæ urbis erat Hiſpaniarum Primas; tum quia quæ in Concilio Toletano XII. conceduntur Toletano Præſuli, Primatus dignitate jam conſpicuum eum definiunt, tum quia iniquum puto, nos ſeros poſteros levitatis arguere Felicem, qui non factum in Concilio ſcribit; ſed unctum, ſeu conſecratum Primatem, anno nimirum 680. die 29. Januarii, antequam de Concilio ſequenti anno celebrando cogitaretur.

[DISSERT. IV. CAP. VIII.]

[*A. Pag. ad an. 675. n. 3.*]

Quid vero immoror referendis teſtimoniis alienis, dum ipſe Quiricus, cui ſucceſſit Julianus, ſuæ autoritatis in tota Hiſpania teſtis eſt neque dubius, neque obſcurus? Concilii ſcilicet Toletani XI. quod mere provinciale erat, ſic ſtatuitur Canone 2. *Inſiſtendum ſemper erit majoribus, ut quos ſub regiminis ſui cura tuentur, fame verbi Dei perire non ſinant. Sic Metropolitanis in Confinitimos, cæteroſque Eccleſiaſticis Ordinibus* de-

[XVIII. Id evidens fit argumentis certis.]

[*Conc. Tolet. XI. c. 2. & 3.*]

 deditos; ſic Conſinitimis in commiſſo ſibi religioſorum numero vigilandum eſt ..... Placuit ergo de talibus juxta Inſtituta Toletani Concilii hoc ſpecialiter definire, ut aut ſponte ſumant intentionem neceſſariam perdiſcendi, aut a Majoribus ad lectionis exercitia cogantur inviti. Quæ poſtrema verba translatitia ſunt ex Concilii Toletani VIII. cap. 8. ita ut tam Nationale illud, quam hoc Provinciale univerſos Hiſpaniæ Epiſcopos amplectatur. Multo clariora ſunt quæ ſequenti Canone decernuntur: *Placuit huic Sancto Concilio, ut Metropolitanæ Sedis autoritate coacti uniuſcujuſque provinciæ pontifices, rectoreſque Eccleſiarum unum eumdemque in pſallendo teneant modum, quem in Metropolitana Sede cognoverint inſtitutum, nec aliqua diverſitate cujuſque ordinis, vel officii a Metropolitana ſe patiantur ſede disjungi. Sic enim juſtum eſt, ut inde unuſquiſque ſumat regulas magiſterii, unde honoris conſecrationem accepit*. Multus eſſe non debeo in re per ſe clara: Quiricus in ſuæ provinciæ Concilio, quod liquet ex præfatione: *In nomine Sanctæ Trinitatis collectis in unum Carthaginis provinciæ Sacerdotibus in Toletana urbe*, legem dat aliarum provinciarum Epiſcopis; autoritate igitur Primatiali pollebat, cujus optimo meritoque jure hæredem appellari vidimus Julianum a ſcriptore ſynchrono ejus vitæ; nec niſi leviſſimus ille eſſet, qui tanta rerum luce ſuam illuſtrari mentem aut negaret, aut recuſaret. Non auſim inficiari, quod magnam me in admirationem conjecit Antonius Pagius, ubi probare eum vidi ſententiam Baronii accipientis notitiam illam provinciarum a Quirico ſubſcriptam, ita tamen, ut in Concilio Nationali poſteriori ſub Wambane habito lecta ſit, quod exciderit. Quandonam Concilium iſtud nationale erit habitum? Patres Concilii Toletani XI. rejiciunt Concilia omnia ante annum quartum Wambanis, Chr. 675. *Eramus enim*, inquiunt, *huc uſque prolabentis ſeculi colluvione inſtabiles, quia annoſa ſeries temporum, ſubtracta luce Conciliorum, non tam vitia auxerat, quam &c.* Eaque propter jure ad Concilium poſterius Notitia differtur. Reliquis vero ejuſdem Regis annis nullum omnino Concilium eſſe habitum fidenter affirmo; novi enim ingenium Præſulum Hiſpanorum, qui nihil umquam momenti decreverunt, quod non ſemel, aut ſæpe duxerint confirmandum. Ecquis autem non ſentit ſuppoſitionem, interpolationemve in illa Archiepiſcoporum liberaliſſima commemoratione? Alios ſiquidem Archiepiſcopos Hiſpanis notos haud fuiſſe teſtatur eorum Col-

Conc. Tolet. XI. præf.

Collectio veterum Canonum, præter Romanum, Alexandrinum, Antiochenum, Conſtantinopolitanum, Jeroſolymitanum, & Exarchos. At omittantur levia iſta: Eratne Regium jus provincias proprio arbitratu dividere, ſubjicereque huic,ſeu illi Metropolitæ hos, vel illos Epiſcopos? Nonne ſuo loco diximus, auſum Wambanem novos Epiſcopatus contra Canones decernere, deturbatum ſolio eſſe? Nonne Concilium XII. Toletanum ſolo æquat id omne, quod hujuſmodi factum fuerat?

DISSERT. IV. CAP. VIII.

Cod. Vet. Can. lib. 1. tit. 50.

XIX. Præſertim conceſſione ipſa Conc. Tol. XII.

Quod ſi Archiepiſcoporum illa nomina & ſubſcriptiones, ut æquum eſt, abjiciamus, non video, cur Quiricus Primatis jure utens in decernendo ea, quæ Metropolitas omnes Hiſpaniarum ſpectabant, notitiam Eccleſiarum omnium, quæ ad unamquamque Metropolim pertinebant, digerere, omniumque oculis ſubjicere non potuerit, ut nimirum ſua quiſque jura noſſet, eaque non præteriret impune. Wambani autem tribui notitiam illam, quippe qui tunc temporis regnabat, nec novum, neque inauditum eſt. Nam Principibus ſolenne erat apud veteres,neque obſoletum eſt noſtro ævo, ea committere, vel adſcribere, quæ in Eccleſia indigent ipſorum opera, ſeu conſilio. At redeamus ad argumentum certum Toletani Primatus ante duodecimi Concilii decretum. Utebatur igitur Quiricus Primatus jure curam gerens eorum, quæ univerſas Hiſpaniarum Eccleſias attigebant, ſuæque in provinciæ Concilio decernens quæ ubique ſervari oportebat: Concilio præſediſſet Nationali, ſi eſſet habitum ſuo ævo: ac Romani Pontificis accedente conſenſu ſuam exercuiſſet juriſdictionem tota Hiſpania, niſi, eodem inſcio, ſupremum diem obiiſſet. Certiſſimæ huic ſententiæ fidem addit Nationale Concilium Toletan. XII; namque, ut docet allatus Canon, privilegium id ſolum conceſſit Juliano, ut cujuſvis provinciæ conſecraret Epiſcopos, ſalvis Metropolitarum juribus; quod ſane agendi genus num ſit Primatem inſtituere, appello fidem Eruditorum omnium, præcipue Joannis Morini,& Ludovici Thomaſſini,quorum uterque recte licet affirment,dubitari non poſſe de Toletano Primatu; hunc nihilominus antiquiorem eſſe negant Concilio iſto Toletano XII. quam rem nihil attinebat, ut teſtarentur, cuicumque enim apertiſſimam ſententiam explanandam ſuſceperunt. Equidem egiſſe actum dicerer, ſi aut enarrandis iis, quæ poſt Concilium illud evenerunt, immorarer, quum nihil explicatius, nihilque magis obvium ſit apud Recentiores; aut Primatum hunc Toletanum perinde certum, atque Africanum, qui

duo

Digitized by Google

DISSERT. IV. CAP. VIII. duo ſoli toto in Occidente vere Primatus dici, & haberi debent, pluribus confirmandum crederem. Unum deerat, ut, quemadmodum natura quam ſimillimum demonſtravi Carthaginenſi Primatui, ita certa patefacta origine, quaſi mancam non relinquerem comparationem, qua eum cum Conſtantinopolitano Patriarchatu jure contuli, magno eo nimirum ſervato diſcrimine, quod Patriarchatum excitarunt ambitio & audacia Præſulum, favorque & gratia Cæſarum; Primatum vero Toletanum ſumma Regum religio, & in Eccleſiam ſtudium ardens, necnon ſanctitas, & concordia ſumma Epiſcoporum Hiſpaniæ. Quid vero? Ante Primatum Quirici incerta omnia; nec potior mihi occurrit origo eâ, quam tradidi. Reliquum modo eſt, ut expediam quid de ejus inſtauratione, ſive nova inſtitutione ſentiendum putem.

XX. Poſt Saracenos expulſos fit primatus novi generis.

Novam recte inſtitutionem appello Toletani Primatus inſtaurationem poſt quatuor fere ſecula, per quæ regia urbs Toletum ſub jugo Maurorum jacuerat. Longe enim alia emerſit Eccleſia Hiſpana ab ea, quam hucuſque deſcripſimus: raritas Chriſtianorum, Cleri vix aliquot rudimenta, Epiſcoporum defectus, ex integro fundandam potius, quam inſtaurandam inibi Eccleſiam perſuaſiſſent; niſi ſumma Catholicorum Regum pietas, maximumque cum primis eorum commercium cum Romanis Pontificibus inſtaurationi planiorem viam patefeciſſent. Ea vero fuit Toletanum Archiepiſcopum Primatem conſtituere totius Hiſpaniæ; ita ut, ſalvis Metropolitarum privilegiis, late per omnes provincias tum barbaris ereptas, tum eripiendas, pateret ejus autoritas. Optimum ſane conſilium, niſi cauſæ, quas capitis principio attuli, quamdam veluti vim feciſſent Romano Pontifici Urbano inſtauratori hujus Primatus, ut Apoſtolici Vicariatus naturam induceret, ac proinde inſtitueret Toleti eam ipſam dignitatem, qua olim Hiſpalenſes duo Præſules, atque unus Illicitanus conſpicui fuerant. Quod potuerunt Romani Pontifices, perpetuum hunc Vicariatum in ea Sede eſſe decreverunt, ut olim Theſſalonicæ. Et ſane omnes Innocentii III. Prædeceſſores poſt Urbanum II. 122. annorum ſpatio, aut expreſſe uni eidemque Epiſcopo dignitatem confirmarunt, aut ſemel alicui confirmatam, fruſtra ſe torquentibus Metropolitis cæteris, non abſtulerunt. Idem vero Innocentius *anno* 1209, Thomaſſini utar verbis, *novis reſcriptis vallavit Primatum Toletanum per Hiſpaniarum Regna teſtificatus, ſe Prædeceſſorum legere veſtigia,* *quo-*

De benef. P. 1. *l.* 1. *c.* 38.

quorum nomina ſaltem decem recenſet. Notandum hîc obiter, quod ſequiori hac ætate, quum Eccleſiam moderabatur Innocentius III. ſecerni amplius non poterat Primatus a Vicariatu; nam idem Innocentius, qui exemplo Prædeceſſorum ſe moveri ait, ac proinde Vicarium confirmat Toletanum, in Privilegio ſemper Primatem appellat; & Theſſalonicenſem Vicarium, qui ſuo ævo a longo ſchiſmate emerſit, palam declarat Primatem, & Legatum Sedis Apoſtolicæ. Quin etiam illuſtre illud nomen Patriarchæ tunc temporis cum Primate confundebatur. Teſte utor Innocentio eodem in Privilegio ad Trinovitanum Archiepiſcopum, quem Bulgariæ, & Blachiæ Primatem inſtituit: *Fraternitatem tuam*, inquit, *ſcire volentes, quod apud nos hæc duo nomina, Primas & Patriarcha, pene penitus idem ſonant, quum Patriarchæ & Primates teneant unam formam, licet eorum nomina ſint diverſa*. Deinde ſerio agens de ſucceſſione: *Conſecratus vero*, proſequitur, *ad Sedem Apoſtolicam Nuntios ſuos mittat, palleum de corpore beati Petri ſumtum, inſigne videlicet plenitudinis Pontificalis officii petituros; in cujus ſuſceptione juramentum illud nobis, & Succeſſoribus noſtris, & Eccleſiæ Romanæ præſtabit, quod alii Primates, & Metropolitani ſecundum generalem conſuetudinem nobis præſtant, & tu ipſe in ſuſceptione pallei præſtitiſti*. Enimvero deſueverant tot illa Capita, quæ Eccleſias longe diſſitas, connivente Chriſti Vicario, inter difficultates temporum ſuo arbitratu adminiſtrabant: unamque ad Apoſtolicam Sedem veluti ad fontem undique conveniebant qualibet præfulgentes dignitate Epiſcopi, ut quarto, quintove ſeculo nequicquam optarunt fieri tot inter rerum turbines Romani Pontifices.

DISSERT. IV. CAP. VIII.

Innoc. III. Reg. 15. ep. 18.

Id. geſt. n. 76.

XXI. Ita enim ferebat Eccleſiæ diſciplina mutata

Ex his, quæ breviter, obiterque attigi, quippe quæ citra meum inſtitutum ſunt, evidens fore arbitror, quod inani anguntur labore ii, qui Primatum Toletanum poſtliminio revocatum autumant, ipſiſſimum nempe illum, qui Gothorum ævo aliquandiu viguit, ut eſt demonſtratum. Quid? Diſciplina Eccleſiæ omnis mutanda erat, ut uni aſſereretur Epiſcopo illa autoritas, quam ante annos quadringentos multa ob alia capita, præter Apoſtolicam autoritatem obtinuerat? de Romani Pontificis, non dicam ſuprema ſeu Pontificia, ſed Patriarchali poteſtate, quieſcentibus tandem impedimentis, explicata per occidentem, quid detrahendum erat, ut genus adminiſtrandi Eccleſiam ab Apoſtolica Sede non conſtitutum, ſed toleratum, nulla amplius ne-

DISSERT. IV. CAP. VIII. neceſſitate urgente inſtauraretur in Hiſpania, dum Gallia, Anglia, Germania novis, melioribuſque inſtitutis regebantur? Nec vero quæſtiones tam immodicæ opus ſunt ad recentioris hujus Primatus naturam cognoſcendam. Simplex ac nuda Urbani inſti-

Urb. II. Bulla. tutoris ſententia eam patefacit: *Pallium tibi*, inquit, *Frater Venerab. Bernarde ex Apoſtolorum Petri & Pauli benedictione contradimus: plenitudinem ſcilicet ſacerdotalis dignitatis, teque (ſicut ejuſdem urbis antiquitus conſtat extitiſſe Pontifices) in totis Hiſpaniarum regnis Primatem privilegii noſtri ſanctione ſtatuimus. Pallio itaque in Miſſarum celebration. &c.* Primatus igitur hic novus, ante etiam quam Apoſtolici Vicariatus naturam indueret, minime emerſit cum antiqua illa præeminentia, qua ſolus poſt Africanum efferebatur in Occidente: ſed more aliorum Primatuum, quos ſilentii illius tempore Pontifices Romani excitarunt, per Sacrum Pallium confirmabatur ab Apoſtolica Sede, cui ſubjectionem, & obedientiam ſacramento promittere tenebatur juxta formam libri diurni Pontificum ſatis notam. Juriſdictioni eidem ſuos præſcribit limites: *Primatem*, ajens, *te univerſi Hiſpaniarum Præſules reſpiciant, ad te inter eos, ſi quod quæſtione dignum exortum fuerit, referatur. Salva tamen Roman. autoritate Eccleſiæ, & Metropolitanorum privilegiis ſingulorum*: ita ut ne minimum quidem læderet Metropolitanum jura, nec ſibi uſurparet quæ ad S. Sedem jampridem fuerant devoluta. Satis quidem ea ſunt ad conſtituendum Primatem; haud tamen ſatis ſunt ad priſcam illam autoritatem inſtaurandam, quam ſeptimo ſeculo admirabamur Toleti. Cæterum quæcumque uſque ad hunc diem ſunt allata ad Toletanum hunc Primatum deſtruendum, aut ſaltem labefactandum, leviſſimo hærent fundamento. Id libere ac fidenter affirmo, meamque in opinionem pedibus itum iri confido, ubi ſerio animadvertatur, quod quæcumque prætenduntur argumenta, aut ex conjecturis ſunt petita, aut ex inexplorata Hiſpaniarum antiquitate. Quam non nego deinceps alicui planiorem fore, quam mihi fuerit: id tamen affirmo, quod primus ego veſtigiis certis inhæſi, mihique hanc gloriam ipſe tribuo, quam nulli ereptam ſcio. Pergo ad diſſertationes reliquas conficiendo operi valdequam neceſſarias.

DIS-

DISSERTATIO V.

De Sacri Pallii antiqua & nova diſciplina.

C A P U T I.

De Pallio miſſo ad S. Leandrum Hiſpalenſem Epiſcopum a S. Gregorio Magno.

QUAMQUAM de rebus Hiſpaniæ omnibus tum ſacris tum civilibus diſſeruerim, ab inſtaurata inibi Catholica religione uſque ad Saracenorum invaſionem; tamen tribus reliquis diſſertationibus, præcipuum argumentum præbet vetus Hiſpania. Materia earum ſiquidem patebit latius; ſed quidquid aliunde petitum erit, id omne arbitror aut Hiſpanis illuſtrandis rebus, aut iiſdem confirmandis accommodatum fore. Eapropter diſputare primum inſtituens de Sacro Pallio, materia certe ampliſſima, multiſque a clariſſimis viris pertractata, in ipſo limine haud polliceor de ſacro hoc indumento me eſſe generaliter loquuturum; ſed de uno illo, quod S. Leandro Hiſpalenſi Metropolitæ a S. Gregorio Magno miſſum eſſe, hiſtoria omni teſte certum ſcimus. Quid vero? Pallii ejuſdem naturam, ac diſciplinam aſſequi poteſt nemo, quin generalem illius conſuetudinem, variamque diſciplinam perſpectam habeat. Hanc autem ab ævo ipſius Gregorii repetitam, ac per S. Leandri Pallium explicatiſſimam legentium oculis ſubjicere certum deliberatumque habeo. Neque id fieri per me poteſt, niſi cauſæ numerando recenſeantur, ob quas Leandrum tali honore dignatus eſt Gregorius. Quamobrem harum præcipuam, conſuetudinem nimirum, quæ illi cum S. Pontifice interceſſit Conſtantinopoli, & uſque ad ſupremum diem perſeveravit, quam fieri poſſit brevius, explorari oportet, ratione cum primis habita rerum & temporum, quippe quibus non ſolum diſſertatio hæc de Pallio, ſed altera etiam ſequens de Monaſteriis, maxime inhærebunt. Profectio igitur, mora, reditusque Gregorii & Leandri, quæ mox ſtabilientur, tum diligenter attendi debent, ut Pallii

I. Proludium.

Digitized by Google

DISSERT. V. CAP. I.

ad Leandrum miſſi habeantur cauſæ & tempus ; tum memoria cuſtodiri, ut Monaſtica inſtitutio Hiſpaniarum, contra alias aliorum opiniones, omnino diverſa habeatur a Regula S. Benedicti. Quæ duo luce ipſa clarius, perſpecta erunt, niſi ego fallor, ex ſola hujus hiſtoriæ parte, quam data opera huc rejeci, quum ſeptimi ſeculi Eccleſiam in Hiſpaniis conſiderabam ; utquumque aliquid viderem lucis deeſſe Eccleſiæ rebus a S. Leandro inſtauratis, niſi plenus de eodem ſermo haberetur. A Gregorio igitur initium ſumam, utpote quem Leander Conſtantinopoli degentem invenit, , quum eo eſt profectus, indeque recedens Apocriſarii adhuc munere fungentem reliquit.

II. S. Gregorius proficiſcitur Cpolim an. 581

Gregorium Romanæ Eccleſiæ Diaconum non eſſe ornatum Apocriſarii munere a Summo Pontifice Pelagio II. citra annum 581. colligitur ex vita ejuſdem Gregorii ſcripta ab Autore ſynchrono, qui agens de Eutychii hæreſi ab Apocriſario, vixdum emergebat, extincta, *juvante*, inquit, *piiſſimo Imperatore Tiberio Conſtantino*. Quum enim Tiberius occubuerit mortem die 14. menſis Auguſti anno 582. & quatuor ante eum menſibus Eutychius ; dubitari non poteſt, quin controverſia, quam ipſe Gregorius longam appellat, anno minimum ſuperiori cœpta ſit, ut diſſertiſſime oſtendit Card. Noriſius. Quamobrem de Gregorii profectu non agam pluribus. Secus eſt de ejuſdem reditu in Urbem, ſive ut melius dicam de anno, quo Apocriſarii munus deſiit, quam rem doctiſſimus Cardinalis nuper laudatus neglexit diſquirere. Antonius enim Pagius, cujus opinio paſſim obtinuit, rediiſſe Gregorium autumat ſub finem anni 584. aut ſequentis initio. Verba ejus recito : *Epiſtola enim*, inquit, *Pelagii II. Papæ ad eum ſcripta, & a Baronio num. 15. & ſeq. recitata, quæ data dicitur IV. nonas Octobris Indict. III. currenti ſcilicet anno, mentionem facit cujuſdam presbyteri, quem ad ſe confeſtim mitti Pelagius petit. Is presbyter erat Maximianus, cum quo S. Gregorium Romam rediiſſe teſtatur Joannes Diaconus in ejus vita lib. 1. cap. 33.* Innata ſcilicet definiendi de rebus libertate utitur ; nil penſi habens, vera ſint necne quæ definit. Hancque, ut verum fatear, caſtigationem qua in Baronium utitur, leviſſimam quiſque habeat neceſſe eſt : ubi enim dubitanter ille affirmat de Joanne Diacono : *S. Gregorium Conſtantinopoli Romam rediiſſe videtur aſſerere* : contra hic eum rediiſſe pro certo habet, nullo alio autore, præter Diaconum; quaſi vero perſpicacior Baronio unius ejuſdemque Scriptoris ſententiam ſit aſſequutus. Quid autem multis

Bolland. A. SS. ad. 12. Mart.

De Syn. v. c. 9. §. 3.

A. Pag. a. 584. n. 13.

multis? Suam ipſe Diaconus cauſam dicet, ut pateat num Pagius veret? DISSERT. V. CAP. I.

III. De ejus reditu opiniones variæ.

Joannes Diaconus iiſdem utens verbis, quibus Anonymus nuper laudatus, narrat Gregorii triumphum de Eutychio; deinde illius diligentiam commendat in demandato ei munere apud Aulam c. 4. *nu.* 31. cujus rei affert teſtes Pelagii epiſtolas, quas ſuo ævo ſervari ait in ſcrinio S. Sedis. Ex iis unam, ipſiſſimam nempe illam recitat, quam legit Pagius. Exaggerat in ea Pontifex calamitates Italiæ, quibus nempe erat obnoxia dum, Langobardis ſine Rege per annos decem tyrannidem exercentibus, omnia peſſumibant: cum quo concinit ſcriptor æqualis temporũ: *Spoliatis*, ajens, *Eccleſiis, ſacerdotibus interfectis, civitatibus ſubrutis, populiſque, qui more ſegetum excreverant, extinctis &c.* Deque iis calamitatibus cum eo colloquuturos ſignificat Honoratum Notarium, & Sebaſtianum Epiſcopos ad eum miſſos. Præcipue vero Gregorium orat, & obteſtatur, ut una cum Legatis de re agat apud Imperatorem: *Loquimini ergo*, inquit, *& tractate pariter, quomodo noſtris celeriter poſſitis ſubvenire periculis*. Eademque in iſta Epiſtola, quod notari cum primis velim, hæc ſcribit Pelagius: *Presbyterum autem ad nos tranſmittere, Deo juvante, feſtina; quia & in Monaſterio tuo, & in opere, cui eum præpoſuimus, neceſſarius eſſe omnino cognoſcitur*. Hunc ſane presbyterum eſſe Maximianum haud diſcimus doctore Pagio, ſed Gregorius ipſe, atque Joannes Diaconus uberrimi jampridem teſtes nos monuerant. Diaconus ſiquidem refert, quod Maximianus iſte Conſtantinopolim profectus erat cum fratribus *viſitationis gratia ad Gregorium in ejuſdem regiæ urbis palatio pro reſponſis Eccleſiaſticis deſudantem*, eumque magno miraculo non periiſſe cum ſociis reducem in Adriatico mari. Gregorius autem de re ita loquitur: *Dum juſſione Pontificis mei in Cp. urbis palatio reſponſis Eccleſiaſticis deſervirem, illuc ad me idem Ven. Maximianus, caritate exigente, cum fratribus venit. Qui quum ad Monaſterium meum Romam rediret, in mari Adriatico nimia tempeſtate deprehenſus ..... Ex qua exierunt omnes incolumes, qui cum prædicto Ven. viro Maximiano navigabant. Qumque poſt eos ipſe quoque fuiſſet egreſſus, mox in ejuſdem portus profundum navis demerſa eſt*. Itaque Joannes Diaconus tum male viſus eſt Baronio rem aſſerere quam neque affirmat, neque affirmare potuit; tum falſo appellatur teſtis a Pagio in re quam manifeſte falſi arguit Gre-

P. Diac. Hiſt. Lang. l. 2. c. 32.

Dial. l. 3. c. 36.

DISSERT. V. CAP. I.

Gregorius, narrans Maximiani iter, pericula, incolumitatem, quorum compotes extitiſſe illius ſocios fatetur; ſe autem inter eos non recenſens, quia res momenti tractaturus Conſtantinopoli, cum Epiſcopis a Pelagio miſſis verſabatur.

IV. Rediiſſe videtur Romam an. 587. exeunte, aut ſeq. initio.

Perſpicaciores Pagio fuiſſe mihi videntur Maurini Patres; nam Baronio adverſantur acutius, non adoptantes ejus conjecturam, ſed rejicientes, ac Gregorii moram protrahentes citra imperium Tiberii. Docent ii ſcilicet, Romanos Pontifices non conſueviſſe novo cuivis Imperatori novum Apocriſarium mittere: deinde plures congerunt cauſas diuturnioris moræ, quarum præcipuam recte putant fuiſſe, quod Gregorius Leandri Hiſpalenſis, & Monachorum ſuaſu Moralia ibidem in libros Job elucubravit, opus, eorum judicio, plurium aunorum. Huc accedit, quod Leandri adventus Conſtantinopolim pugnat, ut videbimus paulo infra, cum affirmatis Pagii. Hic tantum moneo, quod Leander, quum perrexit Conſtantinopolim, jam erat Epiſcopus, teſtemque habemus æqualem illius ævi S. Licinianum Carthaginenſem Præſulem in literis ad Gregorium alibi laudatis: *Leander Epiſcopus Spalenſis remeans de urbe regia vidit nos præteriens, qui dixit nobis habere homilias a veſtra beatitudine editas de libro S. Job*. Eaſdem vero homilias ſe feciſſe aut ſuadente Leandro, aut certe Conſtantinopoli degente, ipſe Gregorius teſtatur: *Quod mihi*, ajens, *de te dictavit caritas, feci; ut librum Regulæ Paſtoralis, quam in Epiſcopatus mei exordio ſcripſi, & libros, quos in expoſitionem beati Job jamdudum me feciſſe cognoviſti, ſanctitati tuæ cum communi filio Probino presbytero veniente tranſmitterem*. De Gregorii autem reditu nihil certum Maurini afferunt, tametſi minime dubium eſſe debeat, quin anno 588. Gregorii ſucceſſor Laurentius Apocriſarii fungeretur officio. Quum enim Conſtantinopoli habebatur Concilium contra Gregorium Patriarcham Antiochenum, Junio videlicet menſe prædicti anni, ut doctiſſime Card. Noris, & Antonius Pagius contra Baronium, & Valeſium oſtendunt, erat in Aula Principis Laurentius, qui a Pelagio fuit prohibitus cum iis Epiſcopis communicare. Idque integer teſtis affirmat Gregorius Pelagii ſucceſſor, Joannem Conſtantinopolitanum his verbis compellans: *Hac de re ſa. me. deceſſoris mei Pelagii gravia ad ſanctitatem veſtram ſcripta tranſmiſſa ſunt. In quibus ſynodi, quæ apud vos de fratris quondam, & Conſacerdotis noſtri Gregorii cauſa congregata eſt, propter nefan-*

PP. S. Maur. in Gregor. Vit. lib. 1. c. 5.

Regeſt. lib. 4. ep. 46.

Nor. de epoch. Syrom. diſſ. 3. c. 6. p. 140. Pag. a. 588. n. 4.

Regeſt. lib. 4. ep. 38.

fundum elationis vocabulum acta diſſolvit, & *Archidiaconum*, *quem juxta morem ad veſtigia Dominorum tranſmiſerat*, *miſſarum vobiſcum ſolennia celebrare prohibuit*. Profecto ea verba, *quem tranſmiſerat*, indicium mihi aliquod præbent, cur Laurentium paulo ante eſſe miſſum putem, quem quippe Apocriſarium non appellat, quaſi nondum eo munere fungeretur. Attamen conjecturis hiſce ſpretis pro certo haberi poſſe arbitror, quod vel ineunte eodem anno 588. vel ſuperiori exeunte, & Laurentius Conſtantinopolim, & Gregorius Romam pervenerunt. Lucis aliquid meæ opinioni arbitror acceſſurum ex Sancti Leandri Chronologia, quam mox expedio, utpote ad perſequenda cætera neceſſariam. DISSERT. V. CAP. I.

V. S. Leandri res ex S. Hermenegildi hiſtoria.

Leandri profectio Conſtantinopolim (nequicquam civilium rerum amantiores, quam Eccleſiaſticarum, repugnant) ſolam ad cauſam Catholicæ fidei inſtaurandæ referri debet. Luculentior Gregorio teſtis deſiderari non poteſt: *Quum me*, inquit, *illic ſedis Apoſtolicæ reſponſa conſtringerent*, & *te illuc injuncta pro cauſis fidei Wiſigothorum legatio perduxiſſet*. Quamobrem profectionis, ſeu legationis hujus ætatem, certiſſime conſtituendam intra id temporis, quum Gregorium Conſtantinopoli degiſſe vidimus, tenere poteſt nemo, quin cauſas illas fidei exploret in Hiſpaniis. Neque operoſum id quidem erit; namque ex S. Hermenegildi Reccaredi fratris hiſtoria ducendæ eædem ſunt. Hunc una cum fratre in conſortium Regni adſcivit Leovigildus, eique ut natu majori Regiis nuptiis comparatis Regni partem adminiſtrandam credidit. Hiſpalis Principum ſedes facta eſt. *Ad quam* (urbem) *quum abiſſent*, verbis utor coævi ſcriptoris, *capit Ingundis prædicare viro ſuo*, *ut relicta hæreſis fallacia Catholicæ fidei veritatem agnoſceret*. *Quod ille diu refutans*, *tandem commotus ad ejus prædicationem*, *converſus eſt ad legem catholicam*. Sanctæ huic Reginæ, ut Franci Chrotildi, & Theodolindæ Langobardi, Hiſpani primordia ſuæ converſionis referunt accepta. Ingundis autem opus perfecit S. Leander; quod teſtatur Gregorius: *Sicut multorum*, ajens, *qui ab Hiſpaniarum partibus veniunt*, *relatione cognovimus*, *nuper Ermigildus Rex Livigildi Regis Wiſigothorum filius ab Ariana hæreſi ad Fidem Catholicam*, *viro reverentiſſimo Leandro Iſpalitano Epiſcopo dudum mihi in amicitiis familiariter juncto prædicante*, *converſus eſt*. Hac quidem de re altum ſilet S. Iſidorus, quotieſqumque de fratre ſermonem habet.

Regeſt. lib. 4. ep. 46.

Greg. Turon. H. Fr. l. 5. c. 39.

Dial. l. 3. c. 31.

DISSERT. V. CAP. I.

bet. Non tamen ſilet de Hermenegildi defectione a Rege parente; eaque propter de Tiberio Imperatore loquens, *Gothi*, ait,

S.Iſid. Chron.

per Hermenegildum Leovigildi Regis filium bifarie diviſi mutua cæde vaſtantur. Et alibi: *Hermenegildum deinde imperiis ſuis*

Id.Chron.Goth. er.608.

tyrannizantem obſeſſum exſuperavit. Cui adſtipulatur antiquioris ſcriptoris autoritas, Joannis videlicet Biclarenſis, in cujus

Jo: Bicl. Chron.

oculis hæc fiebant. *Leonegildus Rex*, inquit, *civitatem Hiſpalenſem congregato exercitu obſidet, & rebellem filium gravi obſidione concludit*. Et eſt notandum, quod S. Leander Hiſpalenſem Cathedram non aſcendit, niſi poſt biennium, nam Biclarenſis nuper relata illigat cum anno 1. Mauritii, hujuſque anno 3. Epiſcopatum Leandri memorat: *Leander Hiſpalenſis Eccleſiæ Epiſcopus clarus habetur*. Hinc tamen nihil adverſus Sanctum Gregorium evincitur; nam opus ab Ingunde cæptum perfecerit Leander adhuc Monachus, quem Gregorius non novit niſi Epiſcopum, nec ratio erat, cur prædicaſſe eum diceret ante Epiſcopatum. Cæterum defectio Hermenegildi (haud dubie religionis gratia) eidem peperit privationem Regni, carcerem, ac demum cædem, de quibus uberrime agit Gregorius in laudato Dialogo. Incertum, num cauſa Hermenegildi Leander Conſtantipolim ſe contulerit. Id certum eſt, quod genera-

S.Iſid. ubi ſup.

les Fidei cauſæ acceſſerunt, quas S. Iſidorus recenſet: *Iniqua*, ajens, *perfidia furore repletus* (Leovigildus) *in Catholicos perſecutione commota plurimos Epiſcoporum exilio relegavit, Eccleſiarum reditus & privilegia tulit, &c.* Quandonam autem Leander eo ſit profectus, mox patebit.

VI.

Ætas Epiſcopatus S. Leandri, & profectio Cp. an. 584. & ſeq.

S. Leandrum non eſſe profectum Conſtantinopolim, niſi poſtquam fuit ordinatus Epiſcopus, compertum exploratumque eſt tum ex S. Gregorii, tum ex Liciniani laudatis epiſtolis. Eumdemque ſacris Infulis ornatum non fuiſſe ante annum tertium Mauritii, qui incipit a die 14. Auguſti menſis anni 584. luculenter teſtatur Joannes Biclarenſis. Quum vero legatio iſta coincidat cum perſecutione Catholicorum, quam refert S. Iſidorus, accedentibus præterea cauſis aliis, quæ diſceſſiſſe eum evincunt prædicto anno, ac cum primis Hermenegildi Martyrio, de quo ne verbum quidem cum Gregorio habuit, nam prævidere illud non poterat; nullus ego dubito, quin paulo poſt ſuam ordinationem una cum aliis in exilium ſit pulſus. Neque alio

S.Iſid. lib. Vir. Ill. cap. 41.

quam exilii nomine appellatur ab Iſidoro ea, quæ apud Gregorium Legatio audit. *In exilii ſui*, inquit, *peregrinatione compoſuit*

poſuit duos adverſus hæreticorum dogmata libros eruditione ſacrarum ſcripturarum ditiſſimos, in quibus vehementi ſtilo Arianæ impietatis confodit, atque detegit pravitatem. Quæ quidem illos eludunt, qui Romani militis in Hiſpaniarum limite conſtituti immemores, remota & incerta volunt petita auxilia per Leandrum ab Imperatore tot diſtracto certaminibus: quem prætcrea tanta Italiæ parte ſpoliatum Langobardi, gens immitis, vexabant quotidie; ita ut alienæ opis indigentior, quam largitor ſuæ ipſius videretur. Parum autem refert, exiliumne, an legationem appellemus Leandri profectum Conſtantinopolim. Id certum atque ratum haberi oportet, quod Leander non eſt factus Epiſcopus ante annum 584. nam præter teſtimonium Biclarenſis, S. Iſidorus de fratre loquens: *Floruit*, inquit, *ſub Reccaredo viro glorioſo, cujus etiam temporibus mirabili obitu vitæ terminum clauſit*. Nec pugnare eum putes cum Biclarenſi, eo quod Reccaredus regnare orſus non ſit, niſi anno 586. Nam ex Biclarenſi eodem conſtat, quod poſtquam Hermenegildo ademtum eſt Regnum, unus Reccaredus conſors Regni erat, Rexque appellabatur patre ſuperſtite. En ipſa ejus verba referentis victoriam a novo Rege partam juſſu patris: *Quod Reccaredus Rex fortiſſima pugna aggreſſus, obtinuit*. Quamobrem utroque horum ſcriptorum docente, ætatem Epiſcopatus S. Leandri cum anno 584. conjungo poſt diem 14. Auguſti, quum Mauritii tertius incipit; qui annus ſcilicet eſt noviſſimus Regni Suevorum, ut conſtat ex eorum hiſtoria a S. Iſidoro conſcripta, qui manſiſſe eorum Regnum ait annos 177. puta incompletos, nam anno tantum 409. ingreſſi in Hiſpaniam erant, ut communis opinio eſt: idem quippe annus tertius excurrit uſque ad Auguſtum menſem anni 585. quum Iſidoriani illi 177. complentur. Nec perfunctorie indicaſſe me quis credat Suevici Regni finem; nam perſecutio Catholicorum Hiſpaniæ illum ſequitur. Idque eſt evidens tum ex Iſidoro, tum ex Biclarenſi, qui ſcribendi genere utens perquam brevi, ut decet Chronologum, Regni Suevorum finem, deinde necem Hermenegildi recenſet. Hanc vero illi eſſe inlatam die 25. Martii, quicum paſcha incidebat ann. 585. teſtis eſt S. Gregorius: *Superveniente autem Paſchalis feſtivitatis die, intempeſtæ noctis ſilentio ad eum perfidus pater Arianum Epiſcopum miſit, ut ex ejus manu ſacrilegæ conſecrationis communionem perciperet, atque per hoc ad patris gratiam redire mereretur .... Ad ſe itaque reverſo Epiſcopo Arianus pater*

DISSERT. V. CAP. I.

Idem ibi.

Jo. Biclar. Chro.

S. Greg. Dial. l. 3. c. 31.

DISSERT. V. CAP. I. *infremuit, ſtatimque ſuos apparitores miſit, qui conſtantiſſimum confeſſorem Dei illic, ubi jacebat, occiderent*. Quare ante menſis Martii prædictam diem Leovigildus Gallæciæ Regnum, Catholicoſque inſectari cœperat, ac proinde Leander Conſtantinopolim erat profectus, incertum quo, cujuſve potiſſimum conſilio.

VII. Redit Cpoli anno 586. exeunte vel ſeq. initio.

Septem omnino menſes excurrunt anni tertii Mauritii a die 14. Auguſti 584. ad diem 25. Martii 585. intra quod temporis ſpatium Leandri ordinationem, ejuſque profectum permcommode collocamus, ab æqualibus ejus ævi ſcriptoribus ne minimum quidem recedendo. Henſchenius & Cointius illecti Natali die S. Hermenegildi qui eſt 13. Aprilis, martyrium ejus ad annum differunt 586. quum Paſcha erat die ſequenti. Mihi vero conſtat cum Pagio contendente, quod dies Natales Martyrum argumenta ſunt minus firma ad eruendos dies emortuales. Quî enim differam hoc martyrium ad anni 586. Aprilem menſem, ſi eodem eſſe mortuum Leovigildum doceor a Biclarenſi? Scriptor hic integerrimus, in cujus oculis fiebant quæ poſterorum memoriæ commendabat, anno quarto Mauritii, qui incipit die 14. Auguſti an. 585. *Hoc anno*, inquit, *Leonegildus Rex diem clauſit extremum, & filius ejus Reccaredus in tranquillitate Regni ejus ſumit ſceptra*. Anno autem ſequenti, qui uſque ad diem 14. Auguſti 587. excurrit, teſtatur Reccaredum decimo menſe Regni ſui amplexum eſſe Catholicam fidem. Reccaredum vero regnare orſum eſſe paulo ante menſem Majum anni 586. ex Conciliis eruitur; eaque propter intra menſem Aprilem ejuſdem anni & Leovigildi finem, & Reccaredi principium conſtitui oportet: ita ut Februario hic menſe anni 587. amplexus ſit Catholicam fidem. Quæ quum ita ſint, biennium fere integrum tribui poteſt Leandro, quod ſatis ſuperque eſt iis omnibus perficiendis, quæ de eodem referuntur. Neque objiciendus hîc ſubit Gregorii locus de Leovigildi Regio obitu; *Qui oborta ægritudine ad extrema perductus eſt, & Leandro Epiſcopo, quem prius vehementer afflixerat, Richaredum Regem filium ſuum, quem in ſua hæreſi reliquerat, commendare curavit, ut in ipſo quoque talia faceret, qualia & in fratre ſuis exhortationibus feciſſet*. Non enim neceſſe erat, ut Leander adeſſet quum Reccaredum inſtituere jubebatur: multoque eſt credibilius, quod rem admonitus Conſtantinopoli, continuo navim conſcenderit, tanto perfuncturus munere, veliſque ac remis

Pag. Crit. ad an. 584.

Biclar. Chron.

S. Greg. Dial. l. 3. c. 31.

Digitized by Google

mis in Hiſpaniam contenderit, quam brevi ad Catholicam Religionem converſurus erat. Nec ſecus ſuadent Liciniani literæ ſæpius laudatæ; nam uno aut altero verbo admonitum ſe eſſe fatetur a prætervolante Leandro eorum, quæ facta erant Conſtantinopoli: homilias ipſas a S. Gregorio factas in librum Job flagitanti ſibi ne oſtendiſſe quidem queritur. Quam ſane tantam celeritatem nemo omnium tribuat, niſi evocato eidem Conſtantinopoli, ut Regis Leovigildi ultimam voluntatem exequeretur. Hæc quum ita ſint, Leandri profectum, moram Conſtantinopoli, atque in Hiſpanias reditum intra annum 584. & 587. ſpatio illo biennii debere conſtitui pro certo habeo, quatenus rebus tanto a nobis diſſitis intervallo æqua lance libratis conjeci.

VIII. Ibi cum Gregorio maximā conſuetudinem contraxerat.

Multo etiam minori ſpatio temporis habuiſſe opus tum Gregorium, ut ſuas in librum Job homilias elucubraret, tum Leandrum ut perbreves illos libros conficeret adverſus Arianos luculenter teſtatur curta ejus ævi ſuppellex ſacrorum librorum, & quod magis, ſacra dumtaxat biblia ab utroque adhibita. Præterquamquod Gregorii homilias fuiſſe opus indigeſtum, ac præcipiti elaboratum induſtria ipſe Autor de ſe teſtatur: *Ea autem*, inquiens, *quæ in B. Job expoſitionem dicta fuerant, & vobis dirigenda ſcribitis, quia hæc verbis, ſenſibuſque petentibus per homilias direxeram, utquumque, ſtudui in librorum ductum permutare*. Mutuam vero benevolentiam virtutis & induſtriæ ornamenta, Fidei ardor, egregia utriuſque pietas, ſanctiſſimique mores conciliarunt, potiora certe vincula, quam diuturnitas temporis, tametſi plurium conſuetudo menſium confirmandæ amicitiæ aptiſſimum præſidium ſit. Equidem præclaras S. Leandri virtutes reputans nihil miror, quum audio frequenter Gregorium ſuis præſertim in Epiſtolis, tanta de Leandro prædicare, quem ſimplex Levita veneratus erat Epiſcopum Conſtantinopoli: quum vero conjunctionem, ac neceſſitudinem ex ſtudiorum ſimilitudine profectam cogito, rem mihi videor neque novam, neque inuſitatam nactus eſſe; omni ſiquidem ævo præſtantes ſanctitate, & doctrina viros amicitia conjunxit, quod compertum, exploratumque eſt. Ac de Gregorii quidem utraque laude luculentiſſimi, locupletiſſimique teſtes ſunt ejus opera nulli eruditorum ignota. Leandri autem opera neque obvia, nec multa numero, cum Gregorio eum minime comparandum ſuaderent, niſi & idem Pontifex longe ſibi præ-

S. Greg. lib. I. ep. 41.

DISSERT. V. CAP. I. ferendum ſentiret, & clariſſimi illius ævi ſcriptores uberrime teſtarentur, quanti eſſet Leander. De eo ſcilicet ſic S. Iſidorus: *Leander Epiſcopus in Hiſpaniis ad gentis Gothorum converſionem doctrina fidei, & ſcientiarum claruit*. Et alibi: *Vir ſuavis eloquio, ingenio præſtantiſſimus, vita quoque etiam, atque doctrina clariſſimus, ut & fide ejus, atque induſtria populi gentis Gothorum ab Ariana hæreſi ad fidem Catholicam reverterentur*. Cumque Iſidoro concinens Joannes Biclarenſis, Leandrum, cui Monachum Eutropium adjungit ſocium, geſſiſſe ait quæcumque pro revocanda in Hiſpanias Catholica fide acta ſunt: *Summa*, inquit *ſynodalis negotii penes S. Leandrum Hiſpalenſis Eccleſiæ Epiſcopum, & beatiſſimum Eutropium Monaſterii Servitani Abbatem fuit*. Quæ profecto ut ampliſſima, ut ſumma habenda ſint, cum iis nihilominus comparari non debent, quæ de Leandro affirmat Gregorius, ut mox palam fiet, prolatis pro rerum ordine ipſius ſententiis. Id firmum ratumque eſſe omnibus velim, quod nullus tota Hiſpania Epiſcopus morum, doctrinæ, ac virtutis ornamentis erat ea tempeſtate celebris, præter Leandrum. Quam ſane rem Mariana ſimilem eſſe ait miraculo: *Singulari eruditione, morum probitate eximia, neque minori orationis ſuavitate, & elegantia, res eo tempore comparanda miraculo*. Et quidem jure; nam Ariani, ut vidimus omnia peſſum dederant.

S. Iſid. Chr. in Maurit. Id. de Vir. Ill. cap. 41.

Jo. Bicl. Chron.

Jo. Maria. l. 5. cap. 12.

IX. S. Leander obtinet Pallii uſũ a Greg. Magn.

Hæc autem ſingularis Leandri præſtantia, quæ Gregorii S. R. E. Diaconi benevolentiam illi comparavit, ab eodem poſtea Petri Cathedram tenente, inſigne illud obtinuit Indumentum, videlicet ſacrum Pallium, de quo tam multa, & tam veritati contraria ante hunc diem diſputata ſunt. Inficiari non auſim, quod Gregorius ipſe dum Pallium mittit Leandro, teſtatur Reccaredo Regi, motum ſe eſſe aliis etiam cauſis: *Reverentiſſimo autem fratri, ait, & Coepiſcopo noſtro Leandro Pallium a B. Petri Apoſtoli Sede tranſmiſimus, quod & antiquæ conſuetudini, & veſtris moribus, & ejus bonitati, atque gravitati debeamus*. Attamen velim animadverti, quod tum ante ſeptimum ſeculum diſciplina Pallii alia erat ab ea, quæ poſtmodum a Gregorio ipſo inſtituta eſt; tum quas recenſet cauſas Reccaredo, obſequii ac venerationis plenæ quidem ſunt, nonnihil tamen novi præſeferunt, quod diſciplinam illius ævi parum exprimit. Et ſane motum ſe eſſe ait Gregorius antiqua conſuetudine, Regiis moribus, & Leandri virtutibus. Ponamus hîc, tum

Regeſt. lib. 7. ep. 126.

tum Regios mores, tum Leandri virtutes eſſe cauſarum merita, quæ in Gregorii literis frequenter exaggerantur: certe conſuetudo vetus, quam cæpiſſe ineunte ſexto ſeculo oſtendam infra, Pontifice eodem teſte quid plus exigebat, quam cauſas iſtas: exigebat nimirum petitionem Epiſcopi, qui Pallio uti deſiderabat, citra quam concedi non poterat. Quamobrem Gregorius Reginæ Francorum Brunechildi, quæ Pallium petierat pro Siagrio Auguſtodunenſi Epiſcopo optime de Eccleſia merito, luculenter teſtatur, ſe haud poſſe ab inſtituto prædeceſſorum recedere. *Res plurimæ*, inquit, *reſtiterunt, quæ nos hoc interim facere minime permiſerunt. Primum ſiquidem quia is, qui Pallium ipſum venerat accepturus, ſchiſmaticorum tenetur errore implicatus. Deinde quod non id ex veſtra petitione, ſed ex nobis tranſmiſſum voluiſtis intelligi. Extra hoc autem, quia nec is, qui eo uti deſiderat, directa ad nos hoc ſibi largiri ſpeciali petitione popoſcerat, & tantam cauſam nullo modo præbere ſine ejus poſtulatione debuimus, maxime quia & priſca conſuetudo obtinuit, ut honor Palii niſi exigentibus cauſarum meritis, & fortiter poſtulanti dari non debeat. Nos tamen ne veſtræ Excellentiæ deſiderium ſub prætextu cujuſdam excuſationis forſitan videremur velle differre, dilectiſſimo filio noſtro Candido presbytero Pallium prævidimus dirigendum, injungentes ei vice noſtra congrua id debeat obſervatione tribuere. Unde neceſſe eſt, ut ex eo opere ſupraſcriptus frater, & Coepiſcopus noſter Siagrius facta cum aliquantis ſuis Epiſcopis petitione hoc ſperare, atque eam prædicto debeat dare prabytero: quatenus digne ejuſdem pallii uſum cum Dei gratia valeat adipiſci.* Hinc ſane colligimus, quod quantavis veneratione Pontifex proſequeretur Brunechildem, a veteri nullatenus diſciplina voluit recedere, nec Pallium abſque Epiſcopi petitione dandum eſſe conſtanter cenſuit. Nil tamen hujuſmodi de Pallio ad Leandrum miſſo aut dici, aut cogitari debet, ut laudatæ ad Reccaredum literæ oſtendunt, quibuſcum eæ concinunt, quæ uno eodemque tempore ad Leandrum datæ ſunt: *Præterea*, inquit Gregorius, *ex benedictione beati Petri Apoſtolorum Principis Pallium vobis tranſmiſimus ad ſola miſſarum ſolennia utendum. Quo tranſmiſſo, valde debui, qualiter vobis eſſet vivendum admonere. Sed loquutionem ſupprimo, quia verba moribus anteitis.*

Ibid. l. 7. ep. 5.

Id. l. 7. ep. 125.

X. Ejus tamen uſus ignotus erat Hiſpanis.

Superſedeo hîc de Pallii natura dicere; nam infra uberius de

DISSERT. V. CAP. I. de eodem loquar in genere. Id tantum præterire non debeo, quod præclarum adeo munus, atque ornamentum, ſingulari adeo conceſſionis genere in Hiſpanias miſſum (quod unum omnino illuc directum legitur, antequam irruentibus Saracenis Eccleſia illa peſſumiret) prorſus ignotum eo pervenit. Summæ id quidem Gregorii moderationi, & ſi Deo placet, humilitati ejus maximæ tribuendum eſt; Leandro enim, virtutum ejus memor, ne verbum quidem de Sacri Indumenti ingenio facere præ veneratione auſus eſt. Quumque idem Leandro non ſuperſtite illuc perveniſſet cum aliis muneribus, quæ Gregorius tum Regi, tum Leandro tranſmiſerat; nullo diſcrimine & pallium, & claves, & quidquid ex benedictione D. Petri proceſſit, inſtar munerum æſtimatum fuit. Locupletiori teſte non poſſum uti, quam Codice Veterum Canonum „ *De muneribus miſſis*. De directis libris „ Regulæ Paſtoralis. *Ep. Greg. ad Leandr.* De Pallio a D. Petri „ Apoſtoli Sede tranſmiſſo. *Ep. Greg. ad Leandr.* De muneri„ bus B. Petro Apoſtolo a Reccaredo Principe miſſis. *Ep. Greg.* „ *ad Reccared. Regem*. De clave corporis B. Petri, & de cruce „ Domini miſſa, & de Pallio ad Leandrum Epiſcopum directo. „ *Ep. Greg. ad Reccaredum Regem*. Tuam lector fidem. Nulla in Hiſpaniis per ſeptimum ſeculum, quum Collectio iſta Canonum facta eſt, cognitio vel minima pallii Archiepiſcopalis; quod cæteroqui oſtendam infra multis allatis exemplis, tam impenſe a Gallicanis præſertim Epiſcopis, Regia ipſa autoritate interpoſita, flagitatum eſſe. Quin etiam en tibi argumentum perinde firmum ex S. Iſidoro præcipuo ejus collectionis Autore. Diſerte is loquitur de pallio tum virorum, tum mulierum: de ſuperhumerali ſummi Sacerdotis pallio, ſacriſque aliis veſtibus myſtice, & erudite diſputat; de Pallio vero Archiepiſcopali in nullo ex ſuis operibus quicquam affert. Quærere hîc nihil attinet, num Hiſpanorum nullum cum S. Sede commercium, an nulla tunc temporis juriſdictio cum pallio conjuncta iiſdem perſuaſerint, pro munere accipiendum eſſe quod dignitatis inſigne merito habendum erat. Id exploratiſſimum eſt, quod æque decipiuntur ii, qui pallium Leandro miſſum adhibent ad Sedis Hiſpalenſis prærogativam eruendam, atque ii, qui S. etiam Iſidoro tranſmiſſum contendunt; quum neque hic dignitatem ejus noverit, neque Leander, qui eam certe noſſet, erat in vivis, ubi cum aliis muneribus pallium eo pervenit, cumque iiſdem confuſum, velut benevolentiæ, non autoritatis indicium acceptum fuit.

Cod. Vet. Can. lib. 10. t. 7.

Orig. l. 19. capp. 24. 25. In Exodum cap. 41.

Pu-

Puto equidem, omnium neminem a mea receſſurum ſententia, modo evertam illorum opinionem, qui, ut pallium miſſum eſſe oſtendant Leandro ſuperſtiti, loco movent laudatas Gregorii Epiſtolas, nullo quidem jure, nullave ratione ducti; at conjecturis, mihi certe leviſſimis, inhærentes, quas videſis apud Papebrochium ad diem 13. Menſis Martii. Nuperus etiam Scriptor laudatorque immodicus Eccleſiæ Hiſpalenſis in ſententiam hujuſmodi ivit pedibus: incredibile eſſe, ajens, quod Gregorius gratulatus ſit Reccaredo poſt novem annos a ſuſcepta Catholica fide; præterea Leandrum obiiſſe diem ſuum anno 597. quum tamen illæ epiſtolæ ſcriptæ poſt biennium videantur. Quamobrem duo hæc chronologice expendenda eſſe arbitror, nempe literarum ætatem, & emortualem Leandri annum. Ad literas quod attinet, ne Maurini quidem Patres caſtigatores acerrimi operum Gregorii removere illas ſunt auſi ab Indictione II. quæ annum indicat 599. immo ne ab extrema quidem, quam occupant, ſede amovent; ita ut quæ in antiquis editionibus erant 125. & 126. libri ſeptimi, ſint apud Patres S. Mauri 121. & 122. libri noni, Indictione ubique ſecunda declinante. Eaque propter pro certo habeo, quod, tametſi in conjectura remaneat quo potiſſimum menſe ſint datæ, haud dubie aut extremo Julio, aut Auguſto ad ſummum anni 599. Gregorius Leandro pallium tranſmiſit. Cæterum quod recte religio fuerit Maurinis movere eas literas, fidem faciunt ſequentes literæ ejuſdem ſententiæ. Enimvero ſolatur Leandrum Pontifex podagra laborantem, ſe eodem afflictari morbo affirmans: *De podagræ vero*, inquit, *moleſtia Sanctitas veſtra, ut ſcribit, affligitur, cujus dolore aſſiduo & ipſe vehementer attritus ſum*. Hanc Gregorii epiſtolam ſequitur alia ad Reccaredum Regem, quem diligebat quidem Pontifex, at familiaritas cum eo tanta ſibi non erat, ut ſua illi incommoda ſignificaret. Contra vero in epiſtola ſtatim ſequente, quæ eſt ad Italiam Patriciam, & Venantium, ita de ſe loquitur: *Ecce jam undecim menſes ſunt, quod valde rarum eſt, ſi de lecto ſurgere aliquando potuero. Tantis enim podagræ, tantiſque moleſtiarum doloribus premor, ut vita mea mihi graviſſima pœna ſit*. Ac demum in penultima hujus Indictionis Epiſtola ad Maximum Salonitanum, allevari ſe aliquantulum teſtatur eodem morbo: *Hunc*, inquit, *apud me vel paucis diebus immorari dolores crebri mearum ægritudinum compulerunt: at poſtquam meliorari vel modicum cœpi &c.* Ex quibus conſtat liquido, quod vel ſi eæ lite-

te-

DISSERT. V. CAP. I. XI.

Idem mittebatur in Hiſpanias an. 599.

P. Cañas Mem. de la Ygl. de Sevil. n. 72.

S. Gregor. lib. 7. ep. 125.

Id. ibi ep. 127.

Id. ibi ep. 129.

Digitized by Google

DISSERT. V. CAP. I.

teræ evagarentur longius ab Indictione ſecunda, revocandæ ad eamdem eſſent, quippe quæ unius ſententiæ ſunt. Ad conjecturam vero illam leviſſimam quod ſpectat, Gregorium videlicet gratulari Regi, quod Arianiſmum deteſtatus eſſet, venire id certe in mentem non poterat niſi literarum Gregorii prorſus inſcio.

Quid dico literarum inſcio? dixiſſem melius lectori minus navo, ac multo negligentiſſimo unius epiſtolæ interpreti. Ejus ſiquidem non gratulatio argumentum eſt, ſed reſponſum Regiis litteris, gratiarumque actio ob munera D. Petro tranſmiſſa: *Quod vero*, inquit, *tranſmiſſos Abbates, qui oblationem veſtram beato Petro Apoſtolo deferebant, vi maris dicitis fatigatos ex ipſo itinere ad Hiſpanias remeaſſe: non munera veſtra repulſa ſunt, quæ poſtmodum pervenerunt, ſed eorum qui tranſmiſſi fuerant, conſtantia eſt probata*. Quin etiam multo poſt quam Rex ſuſceperat Catholicam fidem datas eſſe eas literas liquet tum ex generali earum ſententia, qua diurno potius actionum uſu cognitus, quam nuper converſus, deſcribitur, tum maxime ex diuturnitate ipſa temporis quam teſtatur Gregorius aliquanto infra: *Item in Anagnoſtico ante longum tempus dulciſſima mihi veſtra Excellentia Neapolitano quodam juvene veniente, mandare curaverat &c.* Quid quod Probinus presbyter anno 595. ſeu indictione XIII. in Hiſpaniam revertebatur Roma? *Ut librum*, ait Gregorius Leandro, *cum communi filio Probino presbytero veniente tranſmitterem*. Idemque, quum Gregorius ſcribebat Reccaredo reverſus in urbem erat: *Crevit de veſtro opere in laudibus Dei hoc quod dilectiſſimo filio meo Probino presbytero narrante cognovi*. Nonne aliquod ſpatium ultro citroque venienti oportet tribui? Quid vero immoror leviſſimis hiſce conjecturis Autoris, qui apud Eruditos parvo, nullove habetur in numero? Quæſtioni modum afferat vera Pontificis gratulatio primo ſui Pontificatus anno, ſeu 591. quum Leandro eximium ſui gaudium teſtabatur his verbis: *Explere loquendo nullatenus valeo gaudium meum, quod communem filium Reccaredum glorioſiſſimum Regem ad Catholicam fidem integerrima agnovi devotione converſum. Hujus dum mihi per ſcripta veſtra mores exprimitis, amare me etiam quem neſcio, feciſtis. Sed quia antiqui hoſtis inſidias ſcitis, quoniam bellum durius contra victores proponit; nunc erga eumdem ſolertius ſanctitas veſtra evigilet, ut bene cœpta perficiat; nec ſe de perfectis bonis operibus extollat, ut fidem cognitam vitæ quoque meritis teneat*. Itaque a conſtanti

Id. ibi ep. 126. *Id. l. 4. ep. 46.* *Id. l. 7. ep. 126.* *Id. l. 1. ep. 41.*

ti omnium editionum, præque aliis Maurinæ teſtimonio recedere non modo audax, ſed etiam ineptum mihi eſſe videtur; rerum quippe cauſæ, & ſententiæ omnino repugnant. Quod ſi nefas iſtud non admittamus, ut Gregorii literæ ab anno 599. removeantur, neceſſario fatendum nobis erit, quod Leander quum temporis Romæ dabantur eæ literæ, ferebanturque in Hiſpaniam una cum ſacro Pallio, ac muneribus, egit animam. Unum hoc probandum mihi reſtat, paucisque mox expedio.

DISSERT. V. CAP. I.

XII. Quum Pallium venit in Hiſp. Leander erat mortuus.

S. Leandri emortualem annum antiquitati acceptum referre nequicquam conarer, germanus ſiquidem S. Iſidorus intra Reccaredi Regnum Fraterno Epiſcopatu conjecto, nihil omnino agit de anno, dieve illius mortis. Sanctuſque Ildefonſus de Iſidoro eodem ſcribens, qui Leandro ſucceſſit: *Floruit*, inquit, *temporibus Reccaredi, Liuvanis, Witterici, Gundemari, Siſebuti, Suinthilani, & Siſenandi Regum annis fere quadraginta tenens Pontificatus bonorem*. Hinc autem patet, quod S. Iſidori Epiſcopatus produci non poteſt citra annum 636. quum Concilium Toletanum V. celebrabatur; tunc enim Chintilanes regnabat anno primo. Et ſane eodem illo anno die quarta menſis Aprilis S. Iſidorum eſſe mortuum ſenſit Henſchenius. At de annorum numero, quos ſediſſe eum tradit Ildefonſus, detraxit aliquid, nec plures 37. illi tribuendos diligentiſſime oſtendit: qua ſuper re nemo arbitror litem illi moveat; non enim quadraginta annos ſolidos, ſed fere quadraginta Iſidoro tribuit Ildefonſus. Quumque idem Leandri mortem, conſtitutam in antiquis Martyrologiis die 27. Februarii, conſignet anno 599. unde ad diem 4. Aprilis 636. ſunt anni 37, menſis, dieſque octo; Henſchenii potius ſententiæ quieſcendum puto, quam alii cuivis, præſertim Papebrochii, qui religionem arbitratus quicquam demere de annis quadraginta, quicquam adjungere non eſt veritus conſignando Leandri mortem cum anno 596. unde ad Aprilem 636. ſunt anni pluſquam quadraginta, quod cum S. Ildefonſi affirmatis pugnat. Nec tamen primus opinionis illius autor eſt Henſchenius, doctiſſimus quippe Onuphrius ante eum id ſenſerat. Quin etiam eruditiſſimus Mabillonius Leandri mortem biennio differt, & Jacobus Breulius ad annum 600. eam refert. Neutri tamen conjicienti adhærendum cenſeo; tum quia quo ſerius conſtituitur Leandri obitus, eo pauciores Iſidoro anni ſunt reliqui; tum præſertim quia Pallium a Gregorio miſſum anno 599. Julio, ad ſummum Auguſto menſe, ante annum 600. haud dubie

De V. Ill. c. 9.

Acta SS. d. 4. Apr. §. 2. n. 4.

Mabillon. Sec. Bened. Breul in opera S. Iſid.

Diſsert. V. Cap. I.

bie in Hiſpanias eſt allatum Leandro jam vita functo; quod ſuadent nullæ amplius S. Viri literæ, &, quod magis, generalis ea inſcitia Hiſpanorum de ſacri hujus Indumenti natura, quam ſupra vidimus. Itaque utquumque nihil certi ex antiquis Scriptoribus Leandri æqualibus ſuppetat de emortuali hujus anno, tamen ope eruditorum tenemus, quod exeunte Februario menſe anni 599. S. Leander explevit ſuæ vitæ curriculum. Atque ea propter admiratio omnis ceſſat, cur Pallii ad Leandrum miſſi non habeamus alios teſtes præter allatas S. Gregorii literas, quemadmodum aliis non ſunt uſi Hiſpani per ſeculum ſeptimum, quum ſacri ejus ornamenti dignitatem neſcientes, inter munera illuc Roma tranſmiſſa rejecerunt tantæ dignitatis inſigne.

XIII. Inſueto more miſſum Palliū, inutiliter in Hiſp. venit.

Neque id mirari aliquem velim, quod nulla præeunte aut Regis, aut Leandri petitione, inſueto prorſus more Pallium iſtud concederetur. Quum præſertim paulo ante Brunechildem monuerit Pontifex concedi Pallium non poſſe abſque petitione; & uno eodemque fere tempore Metropolitæ Salonitano Pallium rite petitum, Gallinici etiam Exarchi autoritate accedente, conceſſerit. Hujuſmodi enim conceſſio neſcio quid ſimile illius habet, quam poſtmodo idem Pontifex fecit Auguſtino Anglorum Apoſtolo; quod ſane agendi genus novæ importat diſciplinæ ingenium, ut planum faciam ſuo loco. Quidni vero? Acceperat Pontifex Reccaredi Regis literas obſequii plenas erga Apoſtolicam Sedem, veræque, & conſtantis fidei argumentum pretioſa munera Apoſtolorum Principi offerenda; tantæque autorem rei certo ſciebat Leandrum eſſe, qui decem ſpatio annorum ab Arianæ hæreſis deteſtatione, & prædicando, & libros conſcribendo nunquam non ſedulam navarat operam, ut quivis ab Hiſpania error eliminaretur. Graviſſimis hiſce cauſis ductus vel non petitum conceſſit Pallium Leandro, quemadmodum haud in multo poſt ſacri ejuſdem ornamenti uſum tribuit Auguſtino Anglorum Apoſtolo, ſpectatis dumtaxat illius meritis, nullo autem rogante, aut petente. Quem ſcilicet ſibi finem propoſuerit Pontifex, planum erit, ubi ad Auguſtini Pallium ordo rerum me ducet. Nunc ſiquidem inſiſtendum mihi eſt iis, quæ tam multa hariolantur homines cæteroqui erudítiſſimi ſuper Pallio ipſo ad Leandrum miſſo, quod manibus jam tenemus directum fuiſſe in Hiſpaniam, Leandro, cui ſolus naturam ejus noſſet, præmortuo; ita ut nullius omnino uſus futurum, nulliuſque autoritatis æſtimandum mitteretur Pallium Metropolitæ, qui ante plures men-

Regeſt. l. 7. ep. 81. & 129.

Digitized by Google

menſes occubuerat mortem. Vix credibile eſt, quanta conjiciendo affirmaverint ſuper re, non dico falſa, ſed vix, immo ne vix quidem probabili. Hiſpalenſem ſcilicet ſedem præ aliis quatuor Hiſpanis a Romano Pontifice eſſe habitam; ea propter non Leandro ſolum, ſed & fratri ejus Iſidoro uſum Pallii conceſſum eſſe, quaſi non privata Epiſcopi merita, ſed ſedis Hiſpalenſis prærogativa honorem illum adepta eſſet; factum id juxta eorum temporum conſuetudinem, quum videlicet ſolis Vicariis Apoſtolicis id privilegii tribuebatur, ac proinde & Leandrum, & Iſidorum Vicariatu fuiſſe præditos. Hæc, horumque ſimilia multa conjiciendo conflarunt viri eruditiſſimi, quippe qui recentiorum affirmatis, quam veteri ullo documento ſuas rationes inniti maluerunt. Brevi eas ſolo æquatum iri confido, antequam generalem de Sacro Pallio diſceptationem inſtituo. DISSERT. V. CAP. I.

XIV. Falſa de Leandri Pallio argumenta diluuntur.

Summæ ſingularisque ejus laudis, qua Leandrum diximus proſequutos eſſe tum Scriptores illius æquales, tum inter recentiores Marianam nec Hiſpaniæ rerum inſcientem, neque laudatorem ſuæ gentis illiberalem; ejus inquam laudis æſtimator parum ſagax Lucas Tudenſis, Autor ſcilicet ſeculi tertiidecimi, nova quædam, atque ante eum diem inaudita poſterorum memoriæ commendavit. De Concilio ſiquidem Toletano tertio ſermonem habens: *Interfuit tunc*, ait, *Primas ille Catholicus, & Orthodoxus Leander Hiſpalenſis Archiepiſcopus, & Romanæ Eccleſiæ Legatus, ſanctitate, & doctrina perſpicuus*. Unde has iſte ampullas hauſerit quærendum non puto: laudati autem Marianæ verbis deridendas cenſeo: *Concilii acta huic opinioni reclamant: ubi Leander ex ſubſcriptionibus tertio loco conſediſſe declaratur, Euphemium Toletanum ſecundo, primo Mauſonam Emeritenſem; nimirum ordinationis prærogativa, & antiquitate cæteris prælatum*. Quæ quidem doctiſſimi viri ſententia non modo cum Hiſpanica diſciplina uberrime declarata non pugnat, verum etiam ea omnia confirmat, quæ ſumma ipſe ac diligenti perveſtigatione rerum Eccleſiæ illius diſputavi. Utinam hunc reſpexiſſent Scriptores duo præſtantiſſimi Joannes Morinus, & Ludovicus Thomaſſinus in quorum ſententiam turba ingens ruit! Horum profecto neuter Tudenſis verſutiam deprehendit Iſidoro nimirum adjudicantis ſua, ut majorem inde iis fidem conciliaret; quare uterque novam hinc diſciplinam derivat; unoquoque greſſu obvias difficultates, utcumque, explanat; &, ut dicam libere, cum falſis vera miſcet: tanti momenti eſt, antequam ſcribas,

Luc. Tud. Chro.

De reb. Hiſp. lib. 5. cap. 15.

Jo. Morin. Exerc. 32. Thomaſſin. de Ben. P. 1. l. 1. c. 30.

DISSERT. V. CAP. I.

bas, animadvertere, num certa, an ſuppoſita ſint documenta vetera, quibus inhæreas! Summa eſt, quod Apoſtolicum Vicariatum, & Primatum unum atque idem eſſe autumant, ſacrique Pallii traditione alterutrum conferri olim conſueviſſe. *Pallii inveſtitura*, Morini verba ſunt, *Vicariatus deferebatur, ſolis enim Vicariis, & Primatibus Pallii olim ornamentum, & Vicariæ autoritatis inſigne conferebatur*. Thomaſſinus autem locupletius etiam, jurans in verba Tudenſis, quæ ab Iſidoro prolata exiſtimat, *Legatum*, *Vicarium Apoſtolicum*, *Primatem*, *Archiepiſcopum*, unam eamdemque rem, nomine tenus diverſam nobis venditat. Quæ quantum pugnent cum vera Iſidori ſententia, fugiet arbitror omnium neminem, modo in mentem revocet, quæ ſuperius attuli, Leandrum videlicet cum Reccaredo Rege Catholicæ religionis ſatagentem, *eloquentia*, *optimæ vitæ exemplo*, *doctrina*, *fide*, *& induſtria* rem totam tranſegiſſe; non autem Pontificias gerentem vices, ſacroque conſpicuum Pallio, & uno verbo autoritate cæteris præeuntem Epiſcopis, Hiſpanos ad Catholicam fidem convertiſſe.

XV. *Ab affirmatis Scriptorum veterum nefas eſt recedere.*

Inficiari poteſt nemo, quod ævi illius ſcriptor æqualis Biclarenſis de Leandro affirmat rem, quæ recentiorum opinioni favere admodum videtur, ubi ait: *ſummam ſynodalis negotii apud Leandrum Epiſcopum, & Eutropium Monachum extitiſſe*. Velim nihilominus animadverti, quod Conciliorum etiam generalium negotia doctiſſimorum virorum opera ſunt confecta; nec tamen prærogativa inde, aut præſtantia ulla iis acceſſit, niſi forte S. Sedis autoritate una ſimul conjuncta, & pertractarunt negocia, & congregatis Patribus præſederunt. Generale ſupremum Tridentinum ſit mihi inſtar omnium. Hujus ſiquidem decreta de reformatione Hugo Boncompagnus, poſtea Gregorius XIII. & Abbas Covarruvias direxerunt; Didacuſque Laines decreta digeſſit de Juſtificatione, gratia, & ordinibus: nec vero eorum ullus Concilio præfuit: quemadmodum Concilio Toletano III. non præfuit Leander, qui Metropolitis cæteris nullatenus autoritate præibat, tametſi doctrina & eruditione omnibus antecelleret. Hinc eſt, quod neque Joannes Biclarenſis, neque Iſidorus, neque, quod majus argumentum eſt, Concilium ipſum Leandro tribuunt hujuſmodi prærogativam. Quamobrem nonniſi ægre quis ferat, Morinum a Luca Tudenſi evidenter deceptum movere loco ſubſcriptionem Leandri, qui, juxta eorum temporum diſciplinam, duobus Metropolitis ordina-

natione antiquioribus optimo meritoque jure concedit. Eaque propter tum ejus, tum ſui exſcriptoris Thomaſſini argumenta hac de re corruunt, præſertim quod cæteris credibilius videtur eſſe, Iſidorum videlicet præfuiſſe Concilio Toletano IV. eodem jure. Si enim conſideretur, quod anno 633. quum idem celebrabatur, Iſidorus agebat quintum, & triceſimum ſui Epiſcopatus, res non erit ad credendum difficilis, ſi non ſolum Metropolitis, ſed ceteris etiam Epiſcopis ſenior prædicetur. Quæ quum ita ſint, ut venia adhibeatur aliqua Joanni Morino in Pſeudo-Iſidori Tudenſis aut ſupinitatem, aut verſutiam eunti pedibus, nulla mihi videtur danda eſſe Thomaſſino, qui & Iſidori de Archiepiſcopo ſententiam novit: *Archiepiſcopus græce dicitur ſummus Epiſcoporum, tenet enim vicem Apoſtolicam, & præſidet tam Metropolitis, quam Epiſcopis*: & docuit, quod per quintum ſeculum præclaro iſto titulo ſoli majores Patriarchæ, deinde etiam Exarchi Diœceſeon appellabantur; ac denique communis eſt factus Primatibus, Auguſtino Angliæ, & Bonifacio Germaniæ Apoſtolis in teſtimonium vocatis, quorum primum ita appellat Beda, alter ſibi ipſe tribuit Archiepiſcopi nomen. Quumque hactenus in iſtam diſciplinæ partem erudite ac ſapienter diſputaverit, haud ita multo poſt falſa Tudenſis doctrina pertrahitur in opinionem omnino a veritate abſonam: *Cæpere*, inquiens, *Hiſpani nomen id eorum facere proprium, quos Græci dicebant Exarchos. Is porro uſus per totum occidentem cæpit egliſcere*. Principium iſto altius Archiepiſcopi, Primatis, Vicarii, Legati nominibus eamdem ſibi autoritatem ſignificantibus toto in Occidente non deprehendit.

Orig. l. 7. c. 12.

De Benef. P. 1. l. 1. capp. 3. & 19.

De Benef. P. 1. l. 1. c. 30. n. 3. 4.

XVI.
Documētis iiſdem ducibus rerum veritas detegitur.

Profecto ſi is documentis certis inhæſerat, tum Lucæ ſupponentis fallaciam detexiſſet, tum Toletanæ Sedis præſtantiam ſenſim emergentem noſſet, neque in Concilium Toletanum XII. incidens admirabundus exclamaſſet: *Eo poteſtatis nulli unquam venerant Primates*. Enimvero amandatis in ultimas terras iis quæ a Tudenſi affirmantur gratis, ante Leandri tempora unus in Occidente Primas Carthaginenſis Africæ invenietur; Vicarii S. Sedis plures, alii autoritate alia, prout Romanis Pontificibus viſum eſt, a Primatibus diverſi tenebuntur; Archiepiſcopi demum in Hiſpaniis excogitari poterunt nulli, niſi poſt Iſidori mortem, ejus ſiquidem generis, cujuſmodi eos definit, unus Toletanus longe poſt evaſit, quod eſt demonſtratum. Cœpta quidem eſt per Pallii traditionem dari autoritas, quæ non multum

DISSERT. V. CAP. I. tum abludit ab hiſce conjecturis. Cujus rei locupletiſſimum ſuppetit teſtimonium ex Gregorii III. Epiſtola ad Bonifacium Moguntinum: *Jure*, inquit, *tibi ſacri Pallii direximus munus, quod B. Petri Apoſtoli ſuſcipiens autoritate, induaris: atque inter Archiepiſcopos unus, Deo autore præcipimus ut cenſearis*. At iſta important diſciplinæ mutationem non modicam, quæ facta eſt ab Eccleſiæ univerſæ moderatoribus Romanis Pontificibus. Equidem mox planiſſime oſtendam, quod non multo poſt Pallium Leandro miſſum a S. Gregorio Magno quidquam majoris autoritatis acceſſit Epiſcopis, qui ſacrum id ornamentum acceperunt: interim vero caſte, integreque fatear neceſſe eſt, quod Morini & Thomaſſini opiniones non ego primus convellere auſus ſum, ſed doctiſſimorum exempla virorum ſequutus virgulam contra eaſdem adhibui, hac ſane in re illis moderatior, quod impoſturam Lucæ Tudenſis aperui, ac proinde levitatis magis, quam ſupinitatis arguere utrumque volui. Cæterum doctiſſimi iidem viri, quibus uſus ſum ducibus, quæſtionem hanc de Pallio extra omnem aleam haud poſuiſſe ſunt dicendi; nam duplicem Pallio ætatem tribuentes; unam ante, alteram poſt octavum ſeculum, longa nimis intercapedine temporis conſtituunt. Ita Em. Card. Noriſio, ita P. Garnerio, ita demum Ruinartio æqualibus fere ſcritoribus, quorum ſententias ſæpe adhibeam, de duplici hac ætate Pallii viſum eſt. Negare non auſim, quod ſacri hujus indumenti prærogativa, ut nempe Archiepiſcopi dicerentur qui eodem donabantur, ſuam ſortita originem non ſit a Pallio Bonifacii, ſenſimque ita coaluerit, ut crimini verteretur Metropolitæ illius nominis uſurpatio antequam Pallium acciperet. Ipſiſſimam nihilominus poteſtatem illam, quam Bonifacius, cæterique poſt eum adepti ſunt Metropolitæ per Pallium, longe altius repetendam eſſe nullus dubito. Quamobrem quum ſatis fuſe, ut mihi videor, diſputaverim de S. Leandri Pallio, adverſus Morinum, & Thomaſſinum oſtendens, quod nullam prorſus autoritatem præſetulit; reſtat nunc, ut Ruinartio ipſi, qui hac de re uberrime ſcripſit, nonnihil adverſer; totamque Pallii diſciplinam, quemadmodum ſe habuit, oſtendam.

Cod. Bonif. ep. 102.

CA-

CAPUT II.

De ſacro Pallio tum Occidentali tum Orientali.

DE ſacro hujuſmodi Inſigni quæ multæ fiunt quæſtiones ab Eruditis, de ejus nimirum materia, de myſtica ſignificatione, deque aliis id genus rebus, mihi quidem inutiles fore videntur: dignitatem quippe unam ſacri ejuſdem ornatus æſtimari velim, ne forte externo totus in cultu indagando, incerta quis traditione antiquitatis ab intrinſeco illius decore percipiendo deterreatur. At enimvero quid attinet diſputare, lineumne, an laneum olim eſſet Pallium, quando conſtat ſummam Eccleſiæ poteſtatem per illud apud veteres, non ſecus ac per Claves, ſignificari? *Pro ſigno S. Petri*, ait lex Monachorum ſilentii religione adſtrictorum, *manum dexteram ab humero dextro deorſum uſque in finem pectoris trahe, eo modo de ſiniſtro ad dextrum, propter ſimilitudinem Pallii, addens hoc, ut manu cava coronam in capite ſimules*. Laudabilius multo conſilium cepit ſcientiſſimus harum rerum Præſul Franciſcus Blanchinius, qui agens de uſu Pallii conceſſo per S. Marcum Epiſcopo Oſtienſi, tanquam Romani Pontificis conſecratori, muſiva & picturas a tertio ad duodecimum ſeculum teſtes adhibet candidi ejus limbi, ſeu faſciæ crucibus inſignitæ, quam ætates proximæ Apoſtolis appoſuerunt Pallio Pontificio, ac procedentia tempora proprio Pallii nomine nuncuparunt; Pallium vero ipſum non eſſe aliud contendit, quam velum illud amplius ſummi Sacerdotis, cum ſymbolo maximæ poteſtatis adjecto, ideſt clavibus a Chriſto traditis Apoſtolorum Principi, atque ejus ſucceſſoribus, ad quos pertinent hæreditario jure. Hinc eſt, quod recte Monachorum lex laudata ſummam Eccleſiæ poteſtatem per ſolum Pallium ſignificabat. Nec vero Blanchinius ab integerrima rei teſte antiquitate ipſa quicquam receſſit. Nam Symmachus, qui ob documentorum antiquiorum penuriam omnium Pontificum Romanorum primus dicitur communicaſſe Epiſcopis uſum Pallii per Occidentis provincias, Epiſcopalis officii dignitatem, & ſupremæ in univerſam Eccleſiam poteſtatis argumentum in ſacro hoc indumento conſtituit: *Pallii uſum*, ait Theodoro Laureacenſi Epiſcopo, *quem ad ſacerdotalis officii decorem, & ad*

I. Pallii Romani Pontif. dignitas

Ap. Alaman. de pariet. Later. p. 72.

Anaſt. Bibl. t. 3. p. 4.

In lib. diurn. Pont. form. 3.

ad oſtendendam unanimitatem, quam cum B. Petro Apoſtolo univerſum gregem Dominicarum Ovium, quæ ei commiſſa ſunt, habere non dubium eſt, Apoſtolicam Sedem, ſicut decet popoſciſti. (Equidem malui certiſſimam hanc Symmachi epiſtolam mutuari a libro diurno Pontificum, licet minus uberem rei teſtem, quam ex Conciliis, in quorum collectionem ex Appendice ad Chronichon Deicheſpergenſe, & ex Metropoli Salisburgenſi Hondii translata,ſuppoſitionem præſefert in titulo.) Eapropter ſequentes Pontifices *de D. Petri corpore*, ſive *autoritate* Pallium ab ſe concedi profitentur. Animadverti hîc debet, quod tametſi de Romani Pontificis Pallio tanta dignitas prædicetur, eadem de Pallio aliis conceſſo non intelligitur, teſte ipſo Symmacho, qui Pallii uſum Epiſcopis conferri ait ad ſacerdotalis officii decorem, atque ad unanimitatem demonſtrandam cum D. Petro, qui ſcilicet per pallium ſuum, ſuorumque hæredum univerſæ Eccleſiæ regimen indicabat. Infra vero dicam de autoritate, quam poſtea Pontifices conjunxerunt cum Pallio Archiepiſcopali; ubi de ipſorum propria ſatis dixero.

S. Symmach. ep. xi.

II. *Eadem in Eccleſia non emerſit tempore perſecutionum.*

Tantæ hoc dignitatis Inſigne non deſunt, qui ab Imperatoriæ Majeſtatis veſte derivant, conclamata ſcilicet Conſtantini donatione inhærentes: quare etiam cauſam ſe eſſe nactos opinantur petiti ſemel a Vigilio, iterumque a Gregorio Imperialis conſenſus, dum ille Arelatenſi Epiſcopo, Auguſtodunenſi hic Pallii uſum conceſſere. Quaſi vero, aut particularia quædam facta generalem inducant praxim, aut laudati duo Pontifices cauſis aliis non potuerint moveri, aut demum in alienæ ditionis Regno alicujus momenti futurum eſſet Imperatoriæ veſtis fragmentum. Quidni potius in iis rerum difficultatibus, dum Gothi primum, deinde Langobardi Occidentalis Imperii reliquiis inhiabant, Pontifices illi, ne perduellium fautores viderentur ſibi Galliarum Reges demerendo, cum Imperatore iſtam cauſam communicaverint? At prætereamus iſta levia. Ipſa plane uſus Pallii conceſſio per S. Marcum facta Epiſcopo Oſtienſi tamquam Romani Pontificis conſecratori dignitatem Pallio aſſerit. Vix enimvero a perſecutionibus reſpiravit Eccleſia, prodiitque in apertum ſummi Sacerdotii majeſtas, quæ antea in cæmeteriis, abditiſque, ac ſubterraneis locis latuerat, inauguratio fieri cœpta eſt ab Epiſcopo ejus ornamenti compote, quod plenitudinis Pontificiæ poteſtatis argumentum eſt minime dubium. Silveſtro, qui in perſecutionum anguſtiis creatus erat, demortuo, brevî ſuſci-

ſuſcipit Pontificatum Marcus, continuoque Chriſti Vicarii ordinatori permittit uſum Pallii, qui ritus ad nos uſque pervenit. Illuſtriorne inauguratio excogitata ab eodem fuerit, quam quæ antea facta erat, is arbitror quæret, quem fugiat conſueviſſe Romanos Pontifices, ſæviente tyrannide, ordinare ſibi Epiſcopum & Vicarium, qui poſtea ſucceſſor eſſet in Petri cathedra. Ita Marcus Silveſtri; Silveſter Melchiadis, Melchiades Euſebii, Euſebius Marcelli Vicarii fuerant, deinde invicem ſibi quiſque ſucceſſit. Quamobrem niſi certum, probabile admodum mihi videtur, quod S. Marcus, qui ſuos Prædeceſſores conſecrari viderat a Pontificibus ſacro Pallio indutis, in publica Eccleſiæ tranquillitate conſtituerit, ut Oſtienſis Epiſcopus Romani Pontificis conſecrator ſacro eodem indumento ea in cæremonia ornaretur. Inde autem maxima accedunt dignitatis incrementa Pontificio Pallio, quo ne licitum quidem eſſe induere Pontificem putavit Marcus, niſi ſimili dignitatis Inſigni uteretur Conſecrator Epiſcopus. Quid vero hiſce argumentis inſiſto? Sciti ſſime laudatus Blanchinius hac de re diſputat, nec ſolum Pallium, ſed & pretioſam quam dicimus Mithram ex Capitio ejuſdem Pallii prodeuntem, præcipua nimirum ornamenta Chriſti Vicarii, acerrime vindicat, eorumque antiquitatem, ſplendorem, dignitatem optimo meritoque jure ab ipſo Apoſtolorum Principe contendit repeti oportere. Quin etiam formam antiqui Pallii uſque ad ſeculum decimum, manu nos ducens, obſervat in muſivis baſilicarum urbis & titulorum, valde quam prolixam, ita ut anterius e pectore, retrorſum e dorſo uſque ad pedes deflueret; quæ poſtea brevior ſenſim eſt facta, vixque hodie infra coſtas pertingit.

Dissert. V. Cap. II.

Anaſt. tom. 3. pag. 82.

III. Pallium Orientale quam ſimillimum Occidentalis.

Qua ſuper re non eſt, cur ego longis utar ſermonibus, omnium quippe neminem fugiunt exempla Græci Pallii nullam prorſus mutationem paſſi: cujus ſane forma ipſiſſima illa eſt, quam Pontifices Romani, ſtatimatque a tyrannide reſpirarunt, patefecerunt. Nec ſecus eſſe poterat; nam Divus Petrus perinde ſucceſſori ſuo Lino, ac Marco, qui Petri nomine Alexandrinam fundavit Eccleſiam, atque Evodio, quem ſibi ipſe Petrus ſuffecit Epiſcopum in Antiochena Sede, conceſſit Pallium. Solumque id diſcrimen Romani Pontificis Pallio cum Præſulum Alexandrini & Antiocheni Pallio intercedit, quod Romanæ cum duabus iis ſedibus. Alexandrina ſiquidem jure ſe fundatam eſſe gloriatur a D. Petro per hujus diſcipulum Marcum; & Antio-

DISSERT. V. CAP. II. tiochena non parum ſibi tribuit, quod a Petro pertranſeunte fundata, ſeptemque annis ab eodem procurata, commiſſa eſt Evodio item diſcipulo: ſed harum neutra de Primatu contendit cum Romana, quam Petrus ipſe fundavit, omne vitæ tempus rexit, ſuoque demum ſanguine conglutinatam ſuis ſucceſſoribus reliquit, ut inde Monarchico jure Eccleſiam longe lateque diſſitam gubernarent. Hanc rem mirum in modum declarat S. Gregorius Magnus Eulogio Alexandrino Patriarchæ, quem conſtitutum & ipſum ait in Petri cathedra, tametſi non in ea, quam omnium eſſe principem ille voluerat. *Ille*, inquit, *mihi de Petri cathedra loquutus eſt, qui cathedram tenet .... Itaque quum multi ſint Apoſtoli, pro ipſo tamen principatu ſola Apoſtolorum Principis ſedes in autoritate convaluit, quæ in tribus locis unius eſt. Ipſe enim ſublimavit ſedem, in qua etiam quieſcere, & præſentem vitam finire dignatus eſt. Ipſe decoravit ſedem, in quam Evangeliſtam Diſcipulum miſit. Ipſe firmavit ſedem, in qua ſeptem annis, quamvis diſceſſurus, ſedit.* Quod ſi has tres ſedes idem ipſe Petrus inſtituit, ac præ aliis per cæteros Apoſtolos fundatis autoritate pollere eas conſtat, quia a Petro inſtitutæ ſunt; nonniſi leviſſimum eſſet credere, quod alio Patriarchæ iſti uterentur ornatu ſacro, quam quod habuerant ab ipſo Petro; ornatu ſcilicet quo uti nefas fuit Epiſcopis aliarum ſedium, quæ ſummæ autoritatis fundatore non gloriabantur. Petri autem ornatus non erat niſi Pallium illud, quod nuper cum Blanchinio deſcripſi, ſymbolum nempe ſupremæ poteſtatis, per Claves a Chriſto Jeſu in eodem poſitas ſignificatum.

S. Gregor. l. 7. ep. 37.

IV. *Non tamen ejuſdem autoritatis Symbolū.* Quidquid autem ſimilis forma eſſet Pallii tum Occidentalis, tum Orientalis, longe tamen minoris poteſtatis argumentum erant Patriarcharum Orientis Pallia, ſi cum Romani Pontificis Pallio conferantur. Hoc ſiquidem plenitudinem poteſtatis in univerſam Eccleſiam portendit: illa vero nonniſi partem ſollicitudinis, atque autoritatis præſeferebant. Hinc eſt, quod in Oriente, in quo & frequentior, & facile antiquior fuiſſe videtur conceſſio Pallii Metropolitis, nuſquam invenias e Petri corpore, aut autoritate illud dari: quia ſcilicet ſucceſſores Marci, & Evodii illud dabant, qui eorum poteſtatis per Pallium ſignificatæ hæredes fuerant: dum contra Principis Apoſtolorum ſucceſſores, ac Pontificiæ ſupremæ autoritatis hæredes, jure gloriabantur, & juxta gloriantur, ſe ex corpore, ſive autori-

toritate D. Petri largientes Pallium, vocare Metropolitas in partem ſollicitudinis, pro univerſalis Eccleſiæ regimine, quemadmodum Petrus Marcum, & Evodium in Eccleſiæ primordiis vocaverat. Maxima quidem uterque habuit incrementa adoleſcente ſenſim Eccleſia, & uterque plures adeptus eſt Diœceſes per ſucceſſores Patriarchas; verumtamen quod utriuſque ſucceſſores Pallium largiebantur ſuis Metropolitis, appellabatur Pallium S. Marci, & Evodii, non Divi Petri. Et quidem Alexandrini habemus teſtem locupletiſſimum Liberatum Diaconum: *Conſuetudo eſt*, ait, *Alexandriæ, illum qui defuncto ſuccedit, excubias ſuper defuncti corpus agere, manumque dexteram ejus capiti ſuo imponere, & ſepulto manibus ſuis, accipere collo ſuo B. Marci Pallium, & tunc legitime ſedere.* Itaque ut ſumma tribuatur antiquitas Pallio iſti, quo Alexandrini utebantur Patriarchæ, ad Marcum uſque licet aſcendi; ut plurima detur autoritas illi Evangeliſtæ, poteſtas eidem communicata per ipſum Petrum reputari poteſt ex illa plenitudine, quam integram atque illibatam ſuſcepturus erat Linus, cæterique in perpetuum ſucceſſores Romanæ ſedis Epiſcopi. Quumque intrinſecam nullam habeat poteſtatem Inſigne hoc præcipuum ſummi Sacerdotis, ſed indicet majeſtate ſua ſupremam ejuſdem poteſtatem; idcirco aliis communicatum Inſigne idem, non novam affert poteſtatem ſed priſcam ornat, atque confirmat. Quod ſi ex ea, quam Marcus & Evodius acceperunt a Divo Petro, derives Pallii traditionem Orientis Metropolitis factam, facile compertum tibi erit diſcrimen, quod Occidentali Pallio cum Orientali intercedit; hoc ſiquidem a rivulis emanat, illud ab ipſo fonte.

DISSERT. V. CAP. II.

Liberat. Brev. cap. 20.

V. Uſus Pallii utrobique rarus præter Roman. Pont.

Quamvis autem ſacer ille ornatus nihil novæ autoritatis afferret Metropolitis, qui ſeu a Pontifice, ſeu a Patriarchis Orientis id accipiebant; tamen rarus admodum illius uſus ubique erat. Siquidem intra propriam dumtaxat Eccleſiam, & in miſſarum tantum ſolenniis, præſcriptis inſuper diebus Pallio uti fas erat. Quamobrem Gregorius ægre admodum tulit, quod Joannes Ravennas Metropolita auſus eſſet in Litaniis cum Pallio incedere, contenditque a nemine omnium factum antea: quin unicum affert condemnatque exemplum Metropolitæ pariter Ravennatis, qui occaſione condendi reliquias, Pallio uſus fuerat; *Ultimum vero eſt*, inquit, *quod tamen pondere elationis primum eſt: ſcilicet de uſu Pallii extra Eccleſiam. Quod de-*

S. Gregor. l. 4. ep. 4.

DISSERT. V. CAP. II. *deceſſorum meorum temporibus facere nunquam quiſquam præſumſit ; nunquam a deceſſoribus ejus præſumtum eſt , ſicut Reſponſales noſtri teſtantur , excepto ſi reliquiæ conderentur . Quod tamen de reliquis unus tantummodo potuit inveniri , qui meis diebus in deſpectum meum cum ſumma audacia non ſolum faciebat , ſed etiam frequentabat .* Et ne fortaſſe videretur Metropolitæ iſti audaciſſimo rem novam exaggerare : *Tamen hac de re* , proſequitur , *jam diacono noſtro ad Conſtantinopolim ſcripſi , ut per omnes , qui ſub ſe etiam tricenos , & quadragenos Epiſcopos habent , requirere debeat . Et ſicubi iſte uſus eſt , ut in letaniis cum palliis ambulent , abſit , ut per me Ravennatis bonos Eccleſiæ in aliquo imminui videatur .* Hinc duo aperte diſcimus : quod nimirum tam in Occidente , quam in Oriente uſus Pallii erat idem , tametſi Gregorius in gratiam Ravennatis Eccleſiæ , quæ tunc temporis erat princeps Occidentalis imperii , indagari juſſerit in Oriente , num alicubi conſuetudo , ſeu abuſus aliquis obtineret , qui transgreſſoris Joannis cauſam tueretur : & quod in propria tantum Eccleſia illo uti quis poterat certis præſcriptiſque diebus . Quæ res ſuperiori ejuſdem

Id. ibi ep. 10. Gregorii epiſtola declarata erat : *Uſum Pallii , donec ſubtilius veriuſque aliquid cognoſcamus , in letaniis ſolennibus : ideſt die Natalitio Beati Joannis Baptiſtæ , & B. Petri Apoſtoli , & B. Apollinaris Martyris , atque in ordinationis veſtræ celebratione concedimus .* Itaque tam in Oriente , quam in Occidente quicumque ornatu illo erant prædíti , ſolo excepto Romano Pontifice , cujus præcipuum ac proprium Inſigne eſt , raro admodum , pleniſſimaque œconomiæ ratione illo utebantur . Quam oro non pigeat ex Gregorio ipſo audire ſemel in nuperrime recitata epiſtola : *In ſecretario vero ſecundum morem priſtinum ſuſceptis , ac dimiſſis Eccleſiæ filiis , induere veſtra fraternitas pallium debeat : atque ad miſſarum ſolennia ita proficiſci , & nihil ſibi amplius auſu temerariæ præſumtionis arrogare : ne dum in exteriori habitu inordinarie aliquid arripitur , ordinate etiam quæ licere poterant , amittantur* : iterumque in alia epiſtola ad Marinianum Joannis ſucceſſorem , ut firmius, at-

Id. ibi. ep. 54. que evidentius teneatur : *Quo* , inquit , *non aliter te uti memineris , niſi in propria tuæ civitatis Eccleſia , dimiſſis jam filiis procedens a ſalutatorio ad ſacra miſſarum ſolennia celebranda : peractis vero miſſis idem in ſalutatorio rurſum curabis deponere .* Atque hæc ſint ſatis de uſu Pallii conceſſo Epiſcopis .

Pau-

Digitized by Google

Pauca hæc,quæ ex tanti Doctoris epiſtolis decerpſi, abunde illudunt eorum conjecturis, qui ſacro Pallio dignitatem vindicant ab Imperiali faſtu. Eſt nihilominus proferenda ex ſancto eodem doctore natura ipſa, ſive ingenium ſacri Pallii, ne ulla offeratur religio, quin conjecturæ illæ penitus abjiciantur: *Pallium*, ita docet Maximum Salonitanum, *ad ſacra miſſarum ſolennia utendum ex more tranſmiſimus, cujus vos volumus per omnia genium vendicare. Hujus enim indumenti honor humilitas, atque juſtitia eſt. Tota ergo mente Fraternitas veſtra ſe exhibere feſtinet in proſperis humilem, & in adverſis ſiquando eveniunt, cum juſtitia erectam: amicam bonis, perverſis contrariam. Nullius unquam faciem pro veritate loquentem premens, miſericordiæ operibus juxta virtutem ſubſtantiæ inſiſtens, & tamen inſiſtere etiam ſupra virtutem cupiens, infirmis compatiens, bene valentibus congaudens, aliena damna propria deputans, de alienis gaudiis, tamquam de propriis exultans; in corrigendis autem vitiis ſæviens, in fovendis virtutibus auditorum animos demulcens, in ira judicium ſine ira tenens, in tranquillitate autem ſeveritatis ſuæ cenſuram non deſerens. Hæc eſt, Frater cariſſime, Pallii accepti ratio, quam ſi ſollicite obſervaveris, quod foris accepiſſe oſtenderis, intus habes.* Integram Gregorii ſententiam attuli, ut illuſtrius de hac re nihil deſideretur; ejus tamen ſumma eſt, quod ſacrum Pallium humilitatis, & juſtitiæ quædam veluti teſſera putabatur. Conſtantiſſime id urgeri comperies in omnibus Gregorii epiſtolis: *Peto*, ait Conſtantio Mediolanenſi, *ut dum hoc ſuſcipitis, ejus honorem, ac genium ex humilitate vendicemus*: Et Mariniano Ravennati: *Admonentes, ut ſicut a nobis hujuſmodi decoris uſum ad ſacerdotalis Officii honorem largiente Domino percepiſti, ita etiam morum, atque actuum probitate ad Chriſti gloriam ſuſceptum adornare contendas Officium*. Et Joanni Juſtinianæ primæ: *Admonentes, ut ita vos circa ſubjectos debeatis exhibere placabiles, ut rectitudinem veſtram diligere provocentur potius, quam timere*. Ac demum Epiſcopis Siciliæ Syracuſano, Panormitano, & Meſſanenſi, quos donavit honore Pallii, quamvis Metropolitica iis deeſſet autoritas, morum, & actionum probitatem commendat, ut videre eſt in citatis Epiſtolis, quas recitare ſuperfluum duxi, tum quia iiſdem conceptæ ſunt verbis, quibus nuper laudata ad Marinianum Ravennatenſem; tum quia in libro diur-

DISSERT. V. CAP. II. VI. Pallii natura, ſeu ingenium.

S. Gregor. l. 7. ep. 129.

Idem l. 3. ep. 1.

Lib. 4. ep. 54.

Lib. 4. ep. 15.

Lib. 5. ep. 8. & 18. l. 11. ep. 42.

DISSERT. V. CAP. II. diurno Pontificum quarta formula mittendi Pallium Epiſcopis Siciliæ, harum literarum exemplum eſt, quod cuique conſulenti planum erit.

VII. Humilitas, & Juſtitia Epiſcopis injungebatur Pallio.

Quod ſi Sacri Pallii natura, ſeu ingenium erat humilitas, atque juſtitia; inſignes ſcilicet virtutes Chriſti Domini: nonne toto cælo errare is videatur, qui ab Auguſteæ veſtis majeſtate illius deſumit originem? Quid profanæ illi, utut pretioſiſſimæ, veſti cum decore iſto ſacerdotalis officii in ſolenni myſteriorum celebratione? Quaſnam ingeſſiſſet virtutes in Epiſcopalem animum Cæſareus faſtus, quaſve intrinſecus præſetuliſſet dotes, ut eas tanto opere, ac tam ſingulariter commendaretRomanus Pontifex iis Præſulibus, quos tali honore proſequebatur? Ad quid tanta ejuſdem Pontificis in eodem communicando circumſpectio, tanta in concedendo ſolennitas, tanta adverſus abuſum ſeveritas, ſi præſtantiam ſuam ab ſola Imperiali veſte ſortitum erat? Quidni potius ſacro huic indumento ſuus honor vindicetur Iſidori Peluſiotæ myſtica ea ſententia, qua docet, *Pallium ex lana, non ex lino conteſtum*, quia *ovis illius, quam Dominus aberrantem quæſivit, inventamque humeris ſuis ſuſtulit pellem ſignificat*? Certe hac myſtica Pallii ſignificatione præſtantius aliquid atque illuſtrius deſiderabitur; ea tamen quæ Iſidorus ſubjungit: *Epiſcopus enim qui Chriſti typum gerit, ipſius munere fungitur, atque etiam ipſo habitu illud omnibus oſtendit, ſe boni illius ac magni paſtoris imitatorem eſſe, qui gregis infirmitates ſibi ferendas propoſuit*: ea inquam tam belle ingenium Pallii ſupra enarratum Gregorii verbis exprimunt; ut uni iſti autoritati quieſcendum mihi eſſe videatur. Nil enim frequentius occurrit in baſilicis, titulisque urbis, quam Paſtor hic bonus, & oves, juxta monitum Chriſti Jeſu, qui ſibi ipſe tribuit boni paſtoris nomen, ac Fideles populos ſuas oves appellat: nilque eſt antiquius Eccleſiæ, quam gregem pro Catholicis, pro Pontifice paſtorem uſurpare. Præterea tum Divi Pauli Epiſtolæ, tum Romanorum Pontificum decreta frequentiſſime admonent Præſules Paſtorale officium; omneſque Epiſcopi noſtra etiam ætate vix ad aliquam evehuntur ſedem, paſtoralibus literis greges ſalutant ſuos. Quamobrem ſi recte quis conſideret ingenium Pallii ex Gregorii ſententia, & ex Iſidori interpretatione, profecto intelliget, nihil aliud ſibi voluiſſe Pontifices concedendo Pallium, quam perfectiores Epiſcoporum mores. Et ſane quum idem Gregorius Leandro Hiſpalenſi pallium miſit, *bonitate & gravitate*, ejus

Iſid. Peluſ. l. 1. ep. 136.

Lib. 7. epp. 125. & ſeq.

ejus ſe eſſe motum teſtatur Reccaredo Regi, Leandrumque ipſum alloquens, *loquutionem*, inquit, *ſupprimo, quia verba moribus anteitis*. Nec eſt, quid ſacro in hoc ornamento, quod interjecto tempore Inſigne autoritatis eſt factum, priſcam excogitemus aut majeſtatem, aut poteſtatem nonnullorum levitate ſeducti; niſi forte ſatis inde gloriæ, ac decoris illud accipere affirmemus, quod præcipui ornatus Chriſti Vicarii exemplum eſt. Cæterum eorum conjecturas, qui freti Conſtantiniana donatione tam multa dictitant de ſacro eodem Inſigni, uberrime Ruinartius refellit, quem conſulat qui plura cupit.

VIII. Per Pallium declarabatur ſubjectio Præſulū Sanctæ Sedi.

Hucuſque de conditione, uſu, & natura diſputans ſacri pallii, Romani nimirum Pontificis præcipui ornamenti, nonnihil afferre opus habui ex Pallii uſu aliis communicato Epiſcopis tum intra, tum extra Italiam. Quia vero eruditis non paucis viſa eſt, traditio iſta Pallii tranſmontanis Epiſcopis neſcio quid ſubjectionis ſenſim inductæ a Pontificibus, redolere: eapropter fraudem, quæ in eorum ſcripta irrepſit, detegere certum mihi eſt atque deliberatum. Inhærent ii ſcilicet generali illa diſciplina concedendi Pallium omnibus Metropolitis, quæ per nonum ſeculum toto in Catholico orbe obtinebat, ſic docente Concilio generali VIII. quod anno 869. celebrabatur: *Univerſorum Metropolitanorum, qui ab ipſis promoventur, & ſive per manus impoſitionem, ſive per Pallii dationem Epiſcopalis dignitatis firmitatem accipiunt, habeant poteſtatem*, nempe Patriarchæ quinque, qui tunc erant. Eſtque eos inter, qui affirmare non dubitet, decretum ita eſſe *adverſus Epiſcopos Gallicanos, juxta ſuggeſtiones Legatorum Pontificiorum, ut a Concilio Œcumenico firmata eſſe videretur Nicolai I. nova molitio, ſexennio ante prolata*. Equidem negare non auſim, quod generalis ea diſciplina confirmandi Metropolitas omnes per Pallium, poſt Gregorii tempora nata eſt, quum videlicet per Occidentales Principes licuit; ita ut cœpta prius in Anglia Gaegorii ejuſdem decreto, quod ſuo loco exhibeam, confirmata deinde fuerit a Gregorii ſucceſſoribus in Galliis, & Germaniis. Bona nihilominus cum venia Pariſienſis Archiepiſcopi longe ante Nicolaum I. ſubjectio Gallicanorum Præſulum S. Sedi orta erat, nec clandeſtina arte tentatum eſt illam inducere. Longum ſane eſſet, & abs re ſeriem hujuſmodi ſubjectionis a nata ibidem fide ad hæc uſque tempora, quibus verſamur, diducere. Satis ſiquidem ſuperque eſſe mihi videntur ad rem probandam, quæ de Vicariatu in Galliis ſupra di-

Conc. Gen. VIII. Can. 17.

Marca de Concord. l. 6. c. 13.

Digitized by Google

DISSERT. V. CAP. II. diximus; nam Gallicani Præſules, dum Apoſtolicas vices gerere certatim cupiebant, ſubjectionem illam, quam certo ſciebant eſſe debitam S. Sedi, Summoque Pontifici, minime ab ſe arcere conabantur, ſed evidentius profiteri, tum alii nulli præter Romanum Pontificem obtemperando, tum Primatum ſupra ipſos Metropolitas exercendo. Quid quod amplius centum annis antequam Nicolaus ad S. Sedem aſcenderet, Gallicani omnes Metropolitæ in Concilio congregati cum Bonifacio Moguntino, ſubjectionis nomen ipſum antea inauditum aliiſque expreſſum verbis, ultro enunciaverant? *Decrevimus*, verba ipſa ſunt Bonifacii, *in noſtro ſynodali conventu, & confeſſi ſumus fidem Catholicam, & unitatem, & ſubjectionem Romanæ Eccleſiæ fine tenus vitæ noſtræ velle ſervare: S. Petro, & Vicario ejus velle ſubjici: Synodum per omnes annos congregare: Metropolitanos Pallia ab illa ſede quærere: & per omnia præcepta Petri canonice ſequi deſiderare; ut inter oves ſibi commendatas numeremur.* Certe qui hæc non ignorans, in Petri de Marca ſententiam incidit, aut fiduciam ejus, aut, ita me Deus amet, livorem condemnet, neceſſe eſt. Nihil umquam moliti ſunt Romani Pontifices adverſus Epiſcoporum ullum; immo potius Epiſcopale decus, atque univerſorum concordiam Præſulum ſtudiis omnibus procurarunt. Neque aliud unquam ſibi voluerunt per Pallii conceſſionem.

Cod. Bonif. ep. 105.

IX. Nonniſi petentibus concedebatur.

Id conſtat liquido ex ſupra allatis literis Symmachi, ſeu mavis formula antiqua tradendi Pallium, ut ab ultima antiquitate depromantur exempla. Neque enim aliud ſibi volunt *Sacerdotalis officii decor*, & *unanimitas cum B. Petro*, quam decus, & concordiam Epiſcoporum omnium. Huc accedit, quod Pallii uſus non concedebatur, niſi petentibus: quæ res tum patet ex iiſdem literis Symmachi, *Apoſtolicam Sedem, ſicut decet popoſciſti*; tum omnibus obvia eſt in Symmachi ſucceſſorum epiſtolis: ita ut Gregorius Reginæ Brunechildi affirmet, ſe Syagrio Pallium non miſiſſe, *quia priſca conſuetudo obtinuit, ut honor pallii, niſi exigentibus cauſarum meritis, & fortiter poſtulanti dari non debeat*. Et paulo ante dixerat: *nec is qui eo uti deſiderat, directa ad nos hoc ſibi largiri ſpeciali petitione popoſcerat*. Deinde metuens prudentiſſimus Pontifex, ne Reginæ pietas lædi videretur, mittit vere Pallium, ſed una petendi illud rationem a ſuo Apoſtolico Vicario præſcribit: *Candido*, inquiens, *presbytero Pallium prævidimus dirigendum, injungentes ei vi-*

Lib. 7. ep. 5.

te noſtra congrua id debeat obſervatione tribuere. Unde neceſſe eſt, ut ex eo opere ſupraſcriptus frater, & Coepiſcopus noſter Syagrius facta cum aliquantis ſuis Epiſcopis petitione, hoc ſperare, atque eam prædicto debeat dare presbytero; quatenus digne ejuſdem Pallii uſum cum Dei gratia valeat adipiſci. Quærendam mihi eſſe non arbitror, ſive ut melius dicam exponendam, cauſam cur Syagrius non acceperit Pallium ab iſto presbytero, ſed multos poſt menſes a Gregorio ipſo: ſatis quippe mihi eſt petitionis neceſſitatem oſtendiſſe, quam utique eſſe factam teſtatur Pontifex, ubi Epiſcopo huic concedit uſum Pallii: *Secundum poſtulationis tuæ deſiderium Pallii te uſu, quod intra Eccleſiam tuam habere debeas ad ſacra tantum Miſſarum ſolennia celebranda Deo autore, prævidimus honorandum.* Silentio hîc præteriri non debet, quod Epiſcopale id ornamentum non ſemel ab ipſis Principibus flagitatum eſt pro ſuæ ipſorum ditionis Epiſcopis. Ita Brunechildem Reginam feciſſe jam vidimus; ita Childebertum Regem conſtat ex Gregorii literis; ita demum Gallinicum Exarchum Ravennæ teſtatur idem Pontifex: *Licet autem,* inquiens, *ad hæc concedenda diſpenſatio nos loci noſtri vocaverit, multum tamen a nobis petitio dulciſſimi, atque Excellentiſſimi filii noſtri Domini Gallinici Exarchi, ut temperantius erga te ageremus, exegit.* Idque malim dictum ad retundendam Petri de Marca fiduciam, quam ad Ruinartii opinionem probandam: qua nimirum petitionis Principum conſuetudinem affert, falſo Reccaredi exemplo adhibito, quem ex literis Gregorii ſuperius recitatis liquet ignarum prorſus fuiſſe ſacri hujus ornamenti, quemadmodum Hiſpani omnes Præſules ante octavum ſeculum id ignorarunt.

Lib. 7. ep. 112.

Lib. 7. ep. 81.

X. In Pallio nulla inerant Privilegia.

Cæterum Ruinartii affirmatio ea perquam liberalis de aliis aliiſque privilegiis Pallio adnexis pro locorum, perſonarum, ac temporum conditione non ſolum mihi non arridet, ſed etiam veri limites aliquantulum tranſgredi viſa eſt. At enim vero perpaucis ex epiſtola Gregorii ad Syagrium allatis, *rationis ordo nos admonet, ut cum uſu Pallii aliqua largiri privilegia debeamus,* multa, doctiſſime quidem, affirmat tum de Pallio nunquam concedi ſolito ſine aliquo privilegio, tum de privilegiis eidem ſemper adnexis; at quibuſcum pugnat ipſa Gregorii epiſtola, unde paucula is decerpſit ſuo argumento conducentia. Quæſo non pigeat plenam Gregorii ſententiam mente atque oculis uſurpare: *Dignum profecto,* inquit, *eſſe credimus, ut*

Diff. de Pall. cap. 13. §. 1.

Lib. 7. ep. 112.

Digitized by Google

cum mentis gravitate, qua Deo te propitio pollere didicimus, habitus quoque exterioris clarior in te cultus accreſceret: præſertim quum te hunc non ad ſuperfluæ elationis pompam, ſed pro genio & honore tuæ arbitramur Eccleſiæ petiviſſe. Cujus ne indumenti munificentiam nudam videamur quodammodo contuliſſe; hoc etiam pariter proſpeximus concedendum, ut Metropolitæ ſuo per omnia loco & honore ſervato, Eccleſia Civitatis Auguſtodunæ, cui omnipotens Deus præeſſe te voluit, poſt Lugdunenſem Eccleſiam eſſe debeat, & hunc ſibi locum & ordinem ex noſtræ autoritatis indulgentia vendicare. Cæteros vero Epiſcopos ſecundum ordinationis ſuæ tempus, ſive ad conſedendum in Concilio, ſive ad conſcribendum, vel in qualibet alia re ſua attendere loca decrevimus, & ſuorum ſibi prærogativam ordinum vendicare: quia omnino rationis ordo nos admonet, ut cum uſu Pallii aliqua ſimul, ſicut diximus, largiri privilegia debeamus. Et quidem jure; nam res erat de præcipuo Romani Pontificis inſigni conceſſo Præſuli, qui præter gratiam Principum, nulla alia autoritate pollebat inter Coepiſcopos. Quamquam vero tenue privilegium haberi debeat locum principem occupare inter Fratres (dum cæteroqui Metropolitæ ſuo parendum illi erat, ut reliquis Epiſcopis) quodque minime excedat inditam pallio naturam, ut nempe ſacerdotalis officii decor ſit; tamen ſummi privilegii loco juvat id putare. Quid? Qualecumque illud eſſet, adnexumne erat pallio, an ſeorſim a Pontifice concedebatur, ne ſacrum id ornamentum quodammodo proſtitutum videretur? Gregorii ſententia commentariis non indiget. Itaque id ratum atque firmum haberi velim, quod non modo nulla inerat autoritas ſacro pallio, ut ſupra ajebam; verum etiam nullum præſeferebat privilegium: ornabat ſolum eos Præſules, qui ab Apoſtolica Sede ipſum acceperant, ſanctiorisque eos vitæ admonebat. Quæ duo & ex allatis Gregorii literis, & ex aliis quæ opportunius afferentur, liquent, & luce ipſa clariora ſunt.

XI. Vicarii Apoſtolici, qui ornabantur Pallio nil no æ autorit. acquirebāt.

Penſius modo explorari oportet opinionem Morini, & aliorum, qui non ſolum privilegia Pallio innata eſſe, verum etiam per pallii inveſtituram Apoſtolicas vices demandari conſueviſſe contendunt. Neque id quidem eam improbando, aut refellendo; at noſtro ex more documenta ipſa proferendo, quæ firmiſſimo quovis argumento potiora eſſe non eſt dubium. Primo afferantur loco binæ Vigilii literæ duobus Cæſarii Arelatenſis

ſis ſucceſſoribus: *Ut agenti*, ait Auxanio, *vices noſtras, pallii non deſit ornatus, uſum tibi ejus, ſicut praeceſſori tuo prædeceſſor noſter ſanctæ rec. Symmachus legitur contuliſſe, Beati Petri ſancta autoritate concedimus*. Auxanio autem e vivis ſublato ſucceſſit Aurelianus, cui Vigilius idem & Apoſtolicas vices, & Pallium conceſſit, iiſdem fere verbis utens. Aureliano ſucceſſit Sapaudus, cui Pelagius I. Apoſtolicas vices demandavit, & juxta conceſſit uſum pallii: *Et nos*, inquiens, *fraternitati tuæ hujuſmodi curas injungimus, ut ſedis noſtræ Vicarius inſtitutus, ad inſtar noſtrum in Galliarum partibus primi ſacerdotis locum obtineas: & quidquid ad gubernationem Eccleſiaſtici ſtatus gerendum eſt, ſervatis Patrum regulis, & Sedis Apoſtolicæ conſtitutis, Divini judicii conſideratione diſpenſes. Uſum quoque Pallii tibi alacriter, affectuoſeque concedimus, &c.* Sapaudi ſucceſſor Licerius, qui biennium ſedit, nec vices Apoſtolicas, nec Pallium legitur accepiſſe. At Virgilius qui eidem eſt ſuffectus in Sede Arelatenſi, eratque S. Gregorii Magni familiariſſimus, ut frequentes Pontificis ad illum literæ teſtantur, triginta poſt annis, quam Sapaudus & Vicarii poteſtatem, & pallii honorem a Pelagio aſſequutus fuerat, utramque rem inſtaurari flagitavit a Magno Pontifice. Quare hic: *Quod vero*, ait, *in eis juxta antiquum morem uſum Pallii, ac Vices Sedis Apoſtolicæ poſtulaſti, abſit, ne aut tranſitoriæ poteſtatis culmen, aut exterioris cultus ornamentum, in Vicibus noſtris, ac Pallio quæſiſſe te ſuſpicer ...... Libenti ergo animo poſtulata concedimus, ne aut vobis quicquam de debito honore ſubtrahere, aut præcellentiſſimi filii noſtri Childeberti Regis petitionem contemſiſſe videamur*. Ejuſdem rei, eodem ſervato diſcrimine admonet Regem: *Fratri noſtro*, ajens, *Virgilio Arelatenſis Civitatis Epiſcopo vices noſtras juxta antiquum morem, & Excellentiæ Veſtræ deſiderium, Deo favente, commiſimus: cui etiam & Pallii uſum, ſicut priſca habuit conſuetudo conceſſimus*. Quod autem maxime animadverti velim, per idem tempus dat literas ad univerſos Galliarum Epiſcopos, quos ſubjici mandat ſuo Vicario; & quoniam de autoritate res eſt, ne verbum quidem facit de exteriori ornatu, videlicet Pallio. *Quia*, inquit, *unumquodque tunc ſalubriter completur officium, quum fuerit unus, ad quem poſſit recurri, præpoſitus: idcirco opportunum eſſe perſpeximus, in Eccleſiis, quæ ſub regno præcellentiſſimi filii noſtri Childeberti Regis ſunt, ſecundum anti-*

DISSERT. V. CAP. II.

Vigil. Pp. ep. 7. 10.

Pelag. I. ep. 6.

Lib. 4. epp. 51. 52. 53.

DISSERT. V. CAP. II. *quam conſuetudinem fratri noſtro Virgilio Arelatenſis civitatis Epiſcopo vices noſtras tribuere : quatenus & Catholicæ fidei integritas, ideſt ſanctarum quatuor ſynodorum, Deo protegente, ſollicita devotione ſervetur ; & ſi inter fratres, conſacerdoteſque noſtros aliqua evenerit forte contentio, autoritatis ſuæ vigore, vicibus nempe Sedis Apoſtolicæ functus diſcreta moderatione compeſcat ...... Neceſſe eſt, ut ad eum, cui noſtras vices injunximus, quoties oportere perſpexerit, pro facienda collatione, aptis debeant Epiſcopi temporibus convenire.*

XII. Nam autoritas ſolum inerat in Vicariatu.

Celeberrimæ Arelatenſis Eccleſiæ Præſules, qui Apoſtolici Vicariatus autoritate, & ornamento pallii fuerunt conſpicui, numerando recenſui. Florianus ſiquidem, Cyprianus, aliique Virgilii ſucceſſores nec Vicaria poteſtate præditi, nec pallio ornati, Arelatenſis potius ſedis viciſſitudines, quam rem noſtram confirmant. Id vero eo lubentius feci, quo benignius agendum mihi eſſe video cum Em. & juxta doctiſſimo, ſanctiſſimoque viro Card. Bona, qui & ipſe aliorum aliis opinionibus diſtractus de Pallio parum ſcite, ac dubitanter loquitur; *In Gallia*, inquit, *nemini mittebatur, niſi ſoli Arelatenſi, de qua re extant Epiſtolæ Vigilii ad Auxanium, Pelagii I. ad Sapaudum, Gregorii Magni ad Childebertum Regem Francorum. In Hiſpania ſoli Hiſpalenſi; In Dalmatia Salonitano; In Italia Ravennati; In Sicilia Syracuſano; In Sardinia Calaritano, ut ex epiſtolis Gregorii liquet*. (Rer. Litug. l. 1. c. 24. n. 16.) Has ſiquidem & ego Epiſtolas, Venerabili viro obtemperans perlegi, & nuper attuli quæ ad Arelatenſes ſpectant, quemadmodum, quæ ad Hiſpalenſem unum Leandrum pertinent, ſuperiori capite ſunt recitatæ. De iis vero quæ Illyricum Occidentale, & ſuburbicarias reſpiciunt, non fuit, quid agerem, nam diverſa admodum res eſt, Palliique ad diſciplinam pertinet, de qua capite ſequenti diſputabo. Verum aut felicior ego inſpector literarum fuerim, aut minus diſtractus rerum multitudine, aliorum dicta averſanda, quam adoptanda magis duxerim, dubitationem illam grandem doctiſſimi Cardinalis abjeci omnem: *ſive hoc fieret*, ille ajebat, *intuitu Eccleſiarum, ſeu civitatum præ cæteris eminentium, ſive ob Vicariatum Apoſtolicæ Sedis illis Archiepiſcopis tributum, quo titulo conſtat Pallio a Summis Pontificibus inſignitos fuiſſe Archiepiſcopos Corinthi, Theſſalonicæ, & primæ Juſtinianæ*. Namque ex Gregorio ipſo cauſas depromſi certas; demonſtravi, quod S. Leander Hiſpalenſis non erat Vicarius, pallium licet obti-

tinuerit; oſtendi, quod Auguſtodunum nec Metropolis erat, nec præclarior urbs Lugdunenſi Metropoli; ac demum patefeci quod Pallio nulla inerat autoritas, quin potius mores vitæ ſanctiores exigebat Inſigne iſtud Pontificium ab iis quibus concedebatur. Quare ad ſolum ornatum redacto Pallio, autoritas omnis, omniſque poteſtas vindicatur Vicariatui Apoſtolico, quo qui erant prædìti Epiſcopi ſacro Pallio ornarentur, necne, non ſecus atque Romanum Pontificem, cujus gerebant vices, præſeferrent, & Epiſcopos alienæ provinciæ, & Metropolitas ipſos habebat ſubditos. Hanc vero poſtremam partem ante me perſecuti erant ſcriptores toto orbe celeberrimi Card. Noriſius, Garnerius, & Ruinartius, quorum ego veſtigiis inhæſiſſe glorior, tametſi extra omnem aleam, quod ipſi non fecerunt, rem poſuiſſe mihi videor. DISSERT. V. CAP. II.

XIII. Pallium concedebatur Epiſcopis Eccleſiarū, quæ illud olim habuerant.

Nec vero gratis aliquid, aut minus conſtans per me allatum quis putet, quaſi Pontificum ſeorſim concedentium uſum Pallii ad ornatum iis Epiſcopis, qui Apoſtolico Vicariatu perfungebantur, meo interpretatus arbitrio ſim, Pallioque abſtulerim privilegia, quæ a nonnullis ei adnectuntur. Quandoquidem tot ſuppetunt argumenta ex largitore illo maximo hujus ſacri ornatus Gregorio Magno, quibus ipſe inhæreo, ut ad moleſtiam uſque urgere idem poſſim. Unicum valdequam apertum ſubjungam, quo conſtat liquido, nihil autoritatis, nihilque privilegii adnexum fuiſſe Pallio. Deſiderius Viennenſis Epiſcopus, cujus prædeceſſoribus tantæ fuerant controverſiæ de honore Metropolitico cum Arelatenſibus, quum temporis Virgilius Arelatenſis Apoſtolicas gerebat Vices in Galliis petiit de more Pallii uſum, quia ſcilicet tale ornamentum nullatenus officere autoritati Vicarii S. Sedis norat. Perinde Pontifex nullatenus inde lædi Vicariatum, at unum ornari Epiſcopum ſciens reponit, ſe per Joannem Regionarium edoctum fuiſſe: *Quod Eccleſiæ veſtræ quædam olim privilegia ab Apoſtolica Sede conceſſa ſunt, atque uſum Pallii ejus Sacerdotes antiquitus habuiſſe. Quod quia vobis magnopere poſcitis reformari, in Eccleſiæ noſtræ Scrinio requiri fecimus, & inveniri nil potuit .... In requirendis chartis Eccleſiæ veſtræ vigilantius curam impendite, & ſiqua exinde ſcripta inveniri potuerint, quæ nos valeant informare, huc curæ veſtræ ſit tranſmittere. Nam qui nova concedimus, vetera libentiſſime reparamus*. Hujuſmodi chartæ inventæ fuerint, necne, parum attinet indagare: id certum, quod Lib. 7. ep. 116.

Dissert. V. Cap. II. quod biennii ſpatio nihil difficultatis eſt inventum, quod Pallii conceſſionem averteret, præter Deſiderii ejuſdem culpam, quæ præterita extinguebat ejus merita ad accipiendum Pallium neceſſaria. Relatum ſiquidem Gregorio erat, quod Deſiderius tradebat grammaticæ artis præcepta: *Quam rem*, inquit, *ita moleſte ſuſcepimus, ac ſumus vehementius aſpernati, ut ea quæ prius dicta fuerant, in gemitum & triſtitiam verteremus*. Ei ſuccenſet acriter: Candido presbytero id neganti vix adhibet fidem: neque alio ſe pacto induci poſſe proteſtatur ad concedendum Pallium, quam *diſtricta & veraci ſatisfactione*: deinde concludit: *Unde ſi poſt hoc evidenter ea, quæ ad nos perlata ſunt, falſa eſſe claruerint, nec vos nugis & ſecularibus literis ſtudere contigerit, Deo noſtro gratias agimus, qui cor veſtrum maculari blaſphemis nefandorum laudibus non permiſit, & de concedendis quæ poſcitis ſecure jam, & ſine aliqua dubitatione tractamus*. Gregorio igitur nihil prorſus obſtitit Vicariatus Arelatenſis, quominus Pallium Vienneuſi concederet, quia ſcilicet ſacro Inſigni autoritas nulla, nullumve privilegium adnectebatur, quod Apoſtolici Vicarii poteſtatem imminueret; mores tantummodo petentis Epiſcopi impedimento erant, quin ſacro idem ornatu conſpicuus fieret.

XIV. Metropolitæ ii eſſent necne. Quid autem obſtiterit Pontifici Eccleſiarum decoris amantiſſimo, quominus pallii uſum Viennenſi concederet? Ipſomet utamur teſte, ut certius aliquid afferamus de hac re: *Omni*, ait, *convenire novimus rationi, ut eos amictu Pallii decoremus, quos in illis Civitatibus Divina inſpirante miſericordia Sacerdotii honor illuminat, in quibus hoc etiam ab illis, qui præteritis temporibus Pontifices fieri meruerunt, & ab Apoſtolica Sede conſtat eſſe indultum*. (Lib. 10. ep. 56.) Hinc eſt, quod perinde Virgilio Arelatenſi, cujus prædeceſſores ab Apoſtolica Sede obtinuerant pallium; ac Deſiderio Viennenſi, modo ſuis prædeceſſoribus conceſſum oſtenderet, pallii uſum largiturus erat. Et hæc quidem de inſtauratione antiqui Eccleſiarum decoris. Ubi enim de nova conceſſione res erat, cauſarum merita, ut vidimus, erant opus. Eſtque omnium inſtar conceſſio primum vehementer negata, deinde officioſiſſime facta Auguſtodunenſi Syagrio, de qua frequenter ſum loquutus: (Lib. 7. ep. 112.) *Quia igitur*, inquit, *in prædicationis opere, quam diu cogitans, Anglorum genti per Auguſtinum quondam Monaſterii mei præpoſitum, nunc Fratrem, & Coepiſcopum noſtrum impendere ſtudui, ita ſollicitum, atque devotum, adjutorem-*

remque omnibus te, ut oportuit, fuiſſe cognovimus, ut magnum DISSERT. V.
me ſibi fraternitas tua hac de re faceret debitorem, tantæ rei CAP. II.
conſideratione commonitus, ne infructuoſus erga te viderer exiſtere, Fraternitatis tuæ petitionem nulla pertuli ratione poſtponere. Similiterque Maximiano Syracuſarum Epiſcopo, quem ipſe ordinavit Romæ, idcirco uſum Pallii conceſſit, quia meritis cauſarum eum eſſe ſpectabilem norat, quod docent ejus ad eumdem literæ, dum ſua in Eccleſia Epiſcopali officio laudabiliter fungebatur: *Quas videlicet vices* (conſtituebat Maximianum *Lib.1. ep. 4.*
Vicarium ſuum) *non loco, ſed perſonæ tribuimus: quia ex tranſacta in te vita didicimus quid etiam de ſubſequenti tua converſatione præſumamus*. Contra vero conſtat, ne ad eos quidem, quorum Prædeceſſores pallii uſum habuerant, mitti conſueviſſe id ornamentum, ſi cauſarum merita abeſſent. Salonitanis Præſulibus infra oſtendam, Pallii traditione confirmari ſolitam fuiſſe eorum dignitatem. Pallium nihilominus Gregorius negavit Maximo, quia merita cauſarum deerant, nam ſchiſmate laborabat; neque ante de tradendo ei pallio egit, quam reverſum eum ad frugem intellexit: *Poſtquam ergo*, inquit, *Fraternitas tua Apo-* *Lib.7. ep. 81.*
ſtolicæ Sedis communionem ſe reparaſſe cognovit, perſonam ad nos tranſmittat, quæ Pallium tibi deferendum ex more percipiat. Nam quemadmodum illicita perpetrari non patimur, ſic quæ ſunt conſuetudinis, non negamus. Ita, ſi meminiſti, Syagrio Auguſtodunenſi id ornamenti eſt negatum, præcipue ob ipſiſſimam illam cauſam ſchiſmatis, quo laborabat qui allaturus erat in Gallias ſacrum Inſigne. *Primum*, ait Gregorius, *quia is qui venerat* *Ibid. ep. 5.*
Pallium accepturus, Schiſmaticorum tenetur errore implicatus. Itaque aut nova fieret conceſſio, aut inſtauraretur antiqua, & merita cauſarum, & petitio adeſſent neceſſe erat.

XV. Raro conceſſū ſine petitione & citra conſuetudinem.

In admirationem quis, arbitror, conjectus erit, memoria repetens Pallium in Hiſpanias miſſum ad Leandrum Hiſpalenſem, nulla prævia petitione, nullaque accedente conſuetudine. At longe alia pallii hujus ratio eſt. Non multo ſiquidem interjecto tempore, poſtquam Syagrii vota explere ſe teſtabatur Gregorius ob præclara illius merita de Anglicana miſſione, literæ ei redduntur ab Hiſpaniis tum Leandri Præſulis amiciſſimi, tum Reccaredi Regis Catholici, de quibus, quantum res patiebatur, ſum loquutus, ubi de Pallio ad Leandrum miſſo differebam. Ibidem nihilominus ſingularitatem conceſſionis maxime exaggeravi, quod videlicet neque Rege, neque Epiſcopo flagitante, præcla-

Diſsert. V. Cap. II.

clarum adeo Inſigne illuc mitteretur: mihique præterea excidit, quod hujuſmodi conceſſionis genus neſcio quid diſciplinæ illius redolet, quam ab ipſo Gregorio inſtitutam in Anglia mox patebit. Enimvero Pallium ulli Epiſcoporum datum extra Italiam haud petenti, non inveni aliud, præter iſtud Leandri. Quamobrem cauſis exploratis, quæ ſingulare id genus conceſſionis pepererunt, earum quamſimillimas has eſſe cognovi, quæ Auguſtino Anglorum, & poſtmodo Bonifacio Germanorum Apoſtolo, abſque ulla petitione Pallium compararunt. Omnem ſcilicet Hiſpaniam ab inſaniſſimo Arianorum dogmate ad Catholicam fidem revocavit: Epiſcopos, Clerumque univerſum Sacrorum Canonum ignoratione laborantem inſtruxit; ac demum ſpatio annorrm decem poſt generalem hæreſis deteſtationem, prædicatione, & ſcriptis libris nunquam non Eccleſiam illam fovit, confirmavitque. Neque horum quicquam fugiſſe putes Pontificem, quippe qui ne admonere quidem eſt auſus Leandrum, quid ſibi vellet vitæ ſanctioris ſacer ille ornatus: *Loquutionem*, inquit, *ſupprimo, quia verba moribus anteitis*. Quid quod ſanctos item mores in Rege Pontifex mirabatur, quem & norat optime, & ſæpe teſta-

Lib. 7. ep. 126. tus erat, eſſe alumnum Leandri? *Quid ego*, alloquitur Reccaredum, *in illo tremendo examine Judici venienti dicturus ſum, ſi tunc illuc vacuus venero, ubi tua excellentia greges poſt ſe fidelium ducet, quos modo ad veræ fidei gratiam per ſtudioſam, & continuam prædicationem traxit? Sed eſt mihi, bone vir, hoc ex Dei munere in magna conſolatione, quia opus ſanctum, quod in me non habeo, diligo in te. Cumque de tuis actibus magna exultatione gaudeo, ea, quæ per laborem tua ſunt, per caritatem mea fiunt*. Nec mirabatur ſolum, ſed etiam inter cauſas recenſebat, quæ S. Leandro Pallium promeruerant: *Leandro*, inquit, *pallium a B. Petri Apoſtoli Sede tranſmiſimus, quod & antiquæ conſuetudini, & veſtris moribus, & ejus bonitati, atque gravitati debeamus*. Quæ quidem non leviter prætereunda mihi eſſe intelligo; namque interpres aliquis parum ſagax retundendus mihi videtur hac ſuper re.

XVI. Uni Leandro Hiſpalenſi ita datum videtur.

Antiquam ſcilicet *conſuetudinem* pro argumento uſurpat ſæpe jam conceſſi uſus pallii Metropolitæ Hiſpalenſi. Quaſi vero nullum omnino exemplum rei ſuppetens ex tota Hiſpaniarum antiquitate argumentum ſit parum firmum, quod ei objiciatur. Qui enimvero primus omnium Pontificum Tranſalpinos Præſules decoravit Pallio, is conſtanti eruditorum omnium opinione eſt Sym-

Symmachus. Ita Vigilius ſex & viginti poſt illum annis Ponti- Dissert. V.
fex, teſtabatur Auxanio: *Sicut Prædeceſſori tuo Prædeceſſor noſter ſanctæ rec. Symmachus legitur contuliſſe*. Ita Cæſarii Arelatenſis (de quo Vigilius loquitur) vitæ ſcriptor Cyprianus ejuſdem æqualis, & diſcipulus nobis poſteris declaravit: *Virum*, inquiens, *Apoſtolicum non tantum fama vulgante, ſed corporali præſentia comprobantes, certatim diligere, ac venerari cœperunt: pro qua re etiam Papa Symmachus tanta meritorum ejus dignitate permotus, non ſolum eum veriſſime cum Metropolitano honore ſuſpexit, ſed & conceſſo ſpecialiter Pallii decoravit privilegio*. Symmachi autem ſucceſſor Hormiſda peſſumdatam Hiſpaniarum Eccleſiam duobus legitur Præſulibus commendaſſe, Joanni videlicet Illicitano Epiſcopo in aliquibus provinciis, & in Bætica & Luſitania Salluſtio Metropolitæ Hiſpalenſi: at neque is, neque ex Succeſſoribus alius ullus, ante Gregorium Magnum, non dico pallii honore, ſed ne Vicariatus quidem privilegio, quod ſupra eſt uberrime demonſtratum, Præſulem quemvis alium dignatus eſt. Quamobrem *antiqua* hæc *conſetudo* a Gregorio eodem laudata, non Hiſpanam conſuetudinem præſefert, ſed Romanorum Pontificum, centum quippe ante annis cœperant pallium trans alpes mittere. Haud felicius interpretatur *veſtris moribus*; non enim legit, *veſtris*, ut reſtituerunt PP. S. Mauri optimæ notæ Codicibus exploratis, ſed *noſtris* quod in antiquiores editiones irrepſit. Quid enimvero ſibi vult *noſtris moribus*? Num forte Gregorius ſuorum ipſe morum laudator cauſam ex ſe petit alieni meriti? Non quidem puto alicui venire in mentem poſſe, Pontificem incredibili erga omnes Principes obſequio, ab officio ſemel diſceſſiſſe: at ſi forte venerit, pergat quæſo epiſtolam illam legere, nec diu in ſententia iſta perſiſtet. Salutaria ſiquidem monita Regi Gregorius impertit, ſummæ præſertim æquitatis, atque humilitatis, quæ, ut vidimus, ingenitæ pallii virtutes erant, mox tempeſtive ſe corrigens: *Hæc autem*, inquit, *vos autore Deo omnia ſervare non ambigo. Sed occaſione admonitionis exorta, bonis veſtris actibus me furtive ſubjungo, ut quod non admoniti facitis, quando vobis & admonens additur, jam non ſoli faciatis*. Dubiumne ullum remanet, quin Regis moribus debere ſe pallium dicat Sanctus Pontifex? Nullum ut reor. Singularitas tantum conceſſionis admiratione digna eſt. Datur ſiquidem pallium Metropolitæ neque per ſe, neque per Regem petenti; datur præter omnem Eccleſiæ Hiſpalenſis, im-

Cap. II.

Vigil. Pp. ep. 1.

Mabill. ſec. 1. Ben.

Digitized by Google

mo Hiſpanæ conſuetudinem; datur denique non tantum Epiſcopi, ſed & Regis moribus exploratis, largitore ipſo Gregorio id teſtante.

XVII. Hujuſmodi cōceſſio proluſit novæ diſciplinæ Pallii.

Fateri non dubito, me, quumprimum in hujuſmodi conceſſionem incidi, quam potui diligentius exploraſſe, num forte aſſumentum utraque epiſtola paſſa eſſet, uſque adeo rei novitate ſum perculſus! verum ut vidi ab Hiſpanis ſuum in Codicem veterum Canonum has quoque epiſtolas relatas fuiſſe, dubitationem abjeci omnem, quin pallium vere in Hiſpanias miſſum fuerit, miſſumque ob eas cauſas, quas recenſui; eoquod nimirum conſuetudo vetus Romanæ Eccleſiæ, Reccaredi Regis mores, virtuteſque S. Leandri id exigerent: aliam quippe nullam binæ illæ literæ (ſingulare ſcilicet ac certum hujus rei monumentum) præſeferunt. Ea vero ſingularitas conceſſionis mihi perſuadet ut credam, quod Sanctus iſte Pontifex, quem conſtat pro fidei & Eccleſiæ unitate pugnaſſe ſemper plurimum, de confirmandis omnibus ſui Patriarchatus Metropolitis traditione pallii cogitabat; tantum videlicet de plenitudine poteſtatis in eoſdem effuſurus, quantum eſſet ſatis ad cuſtodiendos in provinciis Canones, continendoſque in officio ſubjectos Præſules. Nec mihi ſecus credendum eſſe videtur animadvertenti, quod paulo poſt miſſum pallium in Hiſpanias, Gregorius idem Auguſtino Anglorum Apoſtolo miſit pallium cum autoritate, parique ratione ab ſe miſſum iri ad Epiſcopum Eboracenſem affirmat: *Metropolitani honore perfruatur; quia ei quoque ſi vita comes fuerit, pallium tribuere, Domino favente proponimus*. Quod ſane confirmationis genus infra oſtendam in Italia, & per Illyricum obtinuiſſe; at in Gallia, quæ una ex Occidentalibus provinciis uſum pallii noverat, ſacrum hoc indumentum ad ornandam potius, quam ad confirmandam Metropoliticam autoritatem mitti ſemper conſueviſſe, luce clarius oſtendi ſupra. Tamen nihilominus quum Gregorio eidem res fuit de autoritate pallii, quam recenti in Eccleſia Anglicana peroptabat intelligi, Auguſtinum monuit, ne late nimium autoritatem ſuam extenderet, ita ut Gallicani Epiſcopi ab juriſdictione Arelatenſis Metropolitæ avellerentur. *In Galliarum*, inquit, *Epiſcopos nullam autoritatem tribuimus: quia ab antiquis prædeceſſorum meorum temporibus pallium Arelatenſis Epiſcopus accepit, quem nos privare autoritate percepta minime debemus*. Quæ ſane pugnant non modo cum Gregorii prædeceſſorum epiſtolis ſuperius allatis, quarum unaquæque in Vicariatu

Lib. 11. ep. 64.

Ibid.

tu autoritatem, ornatum in pallio aperte conſtituunt; verum etiam cum ipſis Gregorii literis, quibus & Virgilio Arelatenſi, & Childeberto Regi teſtatur, nullam pallio autoritatem ineſſe, dum quæ pallii, quæve Vicariatus ſunt, ſeorſim recenſet. Pugnant inquam, ſed ſpecie tantum; Nam Pontifex cum Auguſtino agit de autoritate, quam pallii traditione Metropolitis ubique avebat accedere, tamquam in partem ſupremæ poteſtatis vocatis ab ipſo Chriſti Vicario, cujus quidem expers erat pallium Arelatenſi Metropolitæ conceſſum, quippe conceſſionis tempore nullam is autoritatem adeptus fuerat, nondum enim cœperat hujuſmodi diſciplina. Eam vero, ut, quemadmodum ſe habuit, quiſque intelligat fuſiori aliquantulum diſceptatione perſequar neceſſe eſt. DISSERT. V. CAP. II.

CAPUT III.

De diſciplina veteri, & nova ſacri Pallii.

TAm multis tamque variis ante hunc diem diſputationibus rem ſacri pallii pertractatam invenio, ut integram inde diſciplinam erui poſſe diffidam. Ruinartius, quem ajebam cæteris uberius de eo ſcripſiſſe, tria perſpexit genera concedendi uſum pallii in S. Gregorii epiſtolis. Eruditi alii, qui eum ſcribendo præiverant, diſciplinam poſuiſſe duplicem contenti, quarum altera ante octavum ſeculum, altera poſt obtinuerit; hanc patere latius, quam illam, viderunt quidem: at minime animadverterunt, quod utraque diſciplina ipſo eodemque ex fonte, ex Gregorii nimirum literis, derivatur. Equidem nulli adhærendum magis reor, quam tanti Pontificis teſtimonio, quo ſcilicet neceſſe eſt utatur quiſquis de ſacro hoc indumento ſermonem habet. Hinc liber ipſe diurnus Pontificum antiquas ſuas formulas decerpſit; hinc doctiſſimus Cardinalis Bona, recentioreſque omnes eruditi ſua eduxerunt argumenta; hinc denique diſciplina omnis pallii certiſſime repetenda eſt. Quamobrem a communi ea opinione arbitror recedendum, qua duplex ponitur diſciplina prorſus varia, ita ut, quam octavo ſeculo cœpiſſe ajunt, ei cum vetuſtiori alia diſciplina ſit nulla conjunctio: ſtabiliendumque eſſe cenſeo, quod veterem ſubinde recentior ſubſequuta, minime antiquavit illam, ſed produxit, eidemque pro conditione temporum nova ſemper attulit incrementa. Eſtque, ut ve-

I. Diſciplina pallii tum vetus, tum nova ex Gregor. literis eruendi.

Diſſ. de Pallio cc. 8. & ſeqq.

Digitized by Google

verum fatear, cur multum ego admirer, veniſſe nonnullis in mentem multiplicis conſuetudinis naturam pallio etiam adſcribere : quaſi vero Pontificiæ ſupremæ poteſtatis indicium illud maximum, præcipuumque Inſigne Romani Pontificis communicatum Epiſcopis, conſuetudines, quæ ſenſim inoleverunt in Eccleſiis, referat, de quibus ita egregius Doctor Iſidorus : *Quod enim neque contra fidem, neque contra mores bonos habetur, indifferenter ſequendum, & propter eorum inter quos vivitur, ſocietatem ſervandum eſt; ne per diverſitatem obſervationum ſchiſmata generentur*. Et ante Iſidorum Gregorius Auguſtino Anglorum Apoſtolo teſtatus erat, minime improbandas Eccleſiarum conſuetudines, modo earum varietas non adverſaretur fidei. Non ſane hujuſmodi conſuetudo erat ſacri pallii extra Italiam & Illyricum; ſed rara, ut vidimus, ejuſdem largitio, tot prius cauſis exploratis, nec niſi ad ornatum impertita conceſſio neſcio quid oſtentationis redolent, qua in illius amorem pertrahere traſmontanos Metropolitas conabatur Romanus Pontifex, ut Orientalium Patriarchatuum more confirmati aliquando omnes per pallii traditionem, in Eccleſiæ unitate ipſi, comprovincialeſque omnes Præſules per ipſos, conſervarentur. In Italia vero, & Illyrico erat quidem conſuetudo confirmandi Metropolitas traditione pallii; at conſuetudo, quæ nullam paſſa erat, pative poterat mutationem, quippe quam ex Apoſtolica inſtitutione cœptam Orientales Patriarchatus uni eidemque imperio obſecundantes paſſim obtinere gloriabantur; dum contra in Occidentali anguſtis circumſcriptam limitibus ob difficultates temporum, maximeque ob Regnorum varietates diu perſeveraſſe compertum, exploratumque eſt.

De off. Eccleſ. lib. 1. c. 43.

II. *Metropolitæ Ital. & Illyrici confirmabantur traditione pallii.*

In ſuburbicariis enimvero, ſeu provinciis diœceſis Romæ juxta notitiam imperii nihil attinet rem iſtam quærere antiquioribus Gregorio ætatibus: nulli ſiquidem Metropolitæ ibidem erant. In diœceſi autem Italiæ duo illi celebres Metropolitæ ſtatim occurrunt Mediolanenſis, & Ravennas; quemadmodum in Illyrico Occidentali Laureacenſis utroque eorum aliquanto recentior. Hos vero confirmari conſueviſſe per traditionem pallii, vel inde diſcimus, quod quæ ſuppetunt documenta hujuſmodi conceſſionis, earum ſedium conſuetudinis meminerunt. Ita Mediolanenſi Conſtantio Gregorius: *Pallium ad ſacra Miſſarum ſolennia utendum ex more transmiſimus*. Ita idem Pontifex Joanni Ravennati: *Sollicite requirentes ab Adeodato diaco-*

Lib. 3. ep. 1. *Lib. 4. ep. 10.*

Digitized by Google

cono quondam fraternitatis tuæ cognovimus quia nunquam conſuetudo fuerit deceſſoribus tuis, ut in Letaniis pallio, niſi in ſolennitate B. Joannis Baptiſtæ, & B. Petri Apoſtoli, & B. Martyris Apollinaris uterentur. Ita ante Gregorium Symmachus Theodoro Laureacenſi in alibi laudata epiſtola: *Quo*, inquit, *ſecundum tuæ morem uti poſſis Eccleſiæ*. Et, quod maxime animadverti velim, Ravennatem illum Metropolitam compellans Gregorius, quippe abuſus pallio erat; *Illud tamen*, inquit, *frater cariſſime, tibi non putamus ignotum, quod pene de nullo Metropolitano in quibuslibet mundi partibus ſit auditum, extra miſſarum tempus uſum ſibi pallii vendicaſſe . . . . . . Aut enim mos omnium Metropolitanorum etiam a tua eſt fraternitate ſervandus, aut ſi tuæ Eccleſiæ aliquid ſpecialiter dicis eſſe conceſſum præceptumve a prioribus Romanæ urbis Pontificibus, quod hæc Ravennati Eccleſiæ ſunt conceſſa a vobis oportet oſtendi*. Ex quibus patet, quod pallii uſus apud Ravennates Metropolitas non modo erat antiquiſſimus, verum etiam omnino ejus ſimilis, qui in Patriarchatibus Orientis vigebat, in quibus ſcilicet Metropolitæ omnes per pallium autoritatem ſuam aſſequebantur. Neque alium lubet teſtem adhibere, præter Gregorium ipſum, qui mittens pallium Joanni Epiſcopo Juſtinianæ I. *Magna*, inquit, *nos exultatio habuit, talem Deo autore ad Sacerdotii officium eſſe provectum, qui dignus cunctorum eſt electionis judicio comprobatus. Proinde juxta poſtulationis veſtræ deſiderium, prædictum fratrem, & coepiſcopum noſtrum in eo, in quo eſt ſacerdotii ordine conſtitutus, noſtri aſſenſus autoritate firmamus; ratamque nos ejus conſecrationem habere dirigentes Pallium indicamus*. Neque vero ex Illyrico Orientali ſolum exempla ſuccurrunt; perinde enim in Occidentali feciſſe vidimus Symmachum cum Theodoro Laureacenſi; cumque Salonitano Maximo factum a Gregorio eſſe non ignoramus, quum mittens ei pallium, quod antea metu ſchiſmatis negaverat, *Quemadmodum*, inquit, *illicita perpetrari non patimur; ſic quæ ſunt conſuetudinis non negamus*: ita ut dubitari omnino nequeat, quin utroque in Illyrico, & in Italia Metropolitæ per pallii traditionem confirmarentur.

DISSERT. V. CAP. III.

Lib. 2. ep. 93.

Lib. 4. ep. 9.

Lib. 7. ep. 81.

III. In aliis Occid. Diœceſibus nō confirmabantur datione pallii.

Facili hîc negotio poſſem ex literis Gregorii decerpere quas dedit ad Metropolitas Corinthium in Achaja, & Nicopolitanum in Epiro veteri, quæ duæ provinciæ Orientalis Illyrici ſubditæ erant Primati Theſſalonicenſi, ſimul cum Dacia Mediterranea, Da-

Digitized by Google

Dissert. V. Cap. III.

Dacia Ripenſi, Prævali, Dardania, & Mæſia ſuperiori novo Metropolitæ, & Primati Achridenſi ſubjectis in gratiam Juſtiniani, cujus patria erat. Id vero magis magiſque comprobat quæ ajebam nuper, in utroque nimirum Illyrico tradi Metropolitis pallium conſueviſſe. Mea autem refert plurimum demonſtrare, quod in provinciis Diœceſeon a Romano imperio disjunctarum haud confirmabantur Metropolitæ per ejuſmodi traditionem ante magni Gregorii ævum, qui parens inſtitutorque eſt hujus diſciplinæ. Et ſane de more concedendi pallium Arelatenſi Metropolitæ aliive in Galliis ad ornatum, jam ſatis multa. De pallio item in Hiſpanias ſemel miſſo ſermonem, ut puto, ſatis uberem habuiſſe videor. Africa dumtaxat eſt reliqua ex iis Diœceſibus, quo mitti a Romanis Pontificibus potuit. Huc vero, quando etiam Symmachi prædeceſſores extra Italiam, & Illyricum id conceſſionis genus adhibuiſſent, directum ſcilicet eſſet pallium, ſi, quam exigebat unanimitatem id ſacrum ornamentum, eam præ ſe Eccleſia iſta tuliſſet cum D. Petri ſucceſſoribus. Quæ autem Afris Eccleſiis unanimitas eſſe potuit? Nonne Pelagiana hæreſi poſt Donatiſmum magna ex parte laborantes ab Arianis Vvandalis ſunt invaſæ atque peſſumdatæ? Nonne ad momentum reviviſcentes Beliſarii ope, trium Capitulorum ſchiſmate affligebantur? Prætereo, quod indidem, utquumque præſtantes doctrinæ & ſanctitatis laude Antiſtites nunquam non oſtentarit Africa, controverſiis ſemper, ac diſputationibus vexata eſt S. Sedes. Huc accedit potiſſima pallium avertendi ratio, deſultoria quævis Metropolis, ita ut nunquam uni ſedi, præter Carthaginenſem, adhæſurum fuiſſet unquam contra conſuetudinem, ſacrum pallium. Quæ igitur Diœceſis inter Occidentales ſupererat non primo impetu barbarorum ab imperio avulſa, multas ob alias cauſas confirmationis Metropolitarum, hujuſmodi ab ſe diſciplinam avertit. Nec eſt, cur alibi quæramus cauſæ iſti præſidium; nam nullo etiam impedimento ab Occidentis Metropolitis accedente, Romani Pontifices prudenti conſilio Regnorum, quæ ab Imperio defecerant, moderari debuerunt Eccleſias leniter, magnaque cum circumſpectione; namque per vaſtos Orientis tractus Auguſtorum opera, & concordia egebant, ut fidei, & Eccleſiæ unitas illibata conſervaretur, eaque omnia, quæ ad optimum Eccleſiaſtici Orbis regimen pertinebant, conſenſu unanimi in ſacris Conciliis decernerentur: nec Principibus ab Romani Imperii legibus plane ab-

Lib. 4. epp. 15. 55. 56. lib. 5. ep. 7.

abhorrentibus proprio debuerunt periculo non dico adhærere, ſed adhæſuri eſſe videri. DISSERT. V. CAP. III.

IV. Metropolitæ confirmari cæperunt in Angliâ.

Ceſſavit demum aliquando is metus, eaque tanta Romanorum Pontificum circumſpectio, ubi quà Orientalium Auguſtorum veſania, quà leviſſimorum Orientis Præſulum ambitio, & ſchiſma eam ſubſequutum præcipuam S. Sedis curam ab ſe averterunt. Interim vero Gregorius Magnus in Patriarchatu Occidentis laudabilem illam diſciplinam excitaverat, qua Metropolitæ omnes ſacri pallii traditione ab ipſo Univerſalis Eccleſiæ capite confirmantur. Auguſtino ſiquidem Monacho ad converſionem Anglorum miſſo, hujuſque opera & induſtria populis ad Catholicam fidem converſis, de Eccleſia inibi conſtituenda juxta optimam illam diſciplinam, quæ ab Apoſtolorum ævo ſenſim coaluerat, deliberavit. Itaque duas pro fidelium numero ordinavit provincias a duodecim utramque Epiſcopis adminiſtrandam, quarum Metropolitæ aut ab ipſo, aut a futuris Pontificibus pallii traditione confirmarentur. *Quia nova*, inquit, *Anglorum Eccleſia ad omnipotentis Dei gratiam, eodem Domino largiente, & te laborante perducta eſt, uſum tibi pallii ad ſola miſſarum ſolennia agenda concedimus, ita ut per loca ſingula duodecim Epiſcopos ordines, qui tuæ ditioni ſubjaceant: quatenus Londonienſis Epiſcopus Civitatis ſemper in poſterum a ſynodo propria debeat conſecrari, atque honoris pallium ab hac ſancta & Apoſtolica, cui autore Deo deſervio, ſede percipiat. Ad Eboracam vero Civitatem te volumus Epiſcopum mittere, quem ipſe judicaveris ordinandum: ita ut ſi eadem Civitas cum finitimis locis verbum Dei receperit, ipſe quoque duodecim Epiſcopos ordinet, & Metropolitani honore perfruatur: quia ei quoque, ſi vita comes fuerit, Pallium tribuere, Domino favente, proponimus; quem tamen tuæ fraternitatis volumus diſpoſitioni ſubjacere. Poſt obitum vero tuum ita Epiſcopis, quos ordinaverit, præſit, ut Londonienſis Epiſcopi nullo modo ditioni ſubjaceat.* Hinc ſane aliquantulum divagari compellor recitata epiſtola; ea ſiquidem abuti nonnullos ſentio, ſuæ ipſorum opinionis tuendæ majori ſtudio, quam rectæ integræque Pontificis ſententiæ aſſequendæ. Duo enimvero hîc ſpectanda ſe offerunt: diſciplina nimirum confirmandi Metropolitas traditione pallii, & primatus prærogativa conceſſa uni Auguſtino, quæ cæteroqui inſtar Vicariatus Apoſtolici ipſi privatim, non ejus ſucceſſoribus adhæreret. Quæ profecto ſi ſerio, ac ſeor-

Lib. 12. ep. 15. al. lib. 11. ep. 64.

orſim examinentur, negotii parum faceſſunt, nec eſt, cur tam multa de inſtitutione, ac vicibus hujus primatus congerantur.

V. Primatus Auguſtini diſciplinam nō mutat. *Lib. 7. ep. 30.*

Ad primatum quod attinet (ſi modo perſonalis prærogativa primatus naturam induit) Auguſtino ejuſmodi honorem impertitum eſſe negari non poteſt. Quî autem ſecus fieret? Tanto idem ſucceſſu Miſſionem Britannicam, Dei optimi maximi beneficio implevit, ut biennio poſtquam eo appulit, populos fere innumeros baptizaverit. Audiendus gaudio elatus Gregorius qui Eulogium Patriarcham Alexandrinum rei compotem facit; *In ſolennitate*, inquit, *Dominicæ nativitatis, quæ hac prima Indictione tranſacta eſt, pluſquam decem millia Angli ab eodem nunciati ſunt fratre, & Coepiſcopo noſtro baptizati*. Hinc ſibi quilibet ominetur, quæ per tantum operarium habuit incrementa Eccleſia illa tribus fere annis, antequam pallium acciperet Auguſtinus; nam epiſtola nuper recitata dabatur anno 598. per menſem Julium, quæ autem Metropolitæ creationem, confirmationemque collato uſu pallii continet, anno 601. Quid igitur mirum, ſi ſanctus Pontifex alte jam inſidere Anglorum animis fidem certo ſciens, Auguſtino ſimul Metropoliticam dignitatem confert, & tanquam parenti Epiſcoporum, prærogativam inter ipſos, ne Metropolita quidem excepto, concedit? Quin etiam, præter provincias ab ſe ordinatas, quidquid Epiſcoporum in magna Britannia aut futurum erat, aut tunc temporis exiſtebat, omne id ſubjecit Anglorum Apoſtolo: *Tua ergo Fraternitas*, proſequitur in epiſtola ſuperius allata, *non ſolum eos Epiſcopos, quos ordinaverit, neque eos tantummodo qui per Eboracenſem Epiſcopum fuerint ordinati, ſed etiam omnes Britanniæ Sacerdotes habeat, Domino Deo noſtro autore, ſubjectos: quatenus ex vita & lingua tuæ ſanctitatis, & recte credendi, & bene vivendi formam percipiant, atque officium ſuum fide, ac moribus proſequentes, ad cæleſtia, quum Dominus voluerit, regna pertingat*. Quam longe adeo lateque effuſam poteſtatem negari non poteſt præſeferre primatum inſignem nulli omnino primatui poſthabendum.

VI. Quamquā enim per totam Britanniam extenderetur, in Auguſtino defecturus erat.

Idque agnitu iis eſt perquam facile, quicumque hiſtoriam illius ætatis memoria repetentes, animadvertant, quod Britannia major appellabatur quicquid peninſulæ eſt citra Hiberniam; ita ut Caledonia quoque, Scotia poſtea nuncupata, a Britanniis Romani Imperii disjuncta, majori Britanniæ adjungeretur.

Digitized by Google

tur. In Scotia vero fuiſſe Epiſcopos, Schiſmaticos licet, antequam eo Auguſtinus appelleret, inter omnes conſtat, tametſi compertum exploratumque eſt, quod Metropoles Andreopolitana, & Glaſcvenſis anno dumtaxat 1471. a Sixto IV. fuerunt inſtitutæ. Quicquid igitur Epiſcoporum in Scotia erat Auguſtini tempore, omne a Gregorio ſubjectum fuit Auguſtino, ut Catholicæ religionis in tota Britannia ſatageret. Reliqua vero Britannia amplectebatur antiquas eas quinque provincias Imperii, Britanniam I, Britanniam II, Flaviam Cæſarienſem, Maximam Cæſarienſem, & Valentiam: ex quibus Heptarchia illa, ſeu regna ſeptem ab Anglo-ſaxonibus facta erant, Cantium, cujus Metropolis Dorovernum: tria regna Saxonum, Orientalium, Meridianorum, & Occidentalium: totidemque Anglorum, Orientalium, Merciorum, & Nordan-Hymbrorum cujus poſtremi Metropolis Eboracum. Hanc vero heptarchiam totam Auguſtino Gregorius ſubjecit. Præterea eidem ſubdidit partem Britanniæ illam, quo confugerant Britanni a Barbaris pulſi, appellatam Cambriam, & Walliam, incertum num ibi Epiſcopi ulli eſſent, quos Schiſma a Romana Sede, ut Scotos, ſejungeret. Tantam vero juriſdictionem errat qui putat Auguſtini ſucceſſoribus primatus jure demandatam eſſe, quæ poſtea viciſſitudines temporum paſſa ſit; ſententia enim Gregorii aperta eſt. Succeſſoribus Auguſtini non ſolum cæteros Britanniæ Epiſcopos non vult ſubjacere, ſed ne Eboracenſem quidem: *Poſt obitum vero tuum ita Epiſcopis, quos ordinaverit, præſit, ut Londonienſis Epiſcopi nullo modo ditioni ſubjaceat. Sit vero inter Londoniæ, & Eboracæ civitatis Epiſcopos in poſterum honoris iſta diſtinctio, ut ipſe prior habeatur, qui prius fuerit ordinatus. Communi autem conſilio, & concordi actione quæcumque erunt pro Chriſti zelo agenda, diſponant, unanimiter recta ſentiant, & ea quæ ſenſerint, non ſibimet diſcrepando, perficiant*. Ex quibus liquet, quod cauſarum merita perſonalem Auguſtino dignitatem compararunt, quæ ad ſucceſſores non tranſiit. Illud nihilominus præteriri hic non debet, quod hujuſmodi primatus in provincias hauddum natas paulo differt ab juriſdictione Metropolitica, quæ ubique maxima ſemper fuit in Eccleſiæ fundatione, minor deinde pro numero Epiſcoporum effecta. Neque aliam fuiſſe Gregorii mentem perſuadet conceſſio uni Auguſtino facta quoad viveret. Quæ clarius etiam patet ex nona Interrogatione Auguſtini, qualem ſe gereret cum Galliarum

DISSERT. V. CAP. III.

DISSERT. V. CAP. III. rum Epiſcopis? Reſponſo enim Gregorii ad eamdem interrogationem præfigitur titulus: *Qualiter Metropolitanus in aliena provincia ſe habere debeat*.

VII. Inſuper Primatis autoritatem non exercuit.

Huc accedit, quod Auguſtinus, temporibus ita ferentibus, officio Primatis minime functus fuit in Britannia, quippe ubi Metropolis nulla eo ſuperſtite eſt excitata. Eboracenſis ipſa Gregorii decretum ſubſequuta eſt triginta annis poſt; quum Auguſtino jam ſucceſſerant Laurentius, Mellitus, & Juſtus, qui & eſſe debuerant, & quidem fuerunt meri Metropolitæ. Quare idem decretum ea tantum ex parte impletum eſt, qua æqualis utraque Metropolis inſtituebatur, Divinoque factum conſilio videtur, ut Londonium tantam dignitatem non aſſequeretur, fortaſſe ne procedente tempore hujus Sedis Epiſcopi honorem ſibi non ſuum vindicarent: nam Auguſtinus non Londonii, ſed Cantuariæ, ſive, ut tunc audiebat, Doroverni in urbe Regia Cantii Metropolim inſtituit, confirmatam poſtea a Bonifacio V. qui miſit Pallium Juſto Melliti ſucceſſori ex Rhoſſenſi ad Cantuarienſem Sedem tranſlato. Literas ipſas Bonifacii quæ leguntur apud Bedam recitabo, ut Anglorum Eccleſiæ ſtatus multo etiam poſt Auguſtini mortem teneatur. Anno igitur 624. Bonifacius mittit pallium ad miſſarum ſolennia adhibendum Dorovernenſi Epiſcopo: *Concedentes etiam*, inquiens, *tibi ordinationes Epiſcoporum, exigente opportunitate, Domini præveniente miſericordia celebrare: ita ut Chriſti Evangelium plurimorum annunciatione in omnibus gentibus, quæ necdum converſæ ſunt, dilatetur*. Quod ſi tamdiu poſt Gregorii decretum, quo unus Auguſtinus honore Primatis afficiebatur, rudem adhuc, Epiſcopiſque indigentem Britanniam fuiſſe conſideremus, ſupervacaneam porro judicabimus in re noſtra partem primam decreti Gregorii, nec niſi alteram ſpectandam intelligemus, qua perinde ſucceſſores Auguſtini, ac Præſules Eboracenſes Metropolitæ declarantur. Idque unum ſerio animadvertendum nobis erit, quod & Doroverni, & Eboracæ juxta diſciplinam a Gregorio inſtitutam confirmati ſunt Metropolitæ per ſacri pallii traditionem, quod liquido conſtat ex ſequentium Romanorum Pontificum literis eo miſſis.

Bed. Hiſt. Angl. l. 2. c. 8.

VIII. De ſola Metropolitica autoritate inſtituenda res fuit.

Primæ omnium occurrunt, quas dedit Honorius ad Eduinum Regem Nordan-Hymbrorum, quum Dorovernenſi, & Eboracenſi nuperrimo Metropolitæ pallium miſit. Earum ſententia hæc eſt: *Duo pallia utrorumque Metropolitanorum, ideſt Ho-*

Honor. Pp. ep. 5.

no-

norio, & Paulino direximus: ut dum quis eorum de hoc ſeculo ad autorem ſuum fuerit accerſitus, in loco ipſius alter alterum Epiſcopum ex hac noſtra autoritate debeat ſubrogare. Quod quidem tum veſtræ caritatis affectu, quam pro tantarum provinciarum ſpatio, quæ inter vos & nos eſſe noſcuntur, ſumus invitati concedere: ut in omnibus devotioni veſtræ noſtrum concurſum, & juxta veſtra deſideria præberemus. Nec dubium eſt, quin diſciplina hæc a Gregorio inſtituta, ſemper apud Anglos perſeverarit: nam Bonifacius Moguntinus, cujus teſtimonio utor compendii gratia, rei fidem facit in literis ad Cuthbertum Dorovernenſem Metropolitam: *Major*, inquiens, *nobis ſollicitudo Eccleſiarum, & cura populorum propter pallia credita, & recepta, quam cæteris Epiſcopis, qui proprias tantum procurant parochias, incumbit*. Nec mihi aliquis hîc objiciat, quod Bonifacius Primas cum Cuthberto Primate de communi utriuſque poteſtate loquitur. Nam, præterquamquod jam novimus, Auguſtini ſucceſſores meros Metropolitas eſſe, Bonifacius evidenter comparat Metropoliticam autoritatem cum Epiſcopali, provinciæque adminiſtrationem cum Parochiali, ſive, ut nos dicimus, Diœceſana. Itaque apud Anglos conſuetudo jam obtinebat confirmandi Metropolitas traditione pallii octavo declinante ſeculo, quum Bonifacii ejuſdem opera communi in Concilio Gallicani etiam Præſules confirmationis genus iſtud ab Apoſtolica Sede petendum ſibi eſſe decreverunt, qua de re aliquanto inferius dicendum erit. Cæterum Paulinus, qui Eboracenſium Metropolitarum primus fuit, anno 627. illam ſedem inſtituit, quum prædictus Rex Eduinus Catholicam fidem amplexus, doctori iſti ſuo conceſſit, ut in regia urbe Eboraco Epiſcopalem Cathedram excitaret; ac poſt quinquennium accepit pallium ab Apoſtolica Sede, proindeque anno 632. Sedes Eboracenſis declarata eſt Metropolis, ita ut ipſam eamdemque autoritatem hujus ſedis Epiſcopi ſint adepti, qua Dorovernenſes jampridem utebantur. Quamobrem S. Gregorii conſilium ſerius ocyus impletum eſt, Anglorumque Eccleſia recens inſtituta diſciplinam confirmandi Metropolitas traditione pallii prima omnium Occidentalium didicit extra Italiam, & utrumque Illyricum.

DISSERT. V. CAP. III.

Cod. Boniſ. ep. 105.

IX. Arelatenſium Epiſcopor. autoritas cũ Anglicanis non cõparanda.

Quæ quum ita ſint, facile perceptu eſt, cur Gregorius Auguſtini nullam futuram autoritatem declaret in Galliarum Epiſcopos obtentu pallii. Cum diſciplina ſiquidem iſta recens in-

inſtituta, ſive ut melius dicam effuſa ultra montes, cohæret Gregorii ſententia; non quia Metropolita Arelatenſis traditione pallii autoritatem adeptus eſſet ab Apoſtolica Sede, nam Vicariatu fungebatur, nec niſi ad ornatum juxta priſcam conſuetudinem acceperat pallium: at quia nova illa diſciplina per pallii inveſtituram poteſtatem Metropoliticam impertiendi Epiſcopis, perſuaſit Gregorio, ut autoritatem omnem in pallium refunderet. Eumdem idcirco admonet, qualem ſe gerat citra juriſdictionem in alienas provincias: *Si igitur*, inquit, *contingat, ut Fraternitas tua ad Galliarum provincias tranſeat, cum eodem Arelatenſi Epiſcopo debet agere, qualiter, ſi qua ſunt in Epiſcopis vitia, corrigantur. Qui ſi forte in diſciplinæ vigore tepidus exiſtat, tuæ fraternitatis zelo accendendus eſt: cui etiam epiſtolas fecimus, ut quum tuæ ſanctitatis præſentia in Galliis fuerit, ei ipſe tota mente ſubveniat*. Audiendas hîc etiam reor, quas ad Virgilium Arelatenſem dedit, œconomiæ ſcilicet plenas, eidemque Virgilio dubitationem omnem auferentes, violatum iri ullatenus juriſdictionem ſuam: *Si communem fratrem Auguſtinum Epiſcopum*, ait, *ad vos venire contigerit, ita illum dilectio veſtra, ſicut decet, affectuoſe dulciterque ſuſcipiat, ut & ipſum conſolationis ſuæ bono refoveat, & alios qualiter fraterna caritas colenda ſit, doceat. Et quoniam ſæpius evenit, ut hi qui longe ſunt poſiti, prius ab aliis quæ ſunt emendanda cognoſcant, ſi quas fortaſſe fraternitati veſtræ Sacerdotum, vel aliorum culpas intulerit, una cum eo reſidentes ſubtili cuncta inveſtigatione perquirite*. Quæ, ſi ſerio animadvertantur, doctrinam ſanctoſque mores Auguſtini magis æſtimari, quam de juriſdictione rem eſſe palam facient. Tametſi, ne aut meticuloſum, aut invidioſum Virgilio eſſet, tum huic adventum Auguſtini, tanquam urbanitatis, & officii cauſa eventurum affirmat; tum Auguſtinum apertiſſime admonet, ne alienæ meſſi falcem admoveat. *Epiſcopos Galliarum judicare non poteris* (autoritate propria) *ſed ſuadendo, blandiendo, bona quoque tua opera eorum imitationi monſtrando, pravorum mentes ad ſanctitatis ſtudia reforma. Quia ſcriptum eſt in lege: Per alienam meſſem tranſiens falcem mittere non debet, ſed manu ſpicas conterere, & manducare. Falcem ergo judicii mittere non potes in eam ſegetem, quæ alteri videtur eſſe commiſſa, ſed per affectum boni operis frumenta dominica vitiorum ſuorum paleis expolia, & in Eccleſiæ corpus monendo, & perſuadendo, quaſi manden-*

Lib. 11. ep. 31.

Lib. 9. ep. 63.

Lib. 11. ep. 31.

do converte. Summa autem ratio horum erat, quia Virgilio ipſi autoritatem acceſſiſſe per ſacrum pallium, volebat Pontifex Auguſtino perſuaſum eſſe, ut diſciplina Eccleſiæ utilis altius defigeretur.

X. PallioArelaten. utitur Greg. ad general. ejus diſcipl. demonſtrandam.

Dicar fortaſſe Gregorii verba in meam opinionem pertraxiſſe, ne quod unum mihi objici poſſet, ad eamdem evertendam, intactum relinquens, levi admodum fundamento exiguæ argumentationis meæ inherentem diſciplinam obtruderem. Reputari autem velim quæ ipſe Gregorius Virgilio Arelatenſi, & Childeberto Regi teſtatur occaſione Vicariatus Arelatenſis confirmandi, palliumque juxta conſuetudinem mittendi. Quibus adverſantia ea, quæ Auguſtino affirmat, utrum interpretatione alia mentis Gregorii explicari poterint, neſcio. Id tantum ſcio, quod Sammarthani, cætera eruditiſſimi, nimium fidentes opinioni, quæ paſſim invaluit, vindicandi immaturam pallio autoritatem, ac Vicariatum in ejus traditione conſtituendi, turpi anachroniſmo de Arelatenſium rebus ita ſcriptitant: Gregorium ſcilicet ſuccenſuiſſe S. Virgilio Arelatenſi, ac ſimul præbuiſſe aures Reginæ Brunechildi, quæ pallium petebat pro Syagrio Auguſtudunenſi Epiſcopo; idque cum Arelatenſis autoritatis diminutione eſſe factum. Nos tamen, qui hanc hiſtoriam ſupra percurrimus, tum perſpeximus quam longe ab vero abeant eruditiſſimi ſcriptores; tum maxime intelligimus deceptos eſſe, quia poſt triennium, quam pallium obtinuit Syagrius, dari literas nuper vidimus ad Auguſtinum, quibus negat privare ſe poſſe autoritate percepta Virgilium Arelatenſem; quin etiam dari alias novimus officii pleniſſimas ad eumdem Virgilium, ne quicquam de ſua autoritate detractum iri ſuſpicaretur. Eſtque hîc notandum, quod Patres congregationis Sancti Mauri proximo a Sammarthanis diſſident intervallo, dum loco moventes Gregorii literas ad Auguſtinum, hujus interrogata præmittunt Epiſtolæ illi, qua Metropolita creatur. Nam octavo, & nono ex iiſdem interrogatis agit Auguſtinus de ordinatione Epiſcoporum, ac de Metropolitica juriſdictione, quorum neutrum is præſtitiſſet, niſi & ordinandi facultatem, & in ordinatos autoritatem antea obtinuiſſet. At eo deveniunt ſcriptores, quum ſyſtema a Veteribus poſitum inexplorata re amplectuntur, perindeque alienæ opinionis non ſedent judices, ſed laudatores fiunt. Id ne & de mea hac Gregorii literarum interpretatione eveniat, ejuſdem Pontificis aliæ omnes Epiſtolæ de

Gall. Chr. de Arelat. Archiepp.

Digitized by Google

de hujuſmodi re æqua lance examinari oportet. Certum enim ſcio, quod aliis aliorum ſententiis neglectis, unum hoc ſtatuetur: Gregorium videlicet, antequam de Anglicanis Metropolibus inſtituendis per inveſtituram pallii, ut diſciplina Italiæ, & utriuſque Illyrici toto in Occidentali Patriarchatu coaleſceret, cogitaret, ſequutum eſſe conſuetudinem, ſacrumque id ornamentum conceſſiſſe iis, qui aut ſucceſſores eorum eſſent quibus pallium datum foret, aut cauſarum meritis conſpicui fuiſſent. Poſtea vero Inſigne iſtud adhiberi cœptum eſſe juxta eam diſciplinam, quam ab octavo ſeculo obtinuiſſe affirmant ſcriptores omnes, compertum erit. Argumenta ex Gregorio ipſo non deſunt, tametſi pallium poſterius nullum aut ad Gallos, aut ad Anglos direxerit; nam pallio Arelatenſi utens, tanquam rei argumento, palam fecit, quod Metropolitæ per pallii traditionem ab Apoſtolica Sede autoritatem ſuam aſſequebantur, nulli præterquam Pontifici Romano obnoxiam.

XI. *Non alia diſciplina eſt, quam cœpiſſe ajunt octavo ſeculo.*

Diſciplinæ ita inſtitutæ parva quidem, pro infelicitate temporum veſtigia ſuppetunt, ſed ea ſatis clara. De Anglicanis ſiquidem Metropolitis ita per pallium confirmari ſolitis, ut ſtatutum ſemel fuerat, Honorii literæ ſuperius allatæ abunde teſtantur. In Galliis vero diſciplina omnis peſſumdata ne Metropoleon quidem nomen reliquerat; proindeque poſt Virgilii Arelatenſis pallium, nequicquam ejus ſacri ornamenti uſus quæritur ante Bonifacii Moguntini ævum, qui floruit octavo ſeculo. Quid integro iſto ſeculo evenerit circa hanc diſciplinam non eſt memoriæ proditum; at quæ tandem evenerunt, Archiepiſcopi nomen acceſſiſſe cuilibet Metropolitæ, qui pallium acciperet, fidem faciunt. Verba ipſa Gregorii III. recitabo, qui pallium mittens Bonifacio anno 732. *Jure tibi*, inquit, *ſacri pallii direximus munus, quod Beati Petri Apoſtoli ſuſcipiens autoritate, induaris; atque inter Archiepiſcopos unus, Deo autore præcipimus, ut cenſearis.* Nec tibi aliquid plus reſonet vox Archiepiſcopi, quam Metropolitæ; nam Bonifacius ipſe tali honore præditus dubium omne amovet in ea Epiſtola, qua cum S. Cuthberto Dorovernenſi agit de Metropolitica utriuſque autoritate *propter pallia credita, & recepta*; facta enim comparatione cum cæteris Epiſcopis: *Nobis*, proſequitur, *æqualis labor, & majus periculum imminet, quam cæteris ſacerdotibus, quia Canones antiqui præcipiunt, ut omnes Metropolitani ſciant ſollicitudinem totius provinciæ gerere.* Neque obſtat

Cod. Bonif. ep. 102.

Ibid. ep. 105.

Bo-

Bonifacii ejuſdem longe lateque patens autoritas, qua in alienas provincias juriſdictionem habuit. Quis enim neſcit ſanctum hunc virum duodecim jam annis Vicariatu Apoſtolico inſignem fuiſſe, quum pallium accepit, tribus nimirum, ante etiam, quam Epiſcopali munere fungeretur, novemque poſtquam fuit factus Epiſcopus? Hæc ſane ratio eſt, cur ſynodos ubique egiſſe legitur, quare etiam Carolomanni teſtimonio utriuſque dignitatis ratione habita, & quà provinciæ uni, & quà pluribus autoritate præeſſet declaratur: *Conſtituimus ſuper eos Archiepiſcopum Bonifacium, qui eſt Miſſus S. Petri*. Quamobrem ſi, ut decet, quæ Vicariatus ſunt ab iis, quæ ad Metropoliticam autoritatem ſpectant, ſecernamus, nihil omnino novum deprehendemus in Bonifacio, quod Auguſtino haud datum fuerit traditione pallii. Atque ea propter non quartum genus conferendi hoc ornamentum gloriabimur cum Ruinartio compertum habuiſſe, ſed unam, ipſiſſimamque diſciplinam, quam S. Gregorius Magnus in Anglicana Eccleſia inſtituit, perſeverare intelligemus, quamque, ut ſæpe dictum eſt, in Oriente antiquiſſimam, in Occidente autem, ſi Italiam & Illyricum mihi demſeris, ab ſeptimi initio ſeculi inchoatam documenta certa me admonent.

DISSERT. V. CAP. III.

*Diſſ. de Pall. cap.*10.

XII. Id probatur exemplo Metropolitanor. Galliæ.

Rem multo planiorem futuram eſſe confido, ubi eamdem diſciplinam, quam nuper vidimus propagatam in Germania per S. Bonifacii pallium, ad Gallicanos etiam Præſules patebit extendi. Id citra argumentationes, & conjecturas, ſimplici expoſitione rei palam fiet, teſte adhibito eodem Bonifacio, qui optimus diſciplinæ hujus magiſter eſt. Itaque vir ſanctus ipſa in illa epiſtola, quam S. Cuthberto affirmabat, æque Anglicanum, ac Germanum Metropolitam, pallii accepti cauſa majorem ab Apoſtolica Sede juriſdictionem obtinuiſſe, quàm cæteri Epiſcopi, ita de Gallicanis omnibus Metropolitis loquitur: *Decrevimus in noſtro ſynodali conventu* (quod ſcilicet Concilium jure Apoſtolici Vicariatus celebraverat) *& confeſſi ſumus fidem Catholicam, & unitatem, & ſubjectionem Romanæ Eccleſiæ fine tenus vitæ noſtræ velle ſervare: S. Petro, & Vicario ejus velle ſubjici; Synodum per omnes annos congregare: Metropolitanos pallia ab illa ſede quærere: & per omnia præcepta Petri canonice ſequi deſiderare; ut inter oves ſibi commendatas numeremur ..... Decrevimus ut Metropolitanus, qui ſit pallio ſublimatus, hortetur cæteros, & admoneat, & inveſtiget quis ſit inter eos curioſus de ſalu-*

ſalute populi, quiſve negligens ſervus Dei ..... Et unuſquiſque Epiſcopus, ſiquid in ſua Diœceſi corrigere, vel emendare nequiverit, itidem in Synodo coram Archiepiſcopo, & palam omnibus ad corrigendum inſinuet, eodem modo, quo Romana Eccleſia nos ordinatos cum ſacramento conſtrinxit, ut ſi Sacerdotes vel plebes a lege Dei deviaſſe viderim, & corrigere non potuerim, fideliter ſemper Sedi Apoſtolicæ & Vicario S. Petri ad emendandum indicaverim. Sic enim, ni fallor, omnes Epiſcopi debent Metropolitano, & ipſe Romano Pontifici, ſi quid de corrigendis populis apud eos impoſſibile eſt, notum facere. His deſiderari quicquam illuſtrius non videtur poſſe; attamen ſplendorem ea novum accipiunt a ſacramento illo, quod Romæ ſe præſtitiſſe ait Bonifacius, extat enim in libro diurno Pontificum conceptis his verbis: *Si cognovero Antiſtites contra Inſtituta antiqua Sanctorum Patrum converſari, cum eis nullam habere communionem, aut conjunctionem: ſed magis ſi valuero prohibere, prohibebo; ſin minus, fideliter ſtatim Domino meo Apoſtolico renunciabo.* En ſanequam apertiſſimam in Epiſcopis Galliæ diſciplinam ſacri pallii, qualem prima inſtitutio facta in Anglia non præſetulit. Conſiliumne Bonifacii fuerit, ut Metropolitæ per ſacrum pallium id muneris demandaretur, an Apoſtolicæ Sedis, ne in longinquas regiones Apoſtolicos Vicarios mittere identidem cogeretur, ignoro. Id certum ſcio, quod licet nomen Archiepiſcopi, munuſque iſtud Metropolitis dari cœperint una cum pallio per hæc tempora; tamen pallii diſciplina, quæ a Gregorio Magno inſtituta fuit, confirmandi nimirum Metropolitas a S. Sede, ipſa eademque per S. Bonifacium ad Metropolitas omnes Gallicanos extenditur.

XIII, Incrementa ſenſim aliqua accepit, quæ poſt an. M. obtinebant.

Perinde ab Hiſpaniis fieri nequaquam potuit, omnia occupantibus Saracenis. Quod vero neceſſitas diſtulit, Catholicorum tandem Regum virtute eſt comparatum poſt tria ferme ſecula; nam Toleto, urbe olim regia, e barbarorum manibus erepta, ac Metropolitica dignitate inſtaurata, Bernardus Cluniacenſis Monachus ad eam Sedem primus pallio ornatus aſcendit. Verba, queis utitur Urbanus II. Romanus Pontifex non negligenda: *Regis Ildefonſi*, ait, *precibus invitati, pallium tibi, Frater Venerabilis Bernarde, ex Apoſtolorum Petri & Pauli benedictione contradimus, plenitudinem ſcilicet ſacerdotalis dignitatis.* Duo hîc cernimus incrementa acceſſiſſe eidem diſciplinæ, utriuſque nimirum Apoſtoli mentionem, & apertam ſignificationem poteſta-

ſtatis, quam cum Pallio aſſequitur Metropolita. Horum autem primum neque in antiquis formulis diurni Pontificum, neque in recentiori Pontificalis romani occurrens, conſtat minime obtinuiſſe; alterum vero (tametſi incertum quandonam cœperit adjungi) ad nos uſque pervenit. Eſtque id luculentiſſimum argumentum maximæ illius ſollicitudinis, qua unanimitatem Epiſcorum omnium Romani Pontifices curaverunt. Eamdem ſcilicet per Vicarios Apoſtolicos quandoque in provinciis bellorum molem ferentibus ſuſtentarunt, quandoque in aliis ſchiſmate laborantibus excitarunt, ſemper enim eo collineavit Pontificia ſollicitudo, antequam pallii traditione uniuſcujuſque provinciæ Metropolitam ſibi ſubjiceret, ut ad unam Petri Cathedram, tanquam ad caput, cuncta ab Eccleſiis omnibus referrentur. Potior nihilominus via nec cogitari, nec inveniri poterat, quam diu ab Orientalibus Patriarchis trita, quamvis concordiam in hæreſi, quam in fide maluerint ii conſtanter ab Epiſcopis ſibi ſubditis conſervari. Hanc ſerius ocyus omnibus in provinciis occidentis ſtabilitam maximis Deo volente auctam incrementis non ignoramus. Patriarchis ſiquidem Orientis ab unitate avulſis Patriarchæ latini ſuffecti ſunt, quos una eademque diſciplina per pallium adipiſci Sacerdotalis Officii plenitudinem ipſis oculis Romæ cernimus. Hinc eſt, quod optimo meritoque jure Romanus Pontifex in ſacrum id Symbolum ſupremæ poteſtatis ſummam ac ſingularem eam virtutem effudit, ut ante quam pallium ab Apoſtolica Sede accipiatur, nec Patriarchæ, neque Archiepiſcopi nomine alterutri appellentur, quod Pontificale Romanum teſtatur: *Tradimus tibi pallium de corpore B. Petri ſumtum, in quo eſt plenitudo pontificalis officii cum Patriarchalis, vel Archiepiſcopalis nominis appellatione.*

XIV. Autoritas Metropolitica acquiri cępta per S. Pallium VII. ſeculo.

Incertum ajebam, quandonam declaratio illa poteſtatis per Romanum Pontificem pallio acceſſerit: Documenta ſiquidem ex majori, quam potuerim, antiquitate repetens in S. Nicolai I. reſponſiones ad quæſita Bulgarorum offendi; vidique Pontificem non de re tanquam recens inſtituta ſermonem habere, ſed tanquam nota jam omnibus atque perſpecta. Quare apud meum animum ſtatui ut crederem, id fuiſſe ingenium pallii poſt Gregorii Magni ordinationem in provinciis Angliæ. Namque & ipſum teſtari Auguſtino vidi, quod in Pallio Arelatenſis Metropolitæ autoritas inerat; & Gregorium III. Bonifacium Moguntinum monuiſſe memini, ut pallio indutus Archiepiſcopum ſe eſſe

Dissert. V. Cap. III.

Nicol. I. Ad Bulgar. reſp. 73

agnoſceret. Quidquid autem de quæſtione iſta ſit, Nicolai ſententiam recitabo: *Hunc eſſe ordinem ſervandum*, reſpondet, *ut a Sedis Apoſtolicæ Præſule ſit nunc vobis Epiſcopus conſecrandus, qui, ſi Chriſti plebs ipſo præſtante creſcit, Archiepiſcopatus privilegia per nos accipiat, & ita demum Epiſcopos ſibi conſtituat, qui ei decedenti ſucceſſorem eligant: & propter longitudinem itineris non jam huc conſecrandus qui electus eſt veniat: ſed hunc Epiſcopi, qui ab obeunte Archiepiſcopo conſecrati ſunt, ſimul congregati conſtituant: ſane interim in throno non ſedentem, & præter Corpus Chriſti non conſecrantem, priuſquam Pallium a Sede Romana percipiat, ſicuti Galliarum omnes, & Germaniæ, & aliarum regionum Archiepiſcopi agere comprobantur*. His lubet adjungere quæ habet Pontificale Romanum; nam poſtrema Nicolaï lucis inde multum accipient. *Quia Pontificalis Officii plenitudo confertur per pallium; antequam quis obtinuerit, licet ſit conſecratus, non ſortitur nomen Patriarchæ, Primatis, aut Archiepiſcopi, nec ei licet Epiſcopos conſecrare, nec convocare Concilium, nec Clericos ordinare, nec etiam ante Crucem deferre*. Compendii gratia hæc adjeci, ut cum iis, quæ Nicolaus affirmat, conlata luculenter oſtendant, quod quicquid identidem adjunctum legitur diſciplinæ pallii, commentarii potius loco habendum videtur priſtinæ illius diſciplinæ a Gregorio inſtitntæ, quam nova aliqua conditio, aut ſpecies illi addita reputanda. Quid enim aliud ſunt quæ attuli ex Pontificali Romano, præter interpretationem ſententiæ Nicolai Pontificis? Hic tamen exempla aliunde non ſumſit, niſi ex Germania, ex Galliis, & certe ex Anglia, quibus in provinciis Metropolitas Bonifacio teſte, juxta Gregorii diſciplinam, pallio ornari conſueviſſe compertum eſt.

XV. Quod documentis oſtenditur noni ſeculi.

Primæ illi quidem inſtitutioni, quam fecit Gregorius in Anglia, non auſim partes omnes adſcribere, quæ in pontificali romano enumerantur; nam ſolæ ordinationes Epiſcoporum in ea præſcribebantur tum Cantuarienſi (ſive Londonienſi ut tunc credebatur) tum Eboracenſi Metropolitæ poſt acceptum pallium, non ſecus ac prohibitus uterque eſſet eas facere, ante quam illud acciperent. Animadverti nihilominus velim, quod præcipuum Metropolitæ munus juxta priſcos Canones, ordinatio nimirum Epiſcoporum, includit alia etiam minora ejus munera ad provinciam adminiſtrandam ſpectantia; quæ ſunt, uno verbo, juriſdictionis Metropoliticę exercitium. Quibus muneribus

utrum

utrum fungi urgente neceſſitate iis liceret, necne, nihil attinet explorare; ſolam quippe conſecrationem in documentis memoratam reperire eſt. Ita ſiquidem docentem nuper vidimus Nicolaum; atque ita hujus poſt Adrianum II. ſucceſſor Joannes VIII. teſtabatur Roſtagno Arelatenſi Metropolitæ poſt ſuum ex Galliis reditum: *Proh dolor!* ajebat, *quum in Galliæ partibus eſſemus, inter cætera unum valde prohibendum invenimus. Metropolitæ, antequam pallium a Sede Apoſtolica ſuſcipiant, conſecrationem facere præſumunt, quæ Anteceſſores noſtri, & nos canonico decreto ne fierent interdiximus.* Quod idem ſane eſt, ac Metropoliticam autoritatem pallio ipſi adnexam declarare. Poſtea vero, ut Pontificale Romanum docet, non modo Metropoliticum jus· ſed Epiſcopale etiam officium adnexum eſt Pallio. Id autem, poſtquam majoris unanimitatis gratia Epiſcoporum Ordinationes omnes ad S. Sedem devolutæ ſunt, ſuo velut jure procedit. Cæterum quod ſpectat Metropoliticæ autoritatis confirmationem per inveſtituram pallii, utut minus aperte declaratam quis inveniat in Gregorii Magni literis, cœpiſſe tamen fateatur neceſſe eſt ipſa in Anglicana inſtitutione ſeculo ſeptimo ineunte. Nam quæ Nicolaus admonet Bulgaros, non tanquam nuper inſtituta admonet, ſed tanquam conſuetudine jam firmata, nullique dubitationi obnoxia: & quæ Joannes decreta commemorat, non referuntur ad diſciplinæ inſtitutionem, ſed ad neglectæ ejuſdem, conculcatæque inſtaurationem. Jo. VIII. ep. 94.

XVI. Idem comprobant decreta Pontificia identidem emanata

At enim neminem omnino omnium eruditorum latet Hincmari Remenſis audacia, qui ſufficere ſibi jactitans, quæ decretis Pontificum, & Conciliorum, Metropolitis conceſſa fuerant, ſacri pallii autoritatem ſus deque habuit. Quid vero attinet impotentis hujus Antiſtitis motus, ac Nicolai tot adverſus eum increpatorias huc loci afferre? Temeratorum ſiquidem diſciplinæ hujus exempla ipſa ex Italia ſuppetunt, nec memoria excidiſſe arbitror quæ de Ravennatis Metropolitæ diuturnis cum Gregorio concertationibus ſuperius dicta ſunt. Quid vero? Diſciplinam hanc, qua autoritas Metropolitica per ſacrum Pallium obtinetur, Gregorius idem ad Occidentales provincias extendit, poſtque annos circiter 250. ubique obtinere teſtabatur Bulgaris Nicolaus. Non enim contemtus, atque abuſus Epiſcoporum res optime inſtitutas a Romano Pontifice aut infirmant, aut deſtruunt; ſed nova eliciunt Decreta, quibus eædem confirmantur. Qua quidem ſuper re anguſto nimis argumento uti mihi

 vi-

Diſſert. V. Cap. III.

Diſſ. de Pall. cap.12.

videtur Ruinartius, dum Joannis VIII. nuper recitata verba: *Quæ Anteceſſores noſtri, & nos*: ita interpretatur, ut Nicolai unius decretis videatur inſiſtere. Namque eſt id in Petri de Marca minus veram ſententiam ire pedibus, contendentis nimirum, quod Concilium generale octavum, de quo ſupra ſum loquutus, Decretum illud celebre de autoritate cujuslibet Patriarchæ in Metropolitas omnes per Sacrum Pallium confirmatos, ediderit

De concord. Sac. & Imp. l.6.c.15

Adverſus Epiſcopos Gallicanos juxta ſuggeſtiones Legatorum Pontificiorum, ut a Concilio Œcumenico firmata eſſe videretur Nicolai I. nova molitio ſexennio ante prolata. Sententiam, inquam, minus veram: nam ante Nicolaum annis pluſquam centum, quum ſtatuerunt Gallicani Præſules in communi Concilio, cui præerat Bonifacius Moguntinus, de petendo per unumquemque Metropolitam ſacro pallio, quod Marcæ eſt teſſera ſubjectionis, nulla certe objici poteſt molitio; liquido enim conſtat ex Patriarchali Concilio Lateranenſi Stephani III. anno 796. celebrato, quod Metropolitæ plures ex Galliis Romam a Pontifice advocati convenerunt juxta id, quod longe poſt decretum fuit in Concilii generalis VIII. Canone alibi laudato. Concilii enim verba ſunt, de Patriarcharum majorum poteſtate in Metropoli-

Conc. Gen. VIII. c.17.

tas omnes dato, aut miſſo pallio confirmatos: *Habeant poteſtatem, videlicet ad convocandum eos, urgente neceſſitate, ad Synodalem conventum, vel etiam ad coercendum illos vel corrigendum &c.* Stephanus autem III. congregatos Patres tamdiu ante,

Conc. Lat. Stephan. III. p.4.

ſic alloquebatur: *Veſtram Deo amabilem, atque conſpicuam ſanctitatem in hanc ſacroſanctam matrem omnium Eccleſiarum Dei Romanam Eccleſiam aggregare de diverſis provinciis ſtuduimus; ut de invaſione, & nova temeritatis præſumtione &c.* Ex quibus liquet, quod urgente neceſſitate convocaverat Stephanus Gallicanos Præſules ad Synodalem conventum.

XVII. Refellitur Petri de Marca argumentum contrarium.

Nonnihil hîc refricandum mihi eſſe arbitror de Archiepiſcopi Pariſienſis ſubdola illa arte, qua perſuaſum vult legentibus, quod Romani Pontifices per nonum ſeculum norunt ſubjectionem ſuam generali Concilio, dum Decreta quæ ipſi fecerant, nullo in numero habitum iri apud Gallicanos Præſules credidiſſe illos putat, niſi generali Concilio confirmarentur. Quid enim? Majorne habeatur fides viro uni ætates veteres componenti cum ſuo ævo; an conſtanti veterum earumdem ætatum ſecus docentium teſtimonio? Collectio illa ſiquidem veterum Canonum, quæ æque Conciliorum, ac Romanorum Pontificum decreta ve-

ne-

Digitized by Google

neratos eſſe Hiſpaniæ Præſules aperte oſtendit, ab Gallicanis perinde Epiſcopis factum eſſe abunde teſtaretur; ubi vel puram putamque illam adhibuiſſent. Idque conſtat liquido ex ſubjectione, quam Romano Pontifici profeſſi ſunt cum Bonifacio Moguntino; necnon ex ſubjectionis ejuſdem argumento certo, dum Metropoleon Sedium tot Antiſtites ab Stephano III. Romam accerſiti, impigre huc venerunt, quod ſuperius dictum fuit. Quum vero Collectioni eidem tot, tantaque acceſſerint incrementa apud Gallos, nt Romano Pontifici exercitium idem juriſdictionis in provinciis Occidentis aſſeratur temporibus difficillimis, quod aliquando demum pacatis, atque tranquillis obtinuit; maxime admirandum eſt, quod Archiepiſcopus Pariſienſis tamdiu Gallicanorum Præſulum ſubordinationem diſtulerit, eamque clanculum invaſam, callide in Concilio confirmari molitos eſſe, Romanos Pontifices, contenderit. Nam longe præſtantiori autoritate Pontificum, quam Conciliorum decreta in Collectione Iſidoriana inveniri quis neſcit? Quamobrem, longe ut Romani Pontifices ea occaſione faſſi ſint, quod ſua ipſorum autoritas Conciliorum autoritati ſubjecta eſſet, Metropolitarum ſubjectionem in Concilio ſtabiliri juxta veterem Eccleſiæ conſuetudinem voluerunt ad retundendam unius Hincmari pertinaciam, non vero ad elevandam Pallii autoritatem, quæ ubique nota jam erat, nullumque a contemtore Hincmaro detrimentum accipiebat; nam generalis ea pallii diſciplina apud Metropolitas cæteros Galliarum longe ante id temporis cognita, auſuque Hincmari labefactata, tanquam exemplum rei tam in Oriente, quam in Occidente uſu obtinentis adhibetur a Patribus, non vero, ut nimis confidenter autumat Petrus de Marca, in Concilio confirmatur, tamquam male hærens Decreto Pontificis Nicolai ante ſexennium lato. Has vero in ſirtes vir doctus impegit, quia duplicem Pallio ætatem tribuens, duplex utique diſciplinæ genus omnino varium viſus eſt credidiſſe.

XVIII. Idque argumentis ex Gallia petitis.

Contra ego, ut mihi videor, aperte oſtendi, quod una ſemper, atque eadem pallii diſciplina, cui ſua pro temporum varietate acceſſerint incrementa, tam in Oriente, quam in Occidente obtinuit. Occidentalibus tamen in provinciis valde diſſitis, Romanoque ab imperio avulſis, confirmari Metropolitas non cœpiſſe ante Gregorium Magnum patefeci Auguſtini Monachi exemplo, ejuſque collegæ in Anglicana Eccleſia. At poſt hujuſmodi principium, ſeu mavis extenſionem confirmandi Metro-

tropolitas omnes Occidentalis Patriarchatus, quemadmodum in Italia, & utroque Illyrico factum ſemper fuerat, Gallicanos primum Bonifacii Moguntini tempore, ideſt integro ante Nicolaum primum ſeculo, ipſiſſimam illam diſciplinam ultro amplexos eſſe, ac pallii traditione ab Apoſtolica Sede confirmari petiiſſe non ſolum demonſtravi, ſed certis etiam documentis allatis comprobavi. Quamobrem mirari omnes velim, quod Præſul doctrina, & autoritate conſpicuus novi conflatores dogmatis adverſus centrum unitatis, fontemque ac radicem diſciplinæ omnis Apoſtolicam Sedem, ſuis affirmatis incendat; idque inexplorata prorſus antiquitate, quîcum aperte pugnant quæ affirmat. Enimvero Chriſti Vicarios novarum rerum ſtudioſos, ſanctiſſimaque horum inſtituta de optimo Eccleſiæ regimine, Conciliorum autoritate indigentia venditare, quid aliud eſt, quam debitam ſummo Eccleſiæ Capiti venerationem deterere; atque hanc omnium mentibus animiſque opinionem ingerere, ut Decretis Pontificum, niſi Concilii generalis autoritate inhæreant, fides negetur impune? Quantum hinc detrimentum antiqua Eccleſiæ inſtituta accipiant, veteris diſciplinæ non ignari judicent: mihi enim ſatis eſt res invidia plenas indicaſſe, quatenus diſputatio hæc de ſacro pallio patitur. Cæterum hiſce omiſſis, quæ nequicquam jactitantur adverſus ſupremam Apoſtolicæ Sedis poteſtatem, jure quidem in illos inveherer, qui teſſeram ſubjectionis appellant ſacrum hoc Archiepiſcopale ornamentum; non enim quæ in remotis ab Italia provinciis evenerunt quinto, ſextoque ſeculo in mentem revocant; dum difficultate temporum factum eſt, ut nulli ab Apoſtolica Sede Metropolitæ confirmarentur traditione pallii. Nonne ſæpe oportuit Apoſtolicum aliquem Vicarium inſtituere, cui Metropolitæ obſecundarent, ne omnia miſcerentur, ac peſſumirent? Nonne in incertum vagantibus judiciis a Metropolita ad Metropolitam ire oportuit, maximeque frequentibus Synodorum Conſultationibus a Romano Pontifice ſupremum in rebus judicium præſtolari? His demum attulit modum confirmatio iſta per traditionem pallii.

XIX.

Juxta novam diſcipl. quævis Metropolitica dignitas pallio cõfirmata Eccl. unitatẽ mõſtrat.

Vanum eſſet diſputationes ſcriptorum de Diſciplina veteri hîc referre, quibus Metropolitæ omnes, tamquam Vicarii Apoſtolicæ Sedis, ac Primates conſtituuntur. Compertum ſiquidem, atque exploratum eſt, quod tales ii fuerunt poſt adeptum pallium, quoad Primatus, minoriſve Patriarchatus dignitate ali-

alicubi emergente, Metropolitas inter, & Romanum Pontifi- DISSERT. V.
cem media poteſtas collocata eſt in Occidente, quam olim in CAP. III.
Oriente fuiſſe vidimus S. Leone teſte, cujus verba iterum uſurpare nunc lubet: *Magna*, inquit, *diſpoſitione proviſum eſt, ne* S. Leo epiſt. 84. cap. 11. *omnes ſibi omnia vindicarent: ſed eſſent in ſingulis provinciis ſinguli, quorum inter fratres haberetur prima ſententia: & rurſus quidam in majoribus urbibus conſtituti, ſollicitudinem ſuſciperent ampliorem, per quos ad unam Petri ſedem univerſalis Eccleſiæ cura conflueret, & nihil uſquam a ſuo capite diſſideret*. Verum præſtantiſſima hæc diſciplina, quæ alia ſubinde habuit adjumenta judiciorum commoditati ſaluberrima, nullam omnino conjunctionem habet cum ſacro pallio, cujus traditione confirmantur Metropolitæ, Primates, & Patriarchæ, ſervandæ unitatis gratia, ut videlicet ii omnes norint, unum Caput in Eccleſia eſſe, quo velut ad ſuum centrum, confluere omnes debent Præſules, quacumque ii præſtent dignitate. Itaque & Morinus, & Thomaſſinus, multique alii recentiores, ubi cum veteri diſciplina pallii, autoritatis augmentum conjunxerunt, haud reſpexiſſe videntur ad potiſſimum Romanorum Pontificum finem, ut videlicet longe jam, atque late patente Eccleſia, ac Metropolitis undique, aliiſque majoribus dignitatibus abundante, certam atque perpetuam rationem ſtabilirent Eccleſiaſticæ unitatis conſervandæ, melius quam ſervata olim fuerit; dum ambitioni, & audaciæ aditus, ut ita dicam, concedebatur permittendo, ut rari admodum Præſules ſacri pallii privilegio decorarentur.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO VI.

De origine, fundatione, & Inſtitutis Monaſteriorum Hiſpaniæ.

CAPUT I.

De origine Monaſteriorum Hiſpan.

I. OEconomia totius diſſertationis.

PATER Joannes Mariana, qui, ut mihi videtur, cæteris Hiſpaniarum ſcriptoribus accuratius de re Monaſtica ſcripſit, non poſſe altius repeti originem Monaſteriorum affirmat, quam a ſeculo ſexto. Quamobrem ubi agebam de Eccleſia Hiſpana quarti ſeculi, tum tanti ſcriptoris autoritate inhærens, tum maxime teſtimonio uſus antiquitatis, non obſcure arbitror, diſputavi de Monaſteriorum diſcrimine, ne quarti & quinti ſeculi Monaſteria ſæpe apud Hiſtoricos occurrentia mihi objicerentur. Quid enim rei eſt Monaſteriis, ſeu Cellis unius Monachi ſolitariam vitam agentis cum Cœnobiis, in quibus plurium Congregatio Monachorum Monaſtico vacat Inſtituto? De his equidem diſputare aggredior nunc: eorum ſcilicet originem, fundationem, Inſtituta pertractandi cupiditate inlectus. Idque ſtudii cauſis procul habitis, quod minime ab iis factum animadverti, quos rem ad trutinam revocare pertæſum eſt. Oſtendam itaque, ſexti ſeculi dimidio antiquiorem non eſſe eorum originem: fundationem recte tribui Epiſcopis a viro doctiſſimo, qui ejuſmodi diſciplinam ſervari conſueviſſe autumat toto in Occidente, eamque viguiſſe apud Hiſpanos uſque ad Saracenicam irruptionem. Inſtituta demum, ſeu Regulas Monachorum a Benedictina alias fuiſſe ante Saracenicam eamdem invaſionem, nempe ante octavum ſeculum, intra cujus limites diſputatio mea omnis verſabitur. Reprehendar ſane, quod negligens pios tot ſcriptorum conatus, præſertim Ambroſii de Morales, & Yepeſii; necnon P. Mabillonii, & Cardinalis Aguirrii præſtantiſſimorum virorum ſententiis rejectis, abjudicarim ſacro eorum Ordini quidquid

Thomaſſin. de benef. p. 1. l. 3. cap. 16.

quid Monaſteriorum ſummis iidem viribus vindicarunt. Animadverti tamen velim, quod ſtudio omni vacuus nunquam fuiſſe videar, niſi veritate una utar duce, quodvis malum mihi omen immineat a ſtudioſis hominibus. Præterquam quod, quanta injuria fieret ſanctiſſimis tot Fundatoribus, aut Præſules illi fuerint, aut ſimplices Monachi, decorem iis ſuum auferendo, ut uni Ordini aliunde celeberrimo indebita laus tribueretur; quum maxime nulla id ratione alia inhæreat, præter conjecturas plerumque fallaces Recentiorum? Equidem non imitabor eos, qui S. Benedicti Regulam in Hiſpanias invehunt, vixdum a S. Viro conſcriptam in Italia: haud enim animadvertunt, quod ex Oriente, & ex Africa primi Monaſteriorum Inſtitutores advenerunt. Rationem plane temporum, ac rerum ſpectandam primum, deinde analyſim fundationum, ac Regularum ſubjiciam legentium oculis; ut ipſi judicent, num recte diſputaverint, qui aut gentis, aut profeſſionis illicio ſuadente, rem Monaſticam poſterorum memoriæ commendarunt. DISSERT. VI. CAP. I.

II. Origo Monaſterior. Hiſpaniæ.

Origo Monaſteriorum Hiſpaniæ adeo certa ſuppetit ex antiquitatis Eccleſiaſticæ documentis, ut dubitari de eadem nequaquam poſſit. Duo tantum Monaſteria omnium prima memorantur: in Gallæcia, ſeu Regno Suevorum unum: alterum in Regno Gothorum. Ea vero ſunt *Dumienſe*, & *Servitanum*, de quorum Fundatoribus Iſidorus, & Ildefonſus doctrinæ, & ſanctimoniæ laude celeberrimi ſcriptores, conſtanſque omnis Hiſpaniarum antiquitas mentionem faciunt maxime luculentam. Sanctum ſiquidem Martinum, Bracarenſem poſtea Præſulem, Monaſterii Dumienſis fundatorem fuiſſe meminit Iſidorus: *Martinus*, inquiens, *Dumienſis Monaſterii ſanctiſſimus Pontifex in Orientis partibus navigans, in Gallaciam venit; ibique converſis ab Ariana impietate ad fidem Catholicam Suevorum populis, regulam fidei, & ſancta religionis conſtituit, Eccleſias confirmavit, Monaſteria condidit, copioſaque pracepta pia inſtitutionis compoſuit.* Quo cum ſcriptore integerrimo Concilium Toletanum X. concinit; nam in altero ex ſubjectis eidem decretis ita legitur: *Teſtamentum glorioſa memoria S. Martini Eccleſia Bracarenſis Epiſcopi, qui & Dumienſe Monaſterium viſus eſt conſtruxiſſe*. De fundatore autem Monaſterii Servitani S. Ildefonſus ita ſcriptum reliquit: *Donatus & profeſſione, & opere Monachus, cujuſdam Eremita fertur in Africa extitiſſe diſcipulus. Hic violentias barbararum gentium imminere con-*

S. Iſid. de Vir. Illuſtr. cap. 35.

Conc. Tolet. X. in fin.

De Viris Illuſt. cap. 4.

DISSERT. VI. CAP. I.

ſpiciens, atque ovilis diſſipationem, & gregis Monachorum pericula pertimeſcens, ferme cum ſeptuaginta Monachis, copioſiſque librorum codicibus navali vehiculo in Hiſpaniam commeavit. Cui ab illuſtri, religioſaque femina Minicea ſubſidiis, ac rerum opibus miniſtratis, Sirvitanum Monaſterium viſus eſt conſtruxiſſe. Iſte prior in Hiſpaniam Monaſticæ obſervantiæ uſum, & regulam dicitur adduxiſſe. Dubium tantum remanet, Monaſteriorum alterutrum ſit fundatione antiquius; nam Ildefonſus Servitanum præſtare Dumienſi videtur innuere, quum cæteroqui hoc illi præferendum ratio temporum moneat. Quare operæ me pretium facturum arbitror, ſi utriuſque ætatem diligenter ſpectandam propoſuero, quippe ad hujuſmodi quæſtiones exſtricandas præſentius quicquam excogitari non poteſt Chronologiâ.

III. S. Martini Bracar. in Hiſpan. adventus, Epiſcopatus, mors.

Dumienſe Monaſterium prope urbem Bracaram a S. Martino eſſe poſitum Iſidorus affirmat, ut vidimus. Eodem autem ſcriptore docente perſpectum eſt, Martinum adveniſſe in Hiſpanias e regionibus longe diſſitis. Quem quidem adventum teſtatur Autor ſynchronus, qui ſuperſtes fuit Martino annis aliquot, ac proinde & de adventu, & de morte ejus oculatus teſtis eſſe potuit. Eſtque is Gregorius Turonenſis, unde omnes veteres, recentioreſque ſcriptores, alii opiniones alias mutuati ſunt. Narrat igitur, quod Theodomirus, ſeu Ariamirus Rex Suevorum adhuc Arianus vovit ædem ſacram S. Martino Turonenſi, modo ægrotanti filio ſanitatem impetraret: quod res ex voto accidit: & quod reliquias ad ſe nonnullas ſacri ejus corporis flagitarat afferri. Qua ſane occaſione ita de illius adventu loquitur: *Nec hoc credo ſine divina fuiſſe providentia, quod eo die ſe commoveret de patria, quo beatæ reliquiæ de loco levatæ ſunt, & ſic ſimul cum ipſis pignoribus Galliciæ portum ingreſſus ſit. Quæ pignora ſanctiſſima veneratione ſuſcipientes, fidem miraculis firmant: nam filius Regis dimiſſa omni ægritudine ſanus properat ad occurſum. Beatus autem Martinus ſacerdotalis gratiæ accepit principatum, Rex unitatem Patris, & Filii, & Spiritus Sancti confeſſus cum omni domo ſua chriſmatus eſt.* Pretioſam vero ejuſdem mortem præclara hac laude proſequitur Childeberti Regis Auſtraſiorum anno quinto: *Hoc tempore, & Beatus Martinus Gallicienſis Epiſcopus obiit, magnum populo illi faciente planctum; nam Pannoniæ ortus fuit, & exinde ad viſitanda loca ſancta in Oriente properans, in tantum*

Greg. Tur. de mirac. S. Mart. l. 1. c. 11.

Hiſt. Franc. l. 1. cap. 38.

Digitized by Google

tum ſe literis imbuit, ut nulli ſecundus ſuis temporibus habere-tur. Exinde Galliciam venit, ubi quum Beati Martini reli-quiæ portarentur Epiſcopus ordinatur, in quo ſacerdotio imple-tis plus minus triginta annis, plenus meritis migravit ad Do-minum. Unde etiam liquet de illius Epiſcopatu triginta circiter annorum. Quamobrem ſi Martini adventum in Gallæciam, ætatem Epiſcopalem, atque obitum cum æra Dionyſiana componamus, Monaſterii utique Dumienſis certa ætas ſuppetet, cujus non meminit Turonenſis. DISSERT. VI. CAP. I.

IV. Eadem Chronologiæ expe-duntur.

Ad Martini adventum quod attinet, inſigne habemus teſtimonium ex Gallæcia ipſa; Concilium videlicet Bracarenſe I. anno æræ 599. Chriſti 561. celebratum ſub Metropolita Lucretio, cui ſubſcribit Martinus quinto loco, tribus eum Epiſcopis conſequentibus, tanquam ordinatione junioribus. *Cujus ſynodi principium ſic ſe habet: Regnante D. N. J. Chriſto, currente æra 599. anno tertio Ariamiri Regis, die calendarum Majar.* Quod ſi anno 561. Martinus jam erat Epiſcopus, intra id triennium igitur, quod præceſſit, ſtatui oportet Ariamiri Regis filii valetudinem, paterna vota, reliquiarum translationem, atque ædificationem ſacræ ædis in honorem S. Martini Turonenſis, cujus primus Epiſcopus fuit Martinus hic noſter Pannonius: tempus, ut verum fatear, valdequam anguſtum tot rerum eventubus excipiendis. Huc accedit annus certus Martini mortis, nempe quintus Childeberti II. Francorum Regis, cui reſpondet 580. Chr. juxta doctiſſimam Godefridi Henſchenii Chronologiam de Franchorum Regibus, quam eruditi omnes amplexi ſunt. Si enim ab anno emortuali prædicto retro abeamus ad triennium illud, intra cujus terminos tot rerum ſeries coarctanda eſt, vix anni remanent viginti, qui Martini Epiſcopatui tribuantur: nec ſane plures illi adſcribit Henſchenius, decem irrepſiſſe annos affirmans librarii vitio. Equidem, ne invidia & ocio plenam rem ſuſcipiam explorans iterum annos Franchorum Regum, adhærere & ipſe cogor Henſchenio; ita ut Aimoino ipſi fidem negem, quaſi levis Gregorii exſcriptor fuerit, dum ait: *In baſilica, quæ prima apud Hiſpanos in honore S. Martini dedicata eſt, Pontifex ordinatus, triginta in hoc officio explevit annos.* Nihilominus rem fateor mihi videri adhuc conjecturæ indigentem; Qua enim neceſſitate compellimur anguſtis adeo limitibus tot rerum eventus circumſcribere? Nonne Ariamirus Gregorio teſte, dum adhuc Arianus eſſet, vovit ædem ſa-

Acta SS. 1. Feb. & 20. Mart.

De geſt. Fr. l. 3. cap. 39.

DISSERT. VI. CAP. I. ſacram S. Martino? Impedimento igitur nihil fuerit, quin & Epiſcopum ſacræ ejuſdem ædis creari permitteret. Anno, inquies 561. numerabat regni annum tertium, eaque propter nonniſi anno 558. regnare orſus erat. Attamen centum fere annis vacuam habemus Chronologiam Suevorum Regum, qui teſte Iſidoro ob Arianam hæreſim uſque ad Theudemirum, ſive Ariamirum ſilentur. Quodnam autem monimentum affirmat, ſex eos annos, qui Ariamiri Regno tribuuntur, non ſumere initium ab ipſa hæreſis deteſtatione; ita ut ſpatium amplius remaneat tot rerum eventibus, falſique arguantur leviter ſcriptores veteres, qui Martino Bracarenſi triginta annos adſcribunt? Quidquid vero ſit tum de ancipiti hoc principio Epiſcopatus Martini, tum de ejus exitu ad annum 580. relato per Henſchenium, floruiſſe eum conſtat ab anno 560. ad 580. annoque ipſo 560. tardius Monaſterii Dumienſis fundationem ab eo factam non poſſe conſtitui.

Hiſt. Suevor.

V. Monaſterii Dumienſis fundatio an. 560.

Monaſterium id eſſe fundatum a Martino Epiſcopo neque ex Iſidori, neque ex Gregorii Turonenſis allatis ſententiis evincitur; uterque enim ſcriptor de Epiſcopatu agens, de Monaſterii fundatione, tanquam de re ſibi certa, non loquitur. Concilii nihilominus Toletani autoritas ſupra allata ipſis iiſdem verbis Dumienſis Monaſterii fundationem affirmans, quibus Ildefonſus loquitur de fundatione Servitani, omne amovet dubium, quin Martinus ejus Monaſterii fundator prædicetur. Quin etiam de ſe ipſe teſtatur in celebri eo Epitaphio, quod ſibi ponendum curavit; tametſi ſubobſcure Epiſcopatum, ac Monaſticæ obſervantiæ inſtituta commemoret:

Pannoniis genitus tranſcendens æquora vaſta,
Galliciæ in gremium divinis nutibus actus,
Confeſſor Martine, tua hac dicatus in aula
Antiſtes, cultum inſtitui, ritumque ſacrorum,
Teque, patrone, ſequens famulus Martinus, eodem
Nomine, non merito, hic in Chriſti pace quieſco.

Hinc profecto, necnon ex hiſtoriæ autoritate ſuperius allata conſtat liquido, quod Martinus, non *Dumienſis in Gallæcia Cœnobii Abbas, deinde Bracarenſis Epiſcopus* factus eſſe cum Natali Alexandro debet credi, ſed ſimul Epiſcopus, & Abbas Monaſterii Dumienſis ab ſe inſtituti eſt habendus, unde ad Metropolim Bracarenſem deinde translatus fuit. Duplex vero hæc Dumienſis Eccleſiæ conditio, quà nimirum Cathedralis, & quà

Sec. VI. cap. 4. art. 10.

quâ Monaſterium erat, brevi ac ſeorſim conſideranda mihi videtur, ne prima hæc cœnobiorum in Hiſpaniis inſtitutio certa, nullo hærens fundamento ſatis firmo obtrudatur. Atque hîc primum, quod attinet ad Monaſterii fundationem, ponam cum Mariana præiviſſe eam Epiſcopatus erectioni: *Extruxit*, ait, *ab imo Dumienſe Monaſterium, quo in Epiſcopatum transformato, ex Abbate Dumienſis Epiſcopus factus eſt*. Ac proinde anno 560. tardius initia Monaſterii hujus conſtituere non auſim; nam ſequenti anno, ut vidimus Martinus Epiſcopus intererat Concilio Bracarenſi I. Perveſtigare nunc pergam, quidnam hic novus Epiſcopatus eſſet, quæve ejus cum Monaſterio conjunctio: certum quippe ac deliberatum habeo Marianæ nuper recitatam ſententiam levitatis arguere; tametſi temporum rationem quod ſpectat, amplexus eam ſim, ne minuta obſervatione rerum a meo inſtituto diutius, quam par eſt, dimovear.

DISSERT. VI. CAP. I.

De reb. Hiſp. l. 5. c. 9.

VI. Dumienſis Epiſcopatus quinam fuerit.

Quænam urbs eſſet Dumium, quantave extenſio diœceſis Dumienſi Antiſtiti ſubjectæ, non facile compertu eſt nobis feris poſteris. Nam apud veteres quoque ſcriptores dubia, & incerta omnia occurrunt. In Concilio ſiquidem Lucenſi octo annis habito poſt Bracarenſe, novo iſti Epiſcopo adſcribitur Parochia, ſeu Diœceſis *Familia ſervorum*; Veterique in illa notitia, cui nomen, *Itacius*, eidem tribuitur pro Diœceſi *Familia Regia*. Hinc eſt, quod Garſias Loaiſa, nonnullique hunc imitati familiam regiam, ſeu ſervorum, pie magis, quam ſcite Monachos Dumienſes interpretantur, quia, inquiunt, Deo ſerviebant, eique ſervire regnare eſt. Equidem, dicam quod ſentio, leviſſimum eſſe puto id genus argumenti: legi enim numquam, non dico ullo canone ſtabilitum, ſed ullo introductum abuſu, ut Monaſteria ſubderentur Epiſcopo, tanquam grex proprius, nullis aliis ovibus ei ſubjectis. Huc accedit, quod generali in ea diviſione Wambanis, de qua alibi ſum loquutus, Dumienſi etiam Diœceſi, quemadmodum cæteris, ſui præſcribuntur fines: *Dumio*, ita in eadem legitur, *hæc teneat, de Duma uſque Albiam: de Rianteca uſque ad Adaſam*. Itaque Dumienſem Diœceſim, ſedemque ejus Epiſcopalem, quam tenuit primus omnium S. Martinus canonum ſcientiſſimus, amplioribus, anguſtioribuſve finibus circumſcriptam licet credere; nullatenus autem ad Monaſterii unius carceres coarctare. Quam rem ne gratis afferam, capita aliquot ſeligam ex Ricimeri Dumienſis Epiſcopi teſtamento, quod tanquam Eccleſiæ illi damnoſum pla-

Digitized by Google

Dissert. VI. Cap. I. Conc. Tolet. x. in fin.

placuit Patribus Concilii Toletani X. ad trutinam revocare. Hæc ſcilicet in eodem leguntur: *Univerſas ſpecies generis, & corporis rerum, quæ in ejuſdem Eccleſiæ domo intrinſecus ad uſus domeſticos ex tempore ſuæ ordinationis idem Epiſcopus Recimirus invenit, & quæ ipſe aut de opere utriuſque ſexus artificum familiarum Eccleſiæ potuit habere confecta, atque inlata, aut quæ ſua proviſione habuiſſe viſum eſt conquiſita, omnia moriens juſſiſſet pauperibus erogari ..... Addidiſſe quoque quoſdam liberos ex ejuſdem Eccleſiæ familiis, quibus etiam cum aliis ad ſe pertinentibus omnibus, amplius quam quinquaginta reperitur utriuſque ſexus dediſſe mancipia ..... Quum pro libertis illis nihil ſecundum Canonicam ſanctionem datum in commutationem pateſceret, ſed nec pro mancipiis, & reliquis rebus eiſdem libertis collatis aliquid in repræſentationem Eccleſiæ relictum noteſceret ..... Liberti vero, qui ex familiis Eccleſiæ facti ſunt, & ſeu res univerſa, quæ in mancipiis, aliiſque corporibus, vel illis ſuis hominibus collata eſſe dignoſcitur, cuncta in diſcretione Ven. Fr. noſtri Fructuoſi Epiſcopi diſponenda relinquimus.*

VII. Epiſcopatus & Monaſterium ſimul conjungebatur.

Ex his liquet, hunc ab Epiſcopatuum cæterorum ingenio nullatenus diſcrepare. Ac proinde Dumienſi Cathedræ non ſolum Monaſterium, ſed civitatem omnem, ac reliqua in Wambanis diviſione contenta quin ſubjicerentur, nefas eſt dubitare. Nicolai Antonii conjecturam fortaſſe aliquis rejiciendam non putet, qua nimirum familiam tantummodo Suevorum Regum ſubdi Epiſcopo illi arbitratur, qua quidem ſuper re meam interponere ſententiam nec recuſo, nec neceſſarium eſſe puto: nam ſumma hujus argumenti eſt, Dumienſem Epiſcopatum aſſerere adverſus eos, qui Monaſterii unius valde anguſtis eum finibus circumſcribunt. Cæterum quod Mariana contendat, Monaſterium transformatum eſſe in Epiſcopatum, & Martinum ex Abbate Antiſtitem evaſiſſe, id tum pugnat cum documentis ſupra allatis, tum mox afferendis adverſatur. Enimvero apertæ, luculentæque ſunt Nationalium Hiſpaniæ Conciliorum ſententiæ, quas hic ſpectari velim, ut novæ hujus formæ Epiſcopatus cum Monaſterio conjunctio perſpecta ſit. Concilio Toletano III. anno 589. celebrato ſubſcripſit: *Joannes Dumienſis Monaſterii Epiſcopus*. Decreto Gundemari Regis anno 610. *Beniamin Eccleſiæ Dumienſis Epiſcopus*. Concilio Toletano IV. anno 633. *Germanus Monaſterii Dumienſis Eccleſiæ Epiſcopus*. Con-

Digitized by Google

Concilio Toletano VI. anno 638. *Pimenius Eccleſiæ Dumienſis Epiſcopus*. Concilio Toletano VII. anno 646. *Recimirus S. Eccleſiæ Dumienſis Epiſcopus*. Concilio Toletano VIII. anno 653. *Odulgus Abbas Riachimari Epiſcopi Eccleſiæ Dumienſis*. Concilio Toletano X. anno 656. Fructuoſus ad Bracarenſem Metropolim translatus, locum ſibi tanquam Metropolitæ debitum tenet; de eo tamen ita Concilium loquitur: *Ven. Fructuoſum Eccleſiæ Dumienſis Epiſcopum communi omnium noſtrum electione, &c.* Concilio demum Toletano XV. anno 688. ſubſcribit: *Vincentius Dumienſis Sedis Epiſcopus*. Nullo hîc diſcrimine Eccleſiam, Monaſteriumve adſcribi Dumienſi Epiſcopo intelligimus; eaque propter utrumque pro ſede Epiſcopali accipi comperimus longe etiam poſt deletum Suevorum Regnum: nec eſt cur Marianæ audiamus docenti transformationem Monaſterii in Epiſcopatum, aut Nicolao Antonio familiam Suevorum Regum Epiſcopo illi ſubjicienti; quæ enim adduxi exempla, ex iis temporibus petita ſunt, quum Suevorum Regnum ſilebat, eademque ſpectantur in veteri illa notitia, quæ Dumienſi Epiſcopo ſubjicit familiam regiam.

VIII. Monachi ſungebantur muneribus ejus Eccleſiæ.

An Dumienſe hoc Monaſterium naturæ ejus fuerit, cujuſmodi fuiſſe plura in Germania per medium ævum notat Ducangius, incertum mihi eſt. Docet is cum Mundelheimio, & Gretzero, quod Cathedrales Eccleſiæ appellabantur Monaſteria, ſive quia Canonici ſacra in iis munia obeuntes, vitam ſub Epiſcopo a Monaſtica non multum diverſam agerent, ſive quia Monachi inſervirent Epiſcopo. Hujus autem rei præſentiſſimum teſtimonium eſt Cathedralis Eccleſia Monaſterium Weſtphaliæ, vulgo *Munſter*, quippe quæ ipſum nomen adhuc retinet. Nec pridem eſt, quum ego differens de Concilio Lateranenſi ſub Stephano III. Saliſburgenſis Cathedræ conditionem propoſui, cui non ſolum Monachi inſerviebant, ſed Abbas quandoque præerat abſque Epiſcopo, quod & probavi autoritate Catalogi in antiqua lectione Caniſii, cujus ſuprema pars ita habet: *In Catalogo iſtorum Epiſcoporum quinque Abbates continentur, qui abſque Pontificali ordine, & dignitate regebant Epiſcopatum Juvavenſem*. Dumienſis certe Monaſterii conditio ab hujuſmodi Monaſteriis Germaniæ ætate ſolum diſcrepat; biſcentum enim fere annis conſuetudo hæc Germanica præverti viſa eſt in Gallæcia. Cæterum ex documentis nuper allatis patet, quod Cathedralis iſta nullo diſcrimine Monaſterium, & Eccleſia nuncupatur: eademque

Conc. Lat. Stephan. III. p. 65.

que

DISSERT. VI. CAP. I.

que teſtantur, quod uno eodemque tempore & Monachorum præſes, & ovium omnium paſtor ibidem erant. Nam Concilio Toletano VIII. ſubſcripſit: *Odulgus Abbas Riachimai Epiſcopi Eccleſiæ Dumienſis*. Qua ſuper inſcriptione dignum notatu eſt, quod quamquam poſt prædictum Concilium ea in Hiſpaniis conſuetudo cœpit, ut Abbates Epiſcoporum abſentium vices gererent in Conciliis; tamen Dumienſis Antiſtes ante etiam, quam mos ille inciperet, Abbati vices ſuas commiſit, quia nempe ſuæ Cathedrali Eccleſiæ ſoli Monachi inſerviebant. Cæterum & teſtamentum ejuſdem Ricimeri, cujus ſumma capita ſuperius legimus, & diviſio Parochiarum, ſeu Diœceſeon a Wambane facta evincunt, quod nil Sacris Canonibus repugnans in Dumienſi Monaſterio ædificando, quod ſimul eſſet Epiſcopalis Sedes, peractum erat; dum præter conditionem eorum, qui Eccleſiaſticis fungebantur officiis, cætera omnia certam, atque integram Epiſcopatus formam præſetulerunt.

IX. *Monaſteria alia S. Martino tributa ad originé Cœnobior. non ſpectant.*

Hanc puto eſſe cauſam, cur neque S. Martinus, neque ipſius æqualis S. Gregorius Turonenſis de Monaſterio quicquam ſunt loquuti, quippe quod Monachi incolentes pro Clero erant Cathedralis Eccleſiæ. Cæterum hæc, quam vidimus, natura fuit primi omnium Cœnobiorum, quæ viderit Hiſpania, cujus de inſtituto agam infra, ut opiniones aliorum alias de ejuſdem genere oppugnem, maximeque vindicem priſcis iis Fundatoribus jus ſuum: doleo enim, quod per ſummam injuriam ablatum iiſdem ſit, reque penitus inexplorata aliis attributum. Reſtaret nunc, ut de Monaſteriis aliis verba facerem, quorum fundatio ei adſcribitur ab Iſidoro. At quoniam ea ſpectant ad poſteriora tempora, quum Martinus Bracarenſis Eccleſiæ Metropolita erat, idcirco prætereundam mihi eſſe arbitror eorum mentionem, ſive, ut melius dicam, perveſtigationem; ab inſtituto enim meo diſceſſero, ſi præter originem, quicquam afferam de Monaſteriis, antequam fundatio Servitani innoteſcat, quod juxta Ildefonſum de primatu certat cum Dumienſi. Id nihilominus ſilentio præterire non debeo, quod ſpiſſa ea plantatio Cœnobiorum intra, & extra Bracaram, quæ ſapit Tamayo iniquæ non ſemel cauſæ aſſertori, Pſeudo-Chronicorum ex nota figlina prodiit, quod vidit & Henſchenius, quare ejuſdem fidei reliquit Monaſteria ea ſingula. Quamobrem quænam, quotve ea fuerint, quæ in genere illi tribuit Iſidorus, alii quærant; mihi immorari lubet detegendis certis Monaſtici inſtituti principiis in Hiſpania,

Acta SS. d. 20. Mart.

ut

ut planiorem mihi viam ſternam ad perſequendum cætera per totum ſeculum ſeptimum ante Mauricam invaſionem. Nam Regulæ S. Benedicti aſſertores, verbo abſit invidia, detriverunt quicquid certi eſt in antiquis documentis de re Monaſtica Hiſpanorum. Venio igitur ad Cœnobium Servitanum aliquanto recentius Dumienſi, quod tamen fundatum fuit antequam Martinus Metropolita fieret Bracarenſis, ac proinde prius quam alia conderentur in Gallæcia, quorum meminit Iſidorus. Duo autem hæc Monaſteria erunt tanquam cardines totius rei; eaque propter nil diligentiæ prætereundum mihi eſt in Servitani ætate inquirenda, quemadmodum adhibui omnem, ut Dumienſis fundationem certam ſtabilirem. DISSERT. VI. CAP. I.

X. Monaſter. Servitanum fundatur anno 570.

Servitanum Monaſterium decem tantum annis poſt Dumienſe fundatum eſſe compertum mihi eſt atque exploratum. Joannes ſiquidem Biclarenſis tum de illius inſtitutore Donato, tum de diſcipulo hujus Eutropio, qui Donato ſucceſſit in Monaſterii præfectura luculenter agit in ſuo Chronico, quod utriuſque ætatem amplectitur. De Donato ſcilicet loquitur anno Juſtini quinto, Leovigildi tertio, qui eſt Chr. 570. his verbis: *Donatus Abbas Monaſterii Servitani mirabilium operator, clarus babetur*. Poſtque annos tredecim, Chr. nimirum anno 583. Mauritii 2. Leovigildi 16. de hujus Succeſſore agens, *Eutropius*, inquit, *Abbas Monaſterii Servitani, diſcipulus S. Donati clarus babetur*. Nec dubium eſt, quin certa utriuſque Abbatis ætas conſignetur literis. Id quippe ingenium eſt Chronologo, ut clarorum virorum nomina eo potiſſimum anno celebret, quum primum florere cœperunt, niſi forte præclarum aliquod eorumdem facinus recenſeri ab eodem debeat, ut ſupremo Chronici anno contigit, dum Concilii Toletani III. mentio incidit, cujus acta prædictus Eutropius una cum S. Leandro digeſſerat: *Summa tamen*, inquit, *Synodalis negotii penes S. Leandrum Hiſpalenſis Eccleſiæ Epiſcopum, & beatiſſimum Eutropium Monaſt. Servitani Abbatem fuit*. Facile autem quiſque intelligit, quid intercedat diſcriminis narrationi huic rerum eventuum, cum ratione illa conſtituendi ætates virorum certas, quam perpetuo Biclarenſis ſervat. Et ſane ſi, præter allata exempla, animadvertantur alia, quæ occurrunt in Chronico, ſemper conſtans phraſis illa erit: *Mauſona Emeritenſis Eccleſiæ Epiſcopus in noſtro dogmate clarus babetur*. Rurſus: *Joannes presbyter Eccleſiæ Emeritenſis clarus babetur*. Ac demum: *Nonellus Complutenſis Epiſcopus cla-* Jo. Bicl. Chron.

DISSERT. VI. CAP. I.

rus habetur. Quamobrem Donatum florere tunc primum cœpiſſe, quum anno 570. ejus meminit Biclarenſis, eamdemque eſſe ætatem fundati Monaſterii, exploratiſſimum mihi eſſe videtur. Nec parum firma hæc mea opinio videri debet, quod ſolis eam exemplis comprobem; nam Chronologum præcedentibus quatuor annis de Donato ſiluiſſe, diſtuliſſeque ad Juſtini annum quintum quæ de illo affirmat, locupletiſſimum eſt argumentum ignoti antea nominis, ac Monaſterii nondum ædificati. Itaque compertum mihi eſſe ajebam, quod Servitanum Monaſterium Dumienſi recentius eſt annis decem.

XI. Donati adventus in Hiſpan. exploratur.

De Fundatore hujus Monaſterii Donato Ildefonſus loquens, ut ſupra vidimus, conjiciendo, quam affirmando aptiorem ſermonem habet de ipſius adventu in Hiſpaniam. Namque ait, quod *violentias barbararum gentium imminere conſpiciens, atque ovilis diſſipationem, & gregis Monachorum pericula pertimeſcens*, cum ſeptuaginta fere Monachis ex Africa in Hiſpaniam transfretavit. Ætas igitur hujuſmodi transfretationis indaganda mihi erit, ut Monaſtici Inſtituti Autorem in Regno Gothorum longe ante S. Martinum veniſſe in Hiſpaniam conſtet, tametſi Servitanum Monaſterium aliquanto poſt Dumienſe excitavit. Teſtatur hiſtoria, quod ab anno Chriſti 534. quum Beliſarii virtute debellatis barbaris, nempe Wandalis, receptaque Africa, Juſtinianus Auguſtus & priſcos inſtauravit honores, & præterea quicquid civile erat, adminiſtrandum dedit Præfecto Prætorii, aliiſque Officiis Palatinis recens inſtitutis in Africa; nullus inibi metus imminens a barbaris ante Saracenicam irruptionem circa ſequentis ſeculi dimidium deterruit incolas. Quin etiam hiſtoria eadem docente non ignoramus, quod medio eo tempore tum tyrannide res civiles, tum Eccleſiaſticæ trium Capitulorum cauſa turbatæ non ſemel ſunt. Cum tyrannide autem nihil rei habuiſſe barbaros, teſtes ſunt coævi ſcriptores Facundus Hermianenſis, Victor, & Marcellinus. Unus Procopius barbaros fuiſſe fautores tyrannidis docet: at, præterquamquod barbaros vocat græco more qui non erant Romani, Anonymus Ravennas monet, Wandalos ſemel victos in interiorem Africam ſe recepiſſe, ita ut inde nunquam ad ſuperiora evaſerint: *In qua*, inquit, *Gaditana patria gens Wandalorum a Beliſario devicta, in Africam fugit, & nunquam comparuit*. Multo etiam minus huc pertinet fœdum Eccleſiæ vulnus ab Juſtiniano inflictum trium Capitulorum cauſa, cujus rei locupletiſſimo utimur teſte

Hiſt. Vvand. l.2. in fin.

Anon. Rav. l.1. n.3.

Libe-

DISSERT. VI. CAP. I.

Lib. Diac. Breviar.

Liberato Diacono: *Cætera vero*, ait, *quæ ſubſequenter in Epiſcopis, & Catholica Eccleſia ab eodem Principe facta ſunt, quomodo conſentientes Epiſcopi in trium damnationem capitulorum muneribus ditabantur, vel non conſentientes depoſiti in exilium miſſi ſunt, vel aliqui fuga latitantes in anguſtiis felicem exitum ſuſceperunt, quoniam nota ſunt omnibus, puto nunc a me ſilenda.* Nam anno 551. Reparatus Primas Carthaginenſis, Firmus Numidiæ, Primaſius Adrumetinus, & Verecundus Nicenſis Conſtantinopolim petierant, ut tria Capitula totis viribus tuerentur. Verum nullus, ut ajebam, metus hinc barbarorum coegiſſe Monachos ſolum vertere dicendus eſt. Itaque ut de Donati fuga certius aliquid afferatur, pro tanti ſcriptoris dignitate, ſpectari oportet tempora Beliſarii victorias præeuntia, quum barbari omnia implebant metu.

XII. Is fortaſſe contigit anno 532.

Hiſt. Vvand. c. 12. n. 5.

Antequam Gilimeres miſeræ humanarum rerum conditionis exemplum fieret, captivitate nimirum ſua Beliſarii triumphum illuſtrans, regnum Africæ ab ſe invaſum triennii ſpatio poſſederat, ab anno 531. ad 534. Qualis vero invaſor hic fuerit, Ruinartius exponit: *Certe*, inquiens, *Gilimerem Catholicis faviſſe nemo ſibi perſuadebit, quem ſcilicet etiam in ſuos fuiſſe ſæviſſimum omnes conſentiunt, ut nequid dicam de Hilderico optimo Principe, quem crudeliter cum aliis ipſius affinibus occidi juſſit, ut teſtatur Victor Tununenſis ad quartum Juſtiniani Auguſti Conſulatum*. Equidem intra hoc barbari regis triennium conſtitui oportere Donati & Monachorum fugam ex Africa intelligo, ubi animadverto, quod Hildericus regno, vitaque exutus a Gilimere, adeo mitem ac propenſum Catholicis ſe exhibuit, ut inter veteres ſcriptores conſtet, reſpiraſſe Eccleſiam a ſæva Traſamundi perſequutione, quæ uſque ad annum 523. Hilderici primum, eam vehementer afflixerat. Ita ut niſi rege Gilimere hanc fugam eſſe factam quis credat, ad Traſamundi tempora eum aſcendere oporteat, quæ res vitam maxime diuturnam Donato tribueret; namque a primo Hilderici anno 523. ad Donati emortualem 582. ſexaginta ſolidi effluxerunt, ætas nimis longa hominis, quem utpote patrem Monachorum credibile eſt quadragenario majorem in Hiſpanias tranſmiſiſſe. Quare quum oſtenderim, quod Ildefonſi affirmatis repugnat ad Hiſpanos illum advehere poſt Beliſarii victoriam, ſuppetatque ratio facilis decem minimum annos detrahendi ætati hominis nimium diuturnæ, ad regnum Gilimeris me converti, unde anni tantum

 quin-

DISSERT. VI. CAP. I.

quinquaginta uſque ad ejus mortem numerantur. Huc accedit maxima transfretandi opportunitas; nam ipſo eodemque anno, quum Gilimeres Africanum regnum invaſit, Wiſigothis cœpit jus dicere ex Oſtrogothis primus Rex Theudis, qui non legitur Catholicis fuiſſe infenſus: quin potius Mariana referente: *Epiſcopos Catholicos quamvis religionis placitis diſſentientes Toleti conventus agitare dedit, de fide & religione quæ viderentur, libere conſtituere*. Hucuſque rerum ac temporum ratione habita licuit pervenire. Fateor nihilominus, quod anni duodequadraginta, qui fundationem Monaſterii Servitani præeunt poſt Donati appulſum, ſpatium ſunt nimis latum, fortaſſe etiam minus aptum narrationi Ildefonſi explicandæ, nam Monachorum adventum, ac Monaſterii fundationem continuata rerum ſerie deſcribit. At Monaſterium idem non eſſe perfectum ante annum 570. Biclarenſis teſtimonio oſtendi; ac Monachorum fugam ex Africa tamdiu differre ſpectata re ſum prohibitus.

De reb. Hiſp. lib. 5. c. 8.

XIII. Id probatur attento diſcrimine inter Monaſt. Dumienſe & Servitanum.

Inficiari non auſim, quod quæ Ildefonſus poſt fundationem affirmat, *Iſte prior in Hiſpaniam Monaſticæ obſervantiæ uſum & Regulam dicitur adduxiſſe*, innuere videntur Servitanum Cœnobium præferri debere Dumienſi. Secus vero eſſe palam facit Cœnobii utriuſque natura. Quamquam enim Martinus in Oriente optimis diſciplinis imbutus, probeque cognita re Monaſtica in regnum Suevorum ingreſſus, illico Monaſterium ibi ædificaſſe dicatur, tamen Eccleſiæ in honorem S. Martini Turonenſis excitatæ regiis opibus creatus Epiſcopus, iiſque indigens, qui divinis fungerentur officiis, ac proinde Epiſcopatu in Monaſterii formam redacto, Monaſtici auctor inſtituti appellari non poteſt, quum maxime conſtet, ſcientiſſimum illum Sacrorum Canonum, Catholicæ religioni inſtaurandæ, ac diſciplinæ Eccleſiaſticæ reſtituendæ navaſſe operam, quæ illius potiſſima cura fuit, tametſi & Monachis ſuam peculiarem regulam quin tradiderit non eſt dubium. Contra Donatus Monaſticæ ſolum artis peritus, ac reapſe Monachus, Monachorumque Caput, & Magiſter nihil aliud geſſiſſe fertur, quam quæ Cœnobii fundationem, Monachorumque inſtitutionem ſpectant. Neque ea quidem, vixdum ingreſſus in Hiſpaniam fuit, præſtare potuit. Quid enim? Vir unus e patria profugus; inops rerum omnium; ſuam ipſius, ac ſeqtuaginta fere ſociorum vitam ſuſtentare neceſſe habens; in alienigenarum terram, quæ cultu, magnaque ex parte religione diſpar erat, ut cervicibus imminentem gladium declinaret, adve-

vectus; illuſtris piæque fœminæ *ſubſidiis ac rerum opibus* ſibi, ſuiſque comparans quæ ad victum, vitæque illud genus aſperum neceſſaria erant; ac demum in regione Cœnobiorum inſcia, ejuſque generis Monachis aſſueta, qui hac illac diſperſi, orationi vacabant in cellulis eremitarum more, unaque identidem in Eccleſia congregabantur arbitrio Epiſcopi, cui ſubjecti omnino erant Monachi; isne cogitaſſet de Cœnobio excitando Inſtituti prorſus novi, antequam laudabilis vitæ exemplo ſanctiſque moribus tum Epiſcopi, tum Catholicorum animos ſibi conciliaſſet? Nonne ad credendum magis pronum videtur, quod tempore procedente novos, diviteſque indigenas inter ſuos numerans, initaque cum primis conſuetudine cum Sætabitano Epiſcopo, grande illud opus aggreſſus fuerit, cujuſmodi erat *Monaſticæ obſervantiæ uſum, & regulam* inſtituere, ita ut Monachorum Hiſpaniæ parens & appellaretur, & vere eſſet? Num iis omnibus perficiendis octo & triginta anni ſolidi impenderentur, incertum: id minime dubium, quod Servitanum Monaſterium ejuſque Monachi Donato Inſtitutori, & Abbati ſubeſſe non cœperunt ante annum 570.

XIV. Ætas Monaſtici Inſtituti in Hiſpan. 570. *Annal. Be. an. 534. n. 27.*

Itaque Hiſpaniarum Cœnobiis, monaſticoque inſtituto origo iſtà altior non poteſt tribui. Qua quidem in ſtabilienda erudito cuivis hæſit aqua. Ipſe Mabillonius S. Ildefonſi autoritate motus, ubi apud Venantium Fortunatum legit de Victoriano Abbate Aſanenſi:

Plurima per patriam Monachorum examina fudit:

illum Donati æqualem facit, ut conſtent quæ Fortunatus affirmat, nec Donato ſua eripiatur laus. Et quidem jure; nam ante Servitanum Monaſterium, quîcum Dumienſe antiquitate certat, non inſtituto, ut eſt demonſtratum, nullum omnino ſuppetit Monaſterium, quod naturæ ejus non ſit, cujuſmodi, Marianæ adhærens, deſcripſi per quintum ſeculum. Hujus autem rei teſte utor locupletiſſimo Concilio Barcinonenſi habito dum Donatus in Hiſpaniis degebat, anno nimirum 540. De Monachis ſiquidem decernens, ab ſynodi Chalcedonenſis ſtatutis non recedit; quæ quidem ſunt, ut Monachi aut ſint per provincias, aut per civitates, Epiſcopis ſint ſubjecti; jejunio, & orationi vacantes Eccleſiaſticis, civilibuſque rebus non implicentur; non ædificent Monaſteria, aut Oratoria præter voluntatem Epiſcopi; aliaque his ſimilia, quorum nihil abludit a prædicto Monaſteriorum ingenio, quorum ſcilicet Monachi nullo tenebantur

inſti-

inſtituto, ſeu regula, cujus primus in Hiſpaniis autor fuit Donatus teſte Ildefonſo. Verba autem Concilii ſatis perſpicua ſunt: *Conc. Barc. Can. 10. Chalced. 4. 7. 23.* *De Monachis vero*, inquit, *id obſervari præcipimus quod ſynodus Chalcedonenſis conſtituit*. Perinde eſt de Ilerdenſis Concilii Canone, quem expreſſerunt Patres ex Agathenſis, & Aurelianenſis decretis principio ſexti ſeculi latis in Gallia, quibus putaverunt: *Conc. Ilerd. Canon. 3.* *Hoc tantummodo adjiciendum, ut pro Eccleſiæ utilitate quos Epiſcopus probaverit, in Clericatus officio cum Abbatis voluntate debeant ordinari*; tametſi quæ continuo ſequuntur: *Ea vero, quæ in jure Monaſterii de facultatibus offeruntur, in nullo diœceſana lege ab Epiſcopo contingantur*: innuere videntur Monaſteria cœnobiticam formam præſeferentia. Qua equidem ſuper re ad Gallicana quod attinet Monaſteria, quicquam definire non auſim; nam quodcumque eſſet Monaſteriorum hujuſmodi ingenium, Ildefonſi ſententiam fruſtrari non poſſumus, qui Donatum Inſtituti, & Regulæ Monachorum in Hiſpaniis parentem agnovit. A cujus affirmatis non diſcrepat Canon nuper laudatus, qui de baſilicis laicalis fundationis decernens: *Nequaquam*, inquit, *ſub Monaſterii ſpecie, ubi congregatio non colligitur, vel Regula ab Epiſcopo non conſtituitur, eam a diœceſana lege audeat ſegregare*. Quæ porro ſi comparentur cum iis quæ Concilium Toletanum III. de Monaſteriis definit, *Conc. Tol. III. cap. 4.* *ſi Epiſcopus unam de Parochitanis Eccleſiis ſuis Monaſterium dicare voluerit, ut in ea Monachorum regulariter Congregatio vivat, &c.* evidens erit diſcrimen illud ingens, quod Monaſteriis ante Donatum cum Monaſteriis poſt eum excitatis interceſſit: antea enim ex Cellulis hac illac diſpoſitis conveniebant ad ejuſmodi Eccleſias; poſtea vitam in iiſdem agebant, quod eſt *Monaſticæ obſervantiæ uſum*, *& regulam* noſſe.

XV. *Poſt annū 570. alia fundata in Hiſpaniis Cœnobia, credibile eſt.*

Continuo poſt Monaſticam hujuſmodi diſciplinam a Donato explicatam in Servitano, alia plura per Hiſpanias Monaſteria id genus excitata eſſe probabile eſt. Quamobrem quod de Mauſona Emeritenſi Epiſcopo Paulus Diaconus ejuſdem Metropolis teſtatur: *De PP. Emeriten. c. 9.* *In exordio Epiſcopatus ſui Monaſteria multa fundavit, prædiis magnis locupletavit, &c.* ita quis accipiat; ut Monaſteriis hiſce obſervantiam, & regulam eſſe tribuendam exiſtimet. Neque id multo poſt Servitani fundationem; quippe Mauſona, ut Joannes Biclarenſis docet, ſedere cœpit anno 572. nempe poſt triennium a Cœnobio illo excitato. Quod ſi uſus Monaſticæ obſervantiæ admittitur non ſolum longe ab Sætabi, urbe

Digitized by Google

urbe nimirum provinciæ Carthaginenſis, in qua, ſive, ut aliis placet, prope quam Cœnobium Servitanum ædificatum fuit; verum etiam extra eam Provinciam: multo magis Monaſticam eam regulam intra ejuſdem Provinciæ fines obtinuiſſe credibile eſt. Et ſane Gregorius Turonenſis de Ermenegildi martyrio agens, meminit Monaſterii cujuſdam inter Saguntum, & Carthaginem ſiti. Quidquid autem ſit tum de hoc, tum de Emeritenſibus Monaſteriis, Joannes Biclarenſis certe excitavit ſuum in Provincia Tarraconenſi, unde ipſe accepit nomen: *Condidit Monaſterium*, ait Iſidorus, *quod nomine Biclaro dicitur*. Nihilo tamen minus ſi meam mihi liceat ſententiam ferre de hujuſmodi Monaſteriis, affirmare non dubito, quod Dumienſe in Gallæcia, in Provincia Carthaginenſi Servitanum, & Biclarenſe in Tarraconenſi certa, ac ſola Hiſpaniarum Cœnobia ſunt ante deteſtationem Arianæ hæreſis. Idque per ſe ipſa demonſtrant Cœnobia poſtmodum excitata, quippe quæ in honorem ſancti alicujus condi, ejuſque nomen ſibi vindicare conſueverunt. Suntque rei teſtimonium præſens Concilia Toletana, quibus Abbates Monaſteriorum ſubſcribunt. Tria vero prædicta eo mihi ab iis diverſa magis ſunt, quo remotiora ab iiſdem conditione; loci enim, non ſancti cujuſquam nomen præſetulere. Quamobrem Monaſteria illa S. Æmiliani, S. Petri de Cardeña aliaque id genus, quæ Card. Aguirrius non modo vetera eſſe docet, ſed regulam quoque S. Benedicti profeſſa eſſe, leviſſimum mihi, maximeque incertum videtur tanta vetuſtate donare, ut Concilium Toletanum III. prævertering.

DISSERT. VI. CAP. I.

De glor. Conf. cap. 12.

De Vir. Illuſtr. c. 44.

Coll. Conc. to. 2. p. 403.

XVI. Quæ aſſeruntur Cœnobia vetera, ſunt dubiæ fidei.

Doctiſſimus quidem Cardinalis Joannis Mabillonii, & Joſephi Perezii autoritate ſuam tuetur cauſam, ac ſecus ſentientes irridet; at, præterquam quod utrumque ſcriptorem plus æquo Benedictinum ordinem propagaſſe clam nemine eruditorum eſt, eorum alter eruditione quidem præſtantior, at fide levior unicuique erit, qui qua autoritate fretus de Monaſterio S. Æmiliani loquatur, expendat. Joannem is Tamayum tantæ rei teſtem adhibet, ſanctique viri Epitaphio indidem allato: *Certe*, inquit, *S. Æmilianus Abbas apud Cantabros cognomento Cucullatus Monaſterium ſuum condidiſſe, ac rexiſſe ad Regulæ noſtræ præſcriptum dicitur in ipſius Epitaphio Gothicis literis exarato. Hic vero anno Domini 574. vivere deſiit*. Documentum revera inſigne, quod alto antiquitatis ſilentio objiciatur! Rectius ſane, ac verius perſequitur totam S. Æmiliani hiſtoriam Ma-

Sec. Bened. præf. n. 72. & 74.

DISSERT. VI. CAP. I. Mariana, ejuſque in honorem poſitum Monaſterium docet ſeculo undecimo declinante, quare iis illuditur qui ſtudii cauſis rapiuntur ad incredibiles res obtrudendas. Non pigeat ſententiam ejus audire de S. Æmiliano, quem facit æqualem S. Martini ad Bracarenſem Metropolim jam evecti. *Erat*, inquit, *hac tempeſtate celebris eximiæ ſanctitatis opinione Æmilianus cognomento Cucullatus juvenis a paſtoritia arte ad ſanctioris vitæ ſtudium traductus, Felice Monacho præceptore uſus eſt, deinde a frequentia hominum remotus quadraginta vitæ annos in Deſtertii montis ſeceſſu tranſegit. Didymius Turiaſonenſis Præſul celebri de eo fama permotus, in publicum extractum, presbyterumque conſecratum Birgegienſi Eccleſiæ præfecit, &c. Quo loco corpus ejus tumulatum eſt, & poſt quingentos amplius annos ejus nomine Monaſterium exſtructum, copiis, autoritate, totius ædificii amplitudine cum primis Hiſpaniæ comparandum*. Apertam audis cauſam cur S. Æmiliani nomen inditum ſit Monaſterio, non quia ſcilicet fundator is fuerit, ſed quia in S. Viri honorem eſt excitatum. Perindeque apertum eſt, quanta laborent levitate ſuppoſitæ illæ inſcriptiones, quæ apud veteres occurrunt, quippe quas Pſeudochronicorum ex figlina profectas eſſe diligens quiſque lector comperiet. Nec vero Mabillonium utquumque ſui ordinis propagandi ſtudioſum, ſuppoſitio illa fefellit; nam alibi alienum errorem detegit, quo in prædicti Monaſterii fundatione probanda ipſe laborat: *Non dubium*, inquit, *quin primas Siculis facile conceſſuri ſint Benedictini noſtri Hiſpani poſt agnitas fraudes vulgati Chronici ſub nomine Maximi, cujus larvata autoritate deceptus Antonius Tepeſius S. Benedicti Regulam anno ſexti ſeculi 37. in Hiſpanias invectam, ac Monaſterio S. Petri de Cardeña impoſitam fuiſſe exiſtimavit. Id ſerius factum conſtat; tametſi quo præciſe tempore contigerit, minime ſit exploratum*. At de his infra opportunius.

De reb. Hiſp. lib. 5. c. 9.

Annal. Bened. l. 3. n. 26.

XVII. Ne locus quidem certus mõſtrari hodie poteſt.

Quæ quum ita ſint, inanem eos puto aleam ludere, qui ſeptimi Eccleſiæ ſeculi Monaſteriis ſitu eruendis incumbunt, incerti alicujus documenti veteris præſidio. Et quidem jure; nam trium illorum, quæ ipſe recenſui tanquam certa Monaſtici in Hiſpaniis Inſtituti principia, ne locus quidem certus indicari hodie poteſt. Luculentiſſimum rei teſtimonium fore arbitror literas Barcinonenſis Epiſcopi Benedicti, quas Mabillonio laudato Benedictino, ipſe Benedictinus cónſcripſit anno 1702. ut viro Clariſſimo flagitanti, quidquid certum ſciri poſſet de Monaſte-

Digitized by Google

naſterio Biclarenſi ſuppeditaret: *Circa ſitum*, ait, *& ſtatum Monaſterii Biclarenſis, noſtro idiomate de Vallclara a Joanne Abbate fundati, regnante in Hiſpania Reccaredo, æquivocationem abſque dubio paſſus eſt Mariana, quum ſcripſit illud ad radices Pyrenæi montis conſtitutum, ibique eodem nomine etiam nunc extare. Perſtat quidem adhuc juxta oppidum ejuſdem nominis de Vallclara Eccleſia, circa quam plura veſtigia hodie cernuntur ſolo æquata ad calcem montis non pyrenæi, ſed alterius longe diſſiti vulgo de Prades in Archidiæceſi Tarruconenſi, prope illuſtre Cænobium S. Mariæ de populeto, ubi Biclarenſe Monaſterium extitiſſe, eique præfuiſſe Joannem Abbatem, anteaquam Eccleſiam Gerundenſem gubernaret, teſtantur ſcriptores noſtri, conſtans eſt in Gotbolaunia perſuaſio. Quod quum aliud non extet in toto principatu noſtro prædicti Monaſterii, vel leve veſtigium, nullum videtur relinquere dubitandi locum, qnin iſte fuerit ſitus Monaſterii Biclarenſis.* Haud hîc quærendum mihi eſſe puto, utri magis adhærendum, Barcinonenſi huic Epiſcopo, an Marianæ? Certum id eſſe intelligo, quod pluribus, paucioribuſve de antiquis ruderibus decertatur, ubi agitur de Monaſterio certæ inſtitutionis indagando. Quamobrem de Monaſteriis aliis perinde certis, ante Saracenicam invaſionem fundatis quidnam hodie aut dici, aut cogitari poſſit, lectores judicare malim, quam meam ferendo ſententiam, rem aliquibus minus gratam affirmare. Propterea pergam differere de rebus reliquis, ut ſum pollicitus, unde, niſi ego multum fallor, præclariora, ac præſtantiora multa producentur, quæ plenam de Hiſpanis Monaſteriis diſputationem abſolvent.

DISSERT. VI. CAP. I.

Annal. Bened. l. 3. n. 35.

CAPUT II.

De fundatione Monaſteriorum Hiſpaniæ.

I. *Fundatio prima Monaſteriorum Hiſp. falſo Epiſcopis tribuitur*

QUamquam videor de fundatione obiter differuiſſe, quum Hiſpaniæ Monaſteriorum originem demonſtrabam eſſe ducendam a tribus iis Monaſteriis Dumienſi, Servitano, & Biclarenſi, quorum fundationem quam potui diligentius indagavi: tamen quæ mox afferentur, quum non unius, aut alterius Cœnobii naturam, atque ætatem ſpectent; ſed jus, conſuetudinemque fundationum ejuſmodi tota Hiſpania Gothorum tempore, quæſtionem adhuc eſſe integram planum facient. Præ-

terea talia congerentur documenta, quæ Monaſteriorum Hiſpaniæ fundationem, atque jus ipſum fundationis omni procul dubio detegant, atque explicent. Utrumque ab ſcriptore veteris diſciplinæ tribuitur Epiſcopis. Quadere quicquid de Inſti- *De Benef. P.1. l.3.c.24. n.16.* tuti Monaſtici parente Donato diximus, brevi admodum ſermone complectitur, nihilque uberius affirmat, quam quod Marianæ acceptum refert: certum quippe atque deliberatum habet ad Concilii Toletani III. tempora devenire, unde quicquid de Monaſteriis certum ſuppetit, in medium profert, ſanctumque Iſidorum Monaſtici Inſtituti parentem prædicat. Equidem doctiſſimi ſcriptoris conſilium improbare non auſim: dum video, illum quæ minus dubia erant, collegiſſe, ita ut doceret, S. Iſidorum, alioſque Epiſcopos, & cum primis Fructuoſum, caritatis ingenio motos plura & privato, & Eccleſiaſtico patrimonio condidiſſe Monaſteria: quæ res ſuam cauſam mirum in modum tuetur, rejicitque in Epiſcopos quicquid fundationis, ac regulæ Monaſticæ in Hiſpaniis fuit. Nihilo tamen minus quum ipſe planum fecerim, quod viginti minimum annis ante Concilium Toletanum III. repeti oportet Cœnobiorum originem, de ea nonnihil præmittam neceſſe eſt iis, quæ poſtmodo, juxta Thomaſſini doctrinam evenerunt. Nec vero inſtaurari per me aliquis putet de laudatis tribus Monaſteriis ſermonem, quaſi Thomaſſino adverſari cupiam: quandoquidem Servitanum, & Biclarenſe fundata certiſſime fuerunt a Monachis, quorum alter occubuit Monachus, Epiſcopatum alter diu poſt fundationem eſt adeptus. Quâ enim vir doctiſſimus affirmat, Monaſteria nulla fuiſſe excitata, quæ aut Epiſcopi ipſi, aut eorum conſenſu, & autoritate alii non fundaverint, ſecum mihi conſtat: quâ vero in Hiſpaniis fundationem nullam eſſe factam contendit, quam ipſimet Epiſcopi non fecerint, ſecum mihi diſcrimen aliquod intercedit, quod nunc expedio.

II. *Jus illud nondū Epiſcopor. privatum erat.*

Num Martinus fundator Dumienſis Monaſterii Epiſcopalem adeptus eſſet dignitatem antequam illud conderet, necne, parum attinet hîc inquirere, parentem quippe Inſtituti Monaſtici ex Ildefonſo Donatum novimus: ac proinde Servitani ex Cœnobii conditore non modo originem, verum etiam fundationis genus aſſequimur. Chronicon Joannis Biclarenſis fidem facit, Donatum Monaſterii ſui Abbatem deceſſiſſe, cui ſuffectus fuerit Eutropius Monachus ab eodem inſtitutus; quemadmodum ab eodem fuiſſe conditum id Monaſterium Ildefonſus affirmat.

Quam-

Digitized by Google

Quamobrem neque ut Thomaſſino adhæreamus, ab Ildefonſo diſcedendum, neque in Hiſpanias invehenda per nos diſciplina eſt, quam certo ſcimus inibi obtinuiſſe ſolum poſt hæreſis deteſtationem. Neque enim de Servitano dumtaxat Cœnobio id conſtat liquido, ſed quodvis aliud Cœnobium excitatum fuerit, minime dubium eſt, quin, præter Arianos Reges, aut Epiſcopi, aut Monachi Catholicorum ope id poſuerint, nullo prorſus diſcrimine, tametſi pro ejus temporis Monachorum conditione, Epiſcoporum conſenſus ſemper accederet neceſſe erat. Sitque inſtar omnium Biclarenſis Monaſterii certa fundatio, quam ab Joanne Monacho eſſe factam tum vidimus, tum præclariori etiam teſte utentes Caniſio, affirmamus. In ipſo ſiquidem titulo ſæpe laudati Chronici, quod ille ex Codd. Mſs. in lucem edidit, hæc leguntur: *Chronicon Joannis primum Fundatoris, & Abbatis Monaſterii Biclarenſis, poſtea Epiſcopi Gerundenſis, qui ſubſcribit in Concilio Barcinonenſi anno* 599. Quibus integram conciliant fidem quæ ſupra attulimus tum ex S. Iſidoro, tum ex Mabillonio. Itaque duplex fundationis genus apud Hiſpanos conſiderandum fuit, Cœnobiorum videlicet, quæ ante Reges Gothorum Catholicos fuerunt poſita, & eorum, quæ poſtea ſunt excitata. De his plura mox afferentur. De iis vero jam ſatis multa: niſi forte id videatur addendum, quod nulla Regum Arianorum ope, quidquid Cœnobiorum fundatum fuit, perfectum eſt.

III. Reges Gothor. Catholici Monaſterior. fundatoribus opitulantur.

Rem, puto, videar plus æquo differre, dum ad annum 589. Monaſteriorum fundationis Epiſcopale jus produco. Triennio ſiquidem ante quam Concilium Toletanum III. celebraretur, Biclarenſis de Reccaredo rege loquens: *Eccleſiarum*, inquit, *& Monaſteriorum conditor, & ditator efficitur*. Si enim Regia autoritas Epiſcopalem prævenit: ante igitur quam Epiſcopi id ſibi juris aſſererent, condita a Regibus Monaſteria eſſe videntur (quæ aliquot Recentiorum opinio eſt) duplexque eorum genus fuiſſe apud Hiſpanos, quorum alia Epiſcopos, Reges alia habuerint conditores. Opinionem vero iſtam falſam omnino eſſe oſtendunt quæ mox proferam documenta. Interea velim animadvertas, quod alii nulli ex Gothorum Regibus ejuſmodi laus truibuitur. In Reccaredum autem non ſolum Chronologus laudatus gloriam effudit fundationis Monaſteriorum, ſed Papa ipſe Gregorius, quod vidimus, Catholicæ Religionis inſtaurationem, aliaque multa in eum conjecit, quæ ab Epiſcopali nullatenus

nus poteſtate ſejungi poſſunt. Quid vero? Ita ætas, ita res ipſa efflagitabant, ut diſciplina poſtliminio revocata coaleſceret. Sed audiatur perinde gravis, atque integer teſtis Iſidorus, qui Catholica jam religione firmata præſidiis validiſſimis doctrinæ, & ſanctitatis Epiſcoporum, de Rege eodem moderatius, candidiuſque ſcripſit: *Adeo*, inquiens, *liberalis, ut opes privatorum, Eccleſiarum prædia direpta a patre, & fiſco aſſociata juri proprio reſtitueret*. Neque igitur pro Regum majeſtate, neque pro autoritate Epiſcoporum faceret qui laudem his præreptam illis adſcriberet, hærens Chronologi laudatione nimis effuſa, quam res præclare geſtæ, ipſaque tempora expetebant. Quid enim magis decet Catholicum Principem, quam pietas in Deum, in ſubditos miſeratio? Duo autem hæc perfecit liberalitate illa maxima, quam laude proſequitur Iſidorus. Pari eum munificentia res ſuas Monaſteriis vindicaſſe, necnon propriis illa opibus ditaſſe, quin etiam ut nova conderentur conſilio, atque opera effeciſſe non incredibile eſt; quippe quod æqualis eorum temporum ſcriptor affirmat. Verum longe ut ſibi quicquam Regia poteſtas arrogaret contra jus Epiſcoporum, legibus, præſertim Wambanis, ſtabilitum comperimus, ut ſemel adjudicata Monaſteriis ab Epiſcopo, in quo inerat jus omne, in eorumdem Monaſteriorum poteſtate perpetuo eſſent. Qua ſuper re ne diuturniori, quam par eſt, ſermone utar, memoria velim repeti quæcumque de Eccleſiaſticis beneficiis ſupra diximus, quorum ingenium ſeu naturam ſequuta ſunt Monaſteria ante octavum ſeculum.

S. Iſid. Chron. Goth.

Diſſ. 4. cap. 7.

IV. Epiſcopi jus omne in Monaſteria ſibi vindicant.

Quod ſi, quemadmodum luculenter demonſtravi, bona quævis a Rege, aliiſve fidelibus profecta in baſilicarum, aut Monaſteriorum utilitatem, jus omne priſtinum amittebant; parum e re noſtra eſſe aliquis dicat fundationum jus Regibus, laiciſque fidelibus ademiſſe. Si enim ſemel donata Eccleſiis, perpetuo iiſdem inhæſerunt, undequumque venerint, ſumma eadem eſt. Ita equidem ratiocinari eos puto, qui Fundationes, donationes, & dotationes a Regibus, Ducibus, Comitibus factas poſt Saracenorum expulſionem minus animadvertunt dediſſe anſam nonnullis, ut veterem Monaſteriorum diſciplinam confunderent cum ea, quæ poſt Mauros ejectos cœpit. Quorum quidem opinio quam falſa ſit ut pateat, tria ſpectari debent. Ponendum primo eſt, quod per totum ſeculum ſeptimum ſumma Epiſcoporum poteſtas fuit æque in Clericos, ac in Monachos,

chos, quippe qui uno Religioſorum nomine agnoſcebantur: *Si quis Religioſorum ab Epiſcopo uſque ad extremi ordinis Clericum ſive Monachum*. Deinde ratum firmumque eſſe debet, quod ipſa in Catholicæ Religionis inſtauratione, quum Reccaredum regem teſtatur Biclarenſis contuliſſe non pauca in Monaſteriorum ædificationem, ſtabilitum fuit ſacris Canonibus, ut quidquid undelibet in Eccleſiam conlatum eſſet, ad Epiſcopum pertineret: *Quidam contra Canonum autoritatem Eccleſias quas ædificaverunt poſtulant conſecrari, ut dotem, quam eidem Eccleſiæ contulerint cenſeant ad Epiſcopi ordinationem non pertinere. Quod factum taliter in præterito corrigatur, ut in futuro ne fiat probibeatur, & omnia ſecundum conſtitutionem antiquam ad Epiſcopi ordinationem, & poteſtatem pertineant*. Poſtremo certum ſciri oportet, quod ſoli Epiſcopi aliena licet ope utentes, jus omne fundandi Monaſteria habere cœperunt eodem in illo exordio inſtaurati dogmatis; ita ut fidelium opibus deficientibus, Parochiales ipſas Eccleſias in Monaſteria convertere, dotemque iis tribuere haud prohiberentur: *Si Epiſcopus unam de Parochinatis Eccleſiis ſuis Monaſterium dicare voluerit, ut in ea Monachorum regulariter congregatio vivat, hoc de conſenſu concilii ſui habeat licentiam faciendi, qui etiamſi de rebus Eccleſiæ pro eorum ſubſtantia aliquid, quod detrimentum Eccleſiæ non exhibeat, eidem loco donaverit, ſit ſtabile; rei enim bonæ ſtatuendæ ſanctum Concilium dat licentiam*. Qua quidem poteſtate paſſim uſi fuerunt illi Epiſcopi, præſcribentes quoque ipſius dotis ſummam, ne detrimentum Eccleſiis aliis inferrent: *Quiſquis itaque Epiſcoporum in Parochia ſua Monaſterium conſtruere forte voluerit, & hoc ex rebus Eccleſiæ cui præſidet, ditare decreverit, non amplius ibidem, quam quinquageſimam partem dare debebit, ut hac temperamenti æquitate ſervata, & cui tribuit, competens ſubſidium conferat, & cui tollit damna gravia non infligat*.

DISSERT. VI. CAP. II.

Conc. Tolet. x. cap. 2.

Conc. Tol. III. cap. 19.

Ibid. cap. 3.

Conc. Tolet. IX. cap. 5.

V. Quæ Monaſteriis donabant, auferre amplius non poterant.

Unde evidentius etiam, quam alibi demonſtratum fuit, colligitur, quod bona omnia Eccleſiaſtica juris fiebant Epiſcopi, quacumque Diœceſis, ſeu Parochia ejus extendebatur; adeo ut abſolutus eorumdem œconomus effectus nulli alii, præterquam Concilio, eorum diſpenſationis rationem reddere teneretur. Quod magis magiſque comprobat pars alia Canonis nuper recitati: *Eccleſia vero*, ajunt Patres, *quæ Monaſticis non informabitur regulis, aut quam pro ſuis munificare voluerit ſepultu-*

DISSERT. VI. CAP. II. *turis, non amplius quam centeſimam partem cenſus Eccleſiæ, cui præſidet, ibidem conferre licebit*. Cæterum ſuæ erant privatæ leges tum pro Monaſteriis, tum pro Monachis, quibus cohibebantur Epiſcopi propria poteſtate in utroſque abuti: nam nec ſemel donata Monaſteriis convelli ab Epiſcopis poterant, nec Monachi aſperius accipi. Quamobrem ingentem in admirationem adacti Patres Concilii Toletani IV. *Nunciatum eſt*, inquiunt, *præſenti Concilio, quod Monachi Epiſcopali imperio ſervili opere mancipentur, & jura Monaſteriorum contra conſtituta Canonum illicita præſumtione uſurpentur; ita ut pene ex Cœnobio poſſeſſio fiat, atque illuſtris portio Chriſti ad ignominiam, ſervitutemque proveniat. Quapropter monemus eos, qui Eccleſiis præſunt, ut ultra non præſumant, ſed hoc tantum ſibi in Monaſteriis vindicent Sacerdotes, quod præcipiunt Canones, ideſt: Monachos ad converſationem ſanctam præmonere, Abbates aliaque officia inſtituere, atque extra Regulam facta corrigere. Quod ſi aliquid in Monachos canonibus interdictum præſumſerint, aut uſurpare quippiam de Monaſterii rebus tentaverint, non deerit ab illis ſententia excommunicationis, qui ſe deinceps nequaquam ſuſtulerunt ab illicitis*. Aliquanto etiam clarius de Monaſteriorum facultatibus definitum erat in Concilio Hiſpalenſi ante annos quindecim, nempe anno 619. *Statuimus, ut Cœnobia nuper condita in provincia Bœtica, ſicut & illa, quæ ſunt antiqua, immobili, & inconcuſſa ſtabilitate maneant ſolidata. Siquis autem, quod abſit, noſtrum vel nobis ſuccedentium Sacerdotum quodlibet Monaſterium aut vi cupiditatis ſpoliandum, aut ſimulatione aliqua fraudis convellendum, vel diſſolvendum tentaverit, anathema effectus maneat a Regno Dei extraneus . . . . . ſuper hoc etiam univerſi Bæticæ provinciæ Epiſcopi congregati eumdem ſacri cœtus everſorem a communione ſuſpendant, convulſum Monaſterium cum rebus ſuis reſtaurent, & quod impie unus ſubverterit, omnes pie reforment*.

Conc. Tolet. IV. cap. 51.

Conc. Hiſp. II. cap. 10.

VI. Tametſi eorumdem ſoli ipſi diſpenſatores erant.

Qua ſuper re decerni opus fuit, ne tantum ſibi juris vindicarent Epiſcopi, ut ab æquitate recederent. Quamquam enim ſoli ipſi Monaſteriis bona aut ex propria Eccleſia, aut ex fidelium oblationibus tribuerent, iiſdem nihilominus, perinde atque aliis Eccleſiæ bonis ita eos uti oportuit, ut Divino magis cultui, ac definitis per ſacros Canones proſpexiſſe, quam aut ſanguine, aut gratia conjunctis quæſiviſſe commoda viderentur. Hinc eſt quod Epiſcopos ſecus ſe gerentes acriter reprehendit Na-

Nationale Concilium, ut tota Hiſpania eliminet hunc abuſum: *Agnovimus*, inquit, *quoſdam Pontifices præcepti Principis Apoſtolorum qui ait: Paſcite qui in vobis eſt, gregem non coacte, ſed ſpontanee, nec dominantes in clero, ſed forma facti gregis: ita eſſe immemores, ut quibuſdam Monaſteriis, parochialibuſque Eccleſiis aut ſuæ conſanguinitatis perſonas, aut ſui favoris participes iniquum ſæpe ſtatuunt in Prælatum, ita illis providentes commoda inboneſta, ut eiſdem deferantur aut quæ proprio Epiſcopo dari juſtus ordo popoſcerit, aut quæ rapere deputati exactoris violentia potuerit*. Quo ſane ex documento, aliiſque ex ſupra allatis liquido conſtat, quod jus omne tum inſtituendi, tum ſervandi Monaſteria inerat in Epiſcopis. Nec eſt, cur ocioſus aliquis Canonem illum provincialis Concilii, quo cavetur fundatoribus laicis, ſuo arbitratu explicet; ut juſpatronatus, quod ſequioribus ſeculis emerſit, iiſdem vindicet. Nam, præterquam quod cautum illo eſt unius provinciæ Carthaginenſis abuſui, animadverti debet, quod Canone eodem de mero baſilicæ, aut Monaſterii alicujus ædificio agitur, quam rem a fundatione, de qua agimus, diverſam eſſe quis ignorat? *Epiſcoporum*, ait Canon, *vel inſolentia, vel incuria horrendam decidant in ruinam, ut gravior ex hoc oriatur ædificantibus mœror, quam inſtruendo gaudii extiterit labor*. Quamobrem quod juris conceditur hujuſmodi fundatoribus, quoad vixerint, non excedit ſollicitudinem ſolius ædificii, ſeu materialis Eccleſiæ, aut Monaſterii, de formali autem utriuſque fundatione nec loquitur, nec loqui debet, quippe quæ privata Epiſcoporum erat. At de vera hac etiam fundatione egerit: jus illud omne intercidit cum Saracenorum irruptione, aut paulo poſt, vivere nimirum definentibus qui ædificarant. Ac proinde jus aliquod petere ex illa antiquitate, quod patronatum imitetur poſt Maurorum expulſionem natum, toto cœlo aberrare eſt. Quæ dicta velim in eorum gratiam, qui a pſeudo-Chronicis decepti, horum affirmatis conciliare fidem pro virili contendunt.

DISSERT. VI. CAP. II.

Conc. Tolet. x. cap. 3.

Conc. Tolet. IX. cap. 2.

VII.

Monachi & clerici uno religioſorum nomine ſubditi Epiſcopis.

Equidem, niſi ab ævi illius æqualibus Scriptoribus edoctus, Monaſteria prædicta, præcipue Servitanum Epiſcopis auferre compellerer, diſciplinam Africæ, Galliæ, & Italiæ in Hiſpaniis vel ante hæreſis deteſtationem obtinuiſſe dicerem, ne minimum quidem a Thomaſſini veſtigiis recedendo. Tunc ſiquidem negotio facili aſſequeremur, cur ſolis Epiſcopis tum Monaſteria, tum eorum facultates omnino ſubjicerentur. Emendicatæ autem inſtar

De diſcipl. p. 1. l. 3. c. 26. n. 2. &c.

DISSERT. VI. CAP. II.

ſtar diſciplinæ ſint quæ antiquitate Hiſpaniarum teſte affirmamus. Innuebam paulo ante, quod Poteſtati Epiſcopali ſubditi uno Religioſorum nomine appellabantur. Nunc ut luculenter conſtet, quod conditio prorſus eadem erat bonorum Monaſteriis addictorum, atque aliorum, quæ ad Eccleſiam pertinebant, & uno verbo Epiſcopis omnino ſubjiciebantur, rem clarius explanabimus. Canon eſt Concilii Oſcenſis anno 598. celebrati de omni Religioſorum ordine mirum in modum decernens: *Hoc*,

Conc. Oſc. c. 1. inquit, *Synodus ſancta fieri elegit, ut annuis vicibus unuſquiſque noſtrum omnes Abbates Monaſteriorum, vel Presbyteros, & Diaconos ſuæ Diœceſis ad locum, ubi Epiſcopus elegerit, congregare præcipiat, & omnibus regulam demonſtret ducendi vitas, cunctoſque ſub Eccleſiaſticis regulis adeſſe præmoneat*. Perinde evidens, præclarumque eſt decretum Nationalis Concilii Toletani IV. quod circa univerſam Hiſpaniæ diſciplinam verſatur. Ver-

Conc. Tolet. IV. cap. 53. ba ipſa Concilii recito: *Religioſi propriæ religionis, qui nec inter Clericos, nec inter Monachos habentur, ſive hi qui per diverſa loca vagi fuerint, ab Epiſcopis in quorum conventu commanere noſcuntur, licentia eorum coerceatur: in clero aut in monaſteriis deputati, præter illos, qui ab Epiſcopo ſuo aut propter ætatem, aut propter languorem fuerint abſoluti*. Quæ ſane Epiſcoporum ſumma in Monachos autoritas unicuique palam eſt in ipſis Conciliorum ſubſcriptionibus; nam æque Abbates Monaſteriorum, atque alii ex Clero vices gerunt proprii quiſque Epiſcopi. Præterquamquod Abbates ipſi omnimodam Epiſcopis ſubjectionem, ut presbyteri & diaconi, præſtare cogebantur; quod

Conc. Emer. c. 11 præſertim in viſitatione Diœceſeon eſt apertum. *Placuit*, ajunt Patres Emeritenſes, *huic Sancto Concilio, ut tam a presbyteris, quam ab Abbatibus, ſive etiam a Diaconibus Epiſcopo honor debitus impendatur, ut a nullo contumeliam pati videatur, & quandocumque contigerit, eum juxta canonicam ſententiam viſitare ſuam parochiam, & digne eum ſuſcipiant, &, prout habuerint, aut ratio permiſerit, illi præparent quæ fuerint neceſſaria*.

VIII. Monachis ſeverior tantum diſciplina diſcrimen erat cum clericis.

Neque id mirum. Si enim attente animadvertatur, quidnam eſſet diſcriminis inter Clericos, & Monachos, ſeveriori tantum hos diſciplinæ obnoxios reperire eſt, quam illos; in reliquis vero nullatenus diſcrepare a Clericis invenientur. Et ſane ne ab officiis quidem recitandis, quæ recitabant Clerici aut ordine, aut ratione ſecernebantur; tametſi plura iis ab Epiſcopo injuncta erant, quam Clericis. Quare Toletanum Concilium XI. de-

Digitized by Google

decernens, ut Metropolitanæ inſtar Eccleſiæ, comprovinciales aliæ omnes ſeſe gerant hac in re, de Abbatibus Monaſteriorum, hoc ſpeciale habet: *Abbatibus ſane indultis Officiis, quæ juxta voluntatem ſui Epiſcopi regulariter illis implenda ſunt, cætera officia publica, ideſt Veſperam, Matutinum, ſive Miſſam aliter quam in principali Eccleſia celebrare non liceat*. Quamvis enim liberum cuique eſſet Epiſcopo, dum ſuis Monaſteriis præſcribebat regulam, Officia illis peculiaria injungere; eadem tamen ab oneribus publicis religioſorum, ſeu Cleri & Monachorum, nequibat eximere. Itaque una eademque lege & Clerici & Monachi Epiſcopis ſubdebantur, neque erat aliud inter utroſque diſcrimen, quam ſeveritas diſciplinæ. Hinc eſt, quod Clerici mitiorem ſui ordinis regulam contemnentes, monaſticæ ab Epiſcopis ſubjiciebantur: *Clerici in uno Conclavi atrii ſub probatiſſimo ſeniore magiſtro degant. Qui autem his præceptis reſultaverint, monaſteriis deputentur; ut vagantes animi, & ſuperbi ſeveriori regula diſtringantur*. Perinde qui ardentiori ſtudio clericalem vitam cum Monaſtica avebant immutare, plenam ab Epiſcopis libertatem aſſequebantur: *Clerici, qui Monachorum propoſitum appetunt, quia meliorem vitam ſequi cupiunt, liberos eis ab Epiſcopo in Monaſteriis largiri oportet ingreſſus, nec interdici propoſitum eorum, qui ad contemplationis deſiderium tranſire nituntur*. Plura his mihi neceſſaria non eſſe intelligo ad rem probandam; neque ullus dubito, quin abunde omnes teneant, quod Clerici & Monachi, uno religioſorum nomine appellati, omnino ſubjecti erant Epiſcopis, quorum privatim intererat Abbates aliaque officia in Monaſteriis inſtituere, regulamque iis præſcribere; id dumtaxat præſtare prohibiti Sacris Canonibus, quod Sacri iidem Canones vetabant fieri de Eccleſiæ bonis, quibus generalibus legibus perinde Monaſtica, atque Eccleſiaſtica alia bona nitebantur: ac propterea longe ut Epiſcopalem in Monaſteriis autoritatem imminuant, eamdem magis ac magis confirmant, æqualemque extitiſſe monſtrant in Monachos, & in Clericos, qui uniuſcujuſque juriſdictionis portio erant.

DISSERT. VI. CAP. II.

Conc. Tolet. XI. cap. 3.

Conc. Tolet. IV. cap. 24.

Ibid. cap. 50.

IX. Rurſus probatur ſubjectio Monaſter. Epiſcopis.

Omnimodam hanc Monachorum ſubjectionem Epiſcopis fortaſſe aliquis turbari putet decreto Concilii Toletani VII. quo ſcilicet redigi in ordinem jubentur Monachi aut ab Epiſcopis, aut a Monaſteriorum Rectoribus: *Illos vero*, ait, *quos in tali propoſito ignavia impulit, non prudentiæ cognitio deputavit, quoſque nulla vitæ dignitas ornat, ſed (quod eſt deterius) & ignorantia fœdat*

Conc. Tol. VII. cap. 5.

DISSERT. VI. CAP. II. *dat, & morum execratio turpat, decernimus ab his abjici cellulis, atque locis in quibus aut feruntur vagi, aut tenentur incluſi, atque ab Epiſcopis, ſive Rectoribus Monaſteriorum, ex quorum congregatione fuerunt, vel in quorum vicinitate conſiſtunt, in Monaſteriis omnimodo deputentur*. Is vero, ſi in eorum memoriam redeat, quæ ſuperius ſunt allata ad Epiſcopos videlicet pertinere Abbates ac reliqua officia omnia in Monaſteriis inſtituere, facile aſſequetur, quod quidquid a quolibet autoritatis in Monaſteria, Monachoſve exercebatur, cum ſubordinatione Epiſcopis fiebat: quin etiam Canon hic, quem recito, delegationem autoritatis per Epiſcopos factam Rectoribus videtur magis innuere, quam autoritatem eorumdem priſtinam confirmare. Præterquamquod Abbatibus, cæteriſque Officiis ſua ab Epiſcopis demandabantur munera, quibus defungi, obtemperare erat Epiſcopis, ipſis ſic volentibus. Summa eſt, quod in Monaſteria Monachoſque Epiſcopi ſoli jus habuerunt in Hiſpaniis, antequam Saraceni eas invaderent. Quod qui perpetuo ex Conciliorum teſtimonio intelligit, haud miratur cum Thomaſſino temporalium dumtaxat rerum curam committi Præpoſitis Monaſteriorum a S. Iſidoro: *Ad Præpoſitum pertinet ſollicitudo Monachorum, actio cauſarum, cura poſſeſſionum, ſatio agrorum, plantatio, & cultura vinearum, diligentia legum, conſtructio ædificiorum, opus Carpentariorum ſeu Fabrorum*. Quidquid autem poſſent, ſeu non poſſent Epiſcopi in Monaſteriis Hiſpaniarum, videre eſt ſacris legibus definitum, quas uno ſub capite collectas præſefert liber Veterum Canonum a me exhibitus tomo primo. Ibi enim alios inter Canones laudatur Chalcedonenſis, qui hæc habet: *Quæ ſemel ex voluntate Epiſcopi dedicata ſunt Monaſteria, perpetuo manere Monaſteria, & res quæ ad ea pertinent, Monaſterio reſervari: nec poſſe ea ultra fieri ſecularia habitacula. Qui vero hoc fieri permiſerint, Canonum correptionibus ſubjacebunt*.

P. 1. l. 2. c. 93. n. 8.

Cod. Vet. Can. l. 2. c. 1. Conc. Chalc. can. 23.

X.

Quia ſcilicet Deo conſecrata ab iiſdem erant.

Quæ ad hunc Canonem Chriſtianus Lupus doctiſſime obſervat, de perpetua nimirum Eccleſiæ conſuetudine extirpandi radicitus Monachos hæreſi laborantes, ad rem noſtram minus faciunt; namque in Hiſpaniis neque ante Iſidorum primum collectorem Veterum Canonum, neque poſt ejus obitum ſimile quicquam eveniſſe compertum mihi exploratumque eſt. Hiſpaniarum igitur Præſules dum Canonem hunc Chalcedonenſem ſibi proponebant, noviſque identidem decretis confirmabant,

hæc

hæc de Regni Gothorum Monaſteriis perpetuo ſervanda eſſe decreverunt. Primum, nt eadem ſemel Divino dominio acquiſita per Epiſcopalem conſecrationem, nullatenus convelli unquam poſſent, quod definitum ſupra vidimus in Concilio Hiſpalenſi II. Deinde, ut quæcumque bona ipſis Monaſteriis adjudicata ſemel ſunt, perpetuo in poteſtate eorumdem ſint; quod Canonibus Conciliorum Toletanor. III. IV. & X. confirmatum diximus. Poſtremo ut Canonicis ſubjaceant pœnis Epiſcopi, qui prædicta Monaſteriis detrimenta inferri paſſi fuerint; quod laudatis Canonibus, ſancitum perſpeximus. Eſtque hîc notandum, quod horum Canonum aut cuſtodes, aut tranſgreſſores nulli, præter Epiſcopos, in totis Hiſpaniæ Conciliis memorati inveniuntur. Ipſo in Concilio Toletano, quod fundatoribus Eccleſiarum parochialium, & Monaſteriorum nonnihil juris concedit, quoad vixerint, autoritas omnis & poteſtas aſſeritur ſolis Epiſcopis: *Quia*, inquit, *fieri plerumque cognoſcitur, ut Eccleſiæ parochiales, vel ſacra Monaſteria ita quorumdam Epiſcoporum vel inſolentia, vel incuria horrendam decidant in ruinam, ut gravior ex hoc oriatur ædificantibus mœror, quam inſtituendo gaudii extiterat labor: ideo pia compaſſione decernimus, ut quamdiu earumdem fundatores Eccleſiarum in hac vita ſuperſtites extiterint, pro eiſdem locis curam permittantur habere ſollicitam*. Mitto reliqua, utpote alibi recitata. Id tantum urgeo adverſus eos, qui hinc juris patronatus originem nullo jure deducunt, quod aliud eſt Epiſcopos miſericordia motos permiſiſſe aliquam facultatem fundatoribus, ne propriis cernerent oculis peſſumire quæ pietate urgente Deo dicaverant, aliud quorumvis beneficiorum fundationem cum juriſpatronatus lege admittere, quod ſequioribus ſeculis invaluiſſe non eſt dubium. Itaque vix rudimenta juris hujuſmodi ex iſto Canone eruuntur, quidquid ſe torqueant, qui, quam fieri poſſit altius, illius originem conantur ducere.

Conc. Tolet. IX. cap. 2.

XI. Falſo appingitur Monaſteriis juſpatron. laicum.

Quia nihilominus doctiſſimi Scriptoris autoritate inhærent: is enim non modo juspatronatus laicum, ſed etiam præſentationes Parochorum, Abbatum, aliorumque beneficiariorum ex Canone illo exprimit, conjicitque inde factum, ut propulſandæ ab Eccleſiis injuriæ, transmitteretur in poſteros & hæredes facultas in Toletano Concilio ſolis fundatoribus conceſſa, quod juriſpatronatus laici ingenium eſt: idcirco operæ pretium facturum me eſſe arbitror, ſi nonnulla eorum, quæ attuli, de beneficiis agens, aut refricavero, aut dilucidius explicuero. Innititur

Pp 2 Tho-

DISSERT. VI. CAP. II.

Thomaſſinus laudato a me ſæpius nuperque decreto Concilii Toletani IX. non enim tot inter Documenta Hiſpana illius ſimile aliud ſuppetit: inde autem colligit, ſeu potius conjicit, hanc probabiliter exiſtimari occaſionem, vel cauſam *Patrocinii laici*: *ut dum adviverent fundatores, ipſis viciſſim aliquid Eccleſia gratificaretur*. Continuatam vero hanc facultatem in poſteris aut hæredibus Scriptor diligens nec invenit, nec invenire ullatenus poterat. Quin etiam in Concilio X. Toleti pariter celebrato paucorum menſium intercapedine, &, quod magis, non ab unius provinciæ Epiſcopis, ſed ab univerſis Hiſpaniarum & Galliæ Præſulibus, longe majoribus Epiſcoporum exceſſibus, quam fabricæ incuria fuerit, cavetur: res enim eſt de dote ipſa Monaſteriorum, boniſque aliis Eccleſiæ, aut diſtractis, aut male poſſeſſis per iniquos Rectores, quibus vel ſanguine, vel gratia ſibi conjunctis Epiſcopi commendaverant Monaſteria: at ne verbum quidem occurrit de fundatoribus. En verba ipſa Decreti: *Quiſquis Pontificum deinceps aut ſanguinis propinquis, aut favore perſonis quibuſcumque ſibi devinctis talia commendare lucra tentaverit, ad ſuum nefandæ præſumtionis excidium, & quod juſſum fuerit devocetur in irritum: & qui ordinavit, annuæ excommunicationi ſubjaceat; quæ vero ablata fortaſſe fuerint, ab eo, qui tulit, reddantur in duplum*. Quamobrem quà Thomaſſinus conjectat, gratificatos eſſe Epiſcopos Fundatoribus quoad viverent, ab ejus opinione non recedimus, œconomiæ licet plenam gratificationem intelligimus, ut nempe materialis tantum fabricæ ſatagerent nonnulli fundatores provinciæ Carthaginenſis, qui ſupplices ſuarum viciſſitudinem fundationum queſti erant in Concilio. Quà vero juspatronatus laicum, propulſandæ cauſa ab Eccleſiis injuriæ, probabilem hujuſmodi originem habuiſſe ſibi auguratur, nequaquam aſſentiri eidem poſſumus. Hîc enim non quærimus quæ juris videntur fuiſſe, ſed quæ de facto certiſſime fuerunt.

De beneſ. P. 2. l. 1. c. 30. n. 18.

Conc. Tolet. x. cap. 3.

XII. Quod enucleatius demonſtratur in Hiſpaniis.

Hinc eſt, quod præſentationes laicas pari modo ab Hiſpaniarum provinciis omnino abjicimus; tametſi iiſdem querulis fundatoribus provinciæ Carthaginenſis factam eam poteſtatem non negamus, quoad viverent. Nec tamen id velim intelligi citra annum 681. quum Concilium Toletanum XII. ad Toletanum Præſulem & Regem Beneficiarios quoslibet inſtituendi omnem facultatem retulit: *Hanc quoque definitionis formulam ſicut de Epiſcopis, ita de cæteris Eccleſiarum Rectoribus placuit obſer-*

Conc. Tol. xII. cap. 6.

ſervandam : de quibus uberrime eſt diſputatum in ſuperioribus . Ceterum ſi interrogarer , quidnam Thomaſſino in mentem venerit , uno eodemque peculiari ex privilegio unius provinciæ generalem totius Hiſpaniæ diſciplinam educere ; nullus equidem dubitarem , quin virum doctiſſimum inexplorata antiquitate Hiſpana id affirmaſſe reponerem . Perluſtrentur , oro, quæcumque & ex Conciliis ante Toletanum IX. & ex aliis illud ſequutis ipſe ego attuli in ſuperioribus de re Monaſtica ; certe autoritatem omnem , omneque jus in Epiſcopos rejici compertum erit . Dum pœnæ in Everſores , aut parum æquos adminiſtratores Monaſteriorum ſtatuuntur : decreta in ſolos Epiſcopos dirigi palam erit . Privilegium ipſum factum fundatoribus , de quibus agimus , tenebitur , non magis ut gratum iiſdem fieret , quam ut pœna infligeretur Epiſcopis , emanaſſe . Verba Canonis valdequam aperta ſunt : *Si ſuperſtitibus eiſdem fundatoribus , rectores ibidem præſumſerit Epiſcopus ordinare , & ordinationem ſuam irritam noverit eſſe , & ad verecundiam ſuam alios in eorum loco , quos iidem ipſi fundatores condignos elegerint , ordinari* . Unde conſtat liquido , quod autoritas , poteſtas que omnis apud Epiſcopum permanebat, tametſi ad *inſolentiam* , *incuriamve* Epiſcopalem corrigendam , facultas eadem ſuſpendebatur ad tempus , ut fundatorum querimoniis ſatisfieret . Eſtque , ut verum fatear , dignum admiratione, quod viro doctiſſimo in mentem venerit temporariam hanc , privatamque aliquorum facultatem ita interpretari , ut cum vera atque admodum poſteriori inſtitutione juriſpatronatus laici aut conjungat, aut ſaltem conferat. Nil, ita me Deus amet, commune iſti cum illa, teſteſque appello Juris Pontificii peritiſſimos quoſque Scriptores . Non juſpatr. ſed temperamentum adverſus Epiſcopos audaces excogitatum , neſcio quid ſimile habens cum vero Patronatu , ad rem quod attinet , juris autem nihil afferens niſi prorſus diſſimile , appellandum revera eſt privilegium illud Carthaginenſium Epiſcoporum . Quod cæteroqui ne in Carthaginenſi quidem provincia Epiſcopale jus labefactaſſe , ſatis ſuperque probat nullum omnino veſtigium hujuſmodi laicæ inſtitutionis ; argumentum ſane locupletiſſimum emendatæ Epiſcoporum incuriæ , quæ una Canonis ſcopus fuit . Non enim Epiſcopi illi decreverant de quibuſcumque fundationibus , ſed de iis tantummodo , queis imminebat ruina : ſatiſque aperte per ſe ipſi loquuntur , ajentes : *Pia compaſſione decernimus , ut quamdiu*

DISSERT. VI. CAP. II.

Conc. Tolet. IX. cap. 2.

DISSERT. VI. CAP. II. *diu earumdem fundatores Eccleſiarum in hac vita ſuperſtites extiterint*, &c.

XIII. Ante 8. ſeculũ res inaudita fundation. & dotation. tituli.

Hinc profecto excurrendum mihi eſſet in baſilicarum ejuſmodi a laicis fundatarum naturam, quippe quarum exiguitas, nullaque cum Monachorum Cœnobiis ſimilitudo falcem ad radicem ponerent. Quia tamen cum brevi admodum fundatorum aliquot vita id privilegium, qualequumque eſſet, finem habuit: ſupervacaneum fore arbitror, rem ad amuſſim indagare, quæ neque conſtans fuit, neque diuturna. Præſtat igitur quæ de Epiſcoporum poteſtate ſunt reliqua, non negligere; tametſi, ne lectorem diutius teneam, paucis omnia complectar quæcumque hac ſuper re dici poſſent. Epiſcopo Monaſteria omnia ſui conventus, ſive ut nunc dicimus ſuæ Diœceſis, omnino ſuberant, præter Monaſteriorum dotem ab ipſo Epiſcopo, ſive ex propriis, ſive ex aliorum bonis conſtitutam; namque Monaſterii bona ita eidem adnexa erant, ut ne ab Epiſcopo quidem pro aliis Eccleſiæ uſibus poſſent attingi. Id abunde conſtat ex Concilii Ilerdenſis decreto, ſequentibus in Conciliis Hiſpaniarum præſertim Toletano IV. confirmato: *Ea quæ jure Monaſterii de facultatibus offeruntur, in nullo diœceſana lege ab Epiſcopis contingantur*. Tanta illius ævi ſollicitudo erat, ne Monachi Divino addicti ſervitio detrimenti quicquam in rebus ad ſuſtentandam vitam attinentibus, acciperent. Laicis vero non modo jus nullum in Monaſteria fuit per idem tempus: ſed baſilicæ ipſæ ab iiſdem fundatæ ex illorum jure protinus decidebant, quum ab Epiſcopo conſecrabantur; ita ut ne id quidem ſolatii fundatoribus relinqueretur, ut privilegio Monaſteriorum fruerentur. *Si autem ex laicis quiſquam*, proſequitur idem canon, *a ſe factam baſilicam conſecrari deſiderat, nequaquam eam ſub Monaſterii ſpecie, ubi congregatio non colligitur, vel regula ab Epiſcopo non conſtituitur, a diœceſana lege audeat ſegregare*. Itaque ſi baſilicæ a laicis fundatæ confluentium ex circumpoſitis Cellulis Monachorum frequentia, qui regulam ab Epiſcopo acceptam colerent, in Monaſteria converſæ eſſent: Monaſteriorum utique privilegio eſſent fruitæ, hoc eſt res ſuas ſibi perpetuo habuiſſent, ne Epiſcoporum quidem poteſtati ullatenus obnoxias, ut Canon viceſimus quartus Chalcedonenſis a S. Iſidoro in Concilio Hiſpalenſi II. ad verbum translatus pro univerſa Eccleſia conſtituerat. Quamobrem duplex illud præcipuumque juriſpatronatus genus fundatio, & dotatio, ad Monaſteria Hiſpana quod attinet, ante Saracenicam inva-

Conc. Ilerd. c. 3.

vaſionem nova prorſus atque inaudita res eſt, nec niſi ab Eccleſiæ rerum prorſus inſciis cogitata. DISSERT. VI. CAP. II.

XIV. S. Gregor. exemit Monaſteria ab Epiſcopor. poteſtate.

Quæ quum ita ſint, jure mihi videor Thomaſſini conjecturam abjeciſſe, qua ſcilicet amovendis ab Eccleſia injuriis patronatum laicum eſſe in Eccleſiam introductum ſuſpicatur. Neque id quidem ſequioribus ſeculis aut debuiſſe, aut potuiſſe fieri per me negatur. Hoc tantum contendo, quod ſeptem prioribus Eccleſiæ ſeculis nequaquam eſt factum. Eſtque ad rem noſtram valde utile Conſtitutum S. Gregorii Magni, quod ſeptimo ineunte fecit in Concilio Romano viginti Epiſcoporum, omniumque S. Eccleſiæ Romanæ Cardinalium Presbyterorum, & Diaconorum, ut a Monaſteriis averteret hujuſmodi injurias: *Quia in plurimis*, inquit, *Monaſteriis multa a Præſulibus præjudicia, & gravamina Monachos pertuliſſe cognoſcimus, oportet, ut noſtræ fraternitatis proviſio de futura quiete, & eorum ſalubri diſponat ordinatione .... Interdicimus igitur in nomine Domini Jeſu Chriſti, & autoritate beati Petri Principis Apoſtolorum probibemus, cujus vice huic Eccleſiæ Romanæ præſidemus, ut nullus Epiſcoporum, aut Secularium ultra præſumat de redditibus, vel rebus, vel curtis Monaſteriorum, vel de cellulis, vel de villulis, quæ ad ea pertinent, quocumque modo, vel qualibet occaſione minuere, vel dolos, vel immiſſiones, aut violentias aliquas facere; ſed ſiqua cauſa forte inter terram venientem ad partem ſuarum Eccleſiarum, & Monaſteriorum evenerit, & pacifice non potuerit ordinari, apud electos Abbates, & alios patres timentes Deum ſine voluntaria dilatione mediis Sacroſanctis Evangeliis finiatur ..... Deſcriptioneſque rerum aut cultarum, ſeu computorum aut rationum Monaſterii ab Epiſcopo fieri omnino negamus: ſed ſi res exigit, aliquando Abbas loci illius cum aliis Abbatibus rerum inventarum deſcriptiones faciat, & eorum conſilio, ſive judicio finiantur. Solus autem Abbas viſitator loci illius ſuorum Officialium recipiat computum, aut rationem. Abſente quoque Abbate Epiſcopus in deſcribendis, pervidendiſque rebus Monaſterii acquiſitis vel datis, nulla occaſione ſe permiſceat ..... quatenus Monachi ſemper maneant in Abbatum ſuorum poteſtate.* S. Greg. M. Conſtitutum a. 601

XV. In Hiſpaniis ignota ea exemtione ſubjectio non deſiit.

Ex hoc S. Gregorii Conſtituto non minus conſtat, Monachos eſſe exemtos ab Epiſcopali poteſtate, quam Epiſcopalem eamdem poteſtatem antea tam late extendi; ut res ipſas mobiles, immobileſve quas dicunt, procuraret. Ac proinde non in

Hiſpa-

Hiſpania ſolum, ſed ubique omnimodam Monaſteriorum ſubjectionem vel hinc diſgnoſcimus. Præterea compertum nobis eſt, atque exploratum, quod injuriis, quæ Monaſteriis aut factæ erant, aut poterant fieri, non eſt objectum patrocinium laicum; ſed translatio poteſtatis ab Epiſcopis in Abbates. Idque pro iis Monaſteriis intelligitur, quæ Gregorii Conſtitutum agnoverunt. Ad Hiſpanias ſiquidem minime id perveniſſe & demonſtratum eſt diſciplina earum ſuperius explorata, & demonſtrari apertius poteſt allatis Canonibus, qui poſt Gregorium in Hiſpaniis vigebant, ut docet Codex Veterum Canonum. Hos inter principem habet locum viceſimus primus Concilii Arelatenſis I. *Abbates pro humilitate religionis in Epiſcoporum poteſtate conſiſtant, &c.* Quam plane ſubjectionem & frequentibus Hiſpaniæ Conciliorum decretis, & ſubſcriptionibus eorumdem, quum ſuorum Epiſcoporum vices in Conciliis gerebant, abunde comprobatam, non eſt cur iterum ad demonſtrandam aggrediar. Satis quippe eſt certum ſcire, quod ante Saracenorum invaſionem tum omnimoda Monaſteriorum ſubjectio Epiſcopis perſeveravit immota; tum ſi mota eadem eſſet, ut in Gregorii Conſtituto habetur, nil inde laicis emolumenti acceſſiſſet, ab Epiſcopis ad Abbates poteſtate omni translata. Id ſiquidem ingenium erat Eccleſiæ rerum per ea tempora, in Hiſpaniis potiſſimum, ut iiſdem laici nullatenus admiſcerentur, quia veteres tantum Canones (nullam laicis poteſtatem in ejuſmodi rebus facientes) ſervabantur. Eapropter hanc mihi dent veniam, qui Thomaſſino, Juriſque Pontificii ſcriptoribus adhærentes jura miſcent cum factis: operam prorſus perdunt, dum titulos tum Eccleſiaſtici, tum Laici Patronatus repetunt a Gothorum tempore. Remque melius, quam ipſe expoſuerim, aſſequentur: ſi documenta certa, quæ ipſe aut recitavi, aut indicavi; ſtudio indagandæ veritatis, ſervandæque æquitatis diligentiſſime ſcrutabuntur.

Cod. Vet. Can. l. 2. t. 1.

XVI. *Patronatus laicus in Hiſpaniis cœpit poſt Mauror. expulſionem.*

Fundationis profecto, & dotationis tituli, qui juſpatronatus etiam laicis peperere, non ſunt in Hiſpaniis antiquiores Saracenorum, ſeu Maurorum expulſione. Nam prævia uſurpatione tum Eccleſiaſticorum, tum laicorum jus illud ſenſim eſt introductum, quod a Romanis Pontificibus diu improbatum, deinde toleratum, ac denique privilegiis Apoſtolicis confirmatum ſuis utitur regulis certis, firmiſque adjuvatur rationibus, ut paſſim Doctores oſtendunt. Idque de Beneficiis omnibus dictum per

me

me eſſe ignorat nemo, quemadmodum omnes ſciunt, mea nihil referre quæ longo ſunt proxima intervallo diſciplinæ veteri, attingere; quum præſertim de Monaſteriis dumtaxat diſputem, iiſque Hiſpanis, quæ a nonnullis non qualia fuerunt, ſed qualia conjiciunt fuiſſe, ſpectato poſteriori ævo, nobis objiciuntur. Omiſſa igitur generali beneficiorum diſciplina juxta jus novum; de Monaſteriorum poſteriori fundatione affirmo, quod alia prorſus fuit a priſtina. Hanc vero ſpectari tota Hiſpania non poſſe antequam totam Mauri desererent, tam certum eſt, quam quod maxime. Ab exeunte ſeculo Eccleſiæ undecimo in Caſtellæ, & Legionis Regno indagandas hujuſmodi fundationes, ac ſubinde in provinciis cæteris, quæ ad Catholicos redierunt, conſtat: utique tamen conſtat, chartas fundationum, dotationumque, & Apoſtolica privilegia in Secretariis aſſervari aut cujuslibet Monaſterii, aut eorum præcipui, a quo alia pendent. Cataloniæ tantum Principatui hoc peculiare fuit, ut ante annum milleſimum beneficio Regum Francorum ex barbarica oppreſſione emergeret. Nam Pipini primum virtute Narbonenſis provincia, ſeu Gallia Gothica jugum excuſſit: deinde Carolus Magnus Marcam Hiſpanicam Saracenis eripuit: ac poſtremo Ludovicus Pius toto ex Principatu iiſdem eliminatis, Gothorum morem imitatus totum in Comitatus diviſit, ut videre eſt apud eruditiſſimum Petrum de Marca in Limite, ſeu Marca Hiſpana; ita ut per nonum ſeculum, Eccleſiæ, & Monaſteria plura ibidem fundari cœperint, quæ duobus ſequentibus majora ſemper habuerunt incrementa. An vero in Cataloniæ Principatu ſtatim cœperit juspatronatus breviter inquirendum.

DISSERT. VI. CAP. II.

Marc. Hiſpan. lib. 3. cap. 8.

XVII. Non tamen jus patron. in Eccleſiar. & Monaſterior. bona.

Magnum quidem diſcrimen Monaſteriis ſeptimi ſeculi, de quibus hucuſque egimus, cum novis hiſce Cataloniæ Monaſteriis interceſſiſſe inficiari non auſim. Quandoquidem emerſiſſe hæc liquet juxta S. Benedicti Regulam; quam capite ſequenti oſtendam minime in Hiſpaniis obtinuiſſe ante Saracenicam invaſionem. Eſtque id valde conſpicuum, tum quia Francorum opibus excitata, Francorum utique Monaſteriorum ingenium ſequi oportuit, quibus S. Maurus Benedictinam Regulam tradiderat; tum quia ex Documentis allatis in Appendice ad laudatum opus Petri de Marca compertum eſt, Benedictinam regulam amplexa eſſe. Locupletiſſimum rei teſtimonium ſunt Urbani II. literæ ad Abbatem Monaſterii Rivipullenſis, quod floruiſſe liquet principio ſeculi decimi ex Epiſtola Leonis ſeptimi apud

DISSERT. VI. CAP. II. Marcam: *Obeunte*, ait Urbanus, *nunc ejuſdem loci Abbate, vel tuorum quolibet Succeſſorum, nullus ibi qualibet ſubreptionis aſtutia, vel violentia præponatur, niſi quem Fratres communi aſſenſu, vel Fratrum pars conſilii ſanioris, ſecundum Dei timorem, & B. Benedicti regulam elegerint.* Quæ ſane verba videre eſt adhibita ab eodem Pontifice in Privilegiis Monaſteriorum, S. Stephani Balneolenſis; S. Cucufatis in regione Vallenſi; & S. Saturnini in pago Urgellenſi, numm. 315. 317. & 321. quæ etiam a ſucceſſoribus uſurpantur. Et quoniam in exemplum adduximus Rivipullenſe Monaſterium: hujus hiſtoriam apud laudatum ſcriptorem legi velim, ut palam fiat, quemadmodum Monaſteria ex tenui admodum origine magna ſenſim acciperent incrementa; nam a Comite Guiffredo fundatum valde miſerum atque anguſtum, donationibus ſubinde, ac privilegiis accedentibus nulli ſecundum evaſit. Alia etiam ratio eſt, cur eam hiſtoriam velim perluſtrari: ratum quippe ac firmum eſſe cupio, quod, tametſi Fundatoris alicujus non deeſt exemplum, qui Abbatem eligere conſuevit, ut docet Marca, Wifredum Comitem Fundatorem Monaſterii Campi Rotundi in Diœceſi Gerundenſi, Abbatem ibidem eligere conſueviſſe; tamen rariſſima hujuſmodi occurrunt exempla, & ſi forte occurrunt, jus illud patronatus, quod præſentandi appellant, non exceditur. Res enim ipſæ identidem donatæ Eccleſiis, aut Monaſteriis, ſacroſanctæ erant, taleſque & a fundatoribus dotatoribuſque, & a Romanis Pontificibus (qui poſtea uſurpationibus coacti, ne animas uſurpatorum perderent, largiendo, concedendove lenitatis aliquid adhibuerunt) declarabantur. Rem puto exemplis firmandam eſſe indidem petitis, unde attulimus ſuperiora.

Ibid. append. n.314.

Ibid. n. 404.

Ibid. n.100.

XVIII. Idem exemplis comprobatur. *Ibid. n.1.*

In Actis dedicationis Eccleſiæ Urgellenſis tempore Caroli Magni inſtauratæ, Epiſcopus Siſebutus qui eam dedicavit, ac dotavit, ita decernit: *Si quis autem ullus Comes, aut ullus Princeps, ſive ullus Marchio vel Judex, aut ulla magna parvaque perſona qui contra hanc dotem ſurrexerit, aut in aliquibus frangere tentaverit, aut tollere, ſive uſurpare, vel alienare, ſeu invaſionem facere voluerit, aut fecerit, ſciat, ſe niſi reſipuerit, aut ad ſatisfactionem, vel emendationem venerit, autoritate Dei, & S. Petri Apoſtoli, vel aliorum Apoſtolorum, ſive 318. SS. Patrum ſit excommunicatus, & a liminibus S. Dei Eccleſiæ. atque a regno Dei alienatus, & in infernum demerſus.* Dabantur hæc anno 819. Quibus adjungi poſſet Privilegium Agapeti

peti II. Wiſado Epiſcopo Urgellenſi, quo privilegia omnia & res DISSERT. VI.
ejuſdem Eccleſiæ confirmantur anno 951. niſi brevitati conſulen- CAP. II.
dum eſſet. At loco ejus duo hîc privilegia referam Sergii IV. al- *Ibid. n.* 88.
terum pro Monaſterio Cuxanenſi, pro Rivipullenſi alterum uno
eodemque anno 1011. edita. *Omnes*, inquit, *proprietates, ſive* *Ibid. nn.* 164.
poſſeſſiones &c. & quæcumque glorioſiſſimus Archangelus Michael 165.
ex collationibus fidelium in Cœnobio Coxiano retinere videtur,
noſtro confirmamus privilegio. Item: *Omnes proprietates ſive poſ-*
ſeſſiones &c. & quæcumque beata & glorioſa Virgo Maria ex
collationibus fidelium in Cœnobio Rivipollentis retinere videtur,
noſtro Apoſtolico confirmamus privilegio. Nec prætereundum mi-
hi videtur, quod non modo Fundatorum, ac Pontificum Roma-
norum autoritate Bona Eccleſiis, ac Monaſteriis devinciebantur,
ſed ſingularum donationum, quæ procedente tempore iiſdem
accedebant audiuntque ſuperdotationes, præcipua conditio erat,
ut ſingulariter, ac perpetuo in Eccleſiaſtica poteſtate eſſent. Sit-
que inſtar omnium Donatio per Suniefredum Comitem facta Ur-
gellenſi Eccleſiæ quam nuper memoravimus. *Ego Suniefredus* *Ibid. n.* 2.
humillimus, & puſillus omnium ſervientium Deo ob Domini amo-
rem, & eleemoſynam jamdicti piiſſimi Auguſti, & clementiſſimi,
piiſſime & clementiſſime gubernans imperium ab illo accepta po-
teſtate, qualem in hoc habere videor, propter illum, & refrige-
rium animæ meæ do, & concedo ad domum vocitatam Domnæ
meæ ſemper Virginis Mariæ Sedis Orgellitanæ, quæ antiquitus
a fidelibus conſtructa, & ab infidelibus deſtructa, atque a præ-
ſentibus noſtris temporibus Domni, & piiſſimi Caroli Imperato-
ris reſtaurata eſſe a multis ſcientibus non eſt ambiguum, modia-
tam unam ex terra arabile, quæ ex mortuorum terra ſub noſtro
beneficio, ad viventium miniſtros Eccleſiarum, & Deo militan-
tes, atque degentes ſub ipſius regimine ſedis ad illius obſequium
& honorem volumus eſſe manſuram.

Quod ſi & fundatores, & Dotatores, ſuperdotatoreſque, ac XIX.
poſtremo Pontifices Romani ſuis privilegiis omnia complecten- Patrocinium
tes, bona ſua Eccleſiis, ac Monaſteriis in perpetuum vindicabant, Regium ab ip-
quid ergo inquies tot extant Regia Præcepta ſeu Diplomata pro ſis Fundatori-
eorumdem firmitate? Rem plane docet eadem Appendix Petri de bus petebatur.
Marca: ait enim, quod Epiſcopi & Monachi, ut ab oneribus non *Ibid. nn.* 3. 4.
paucis immunes eſſent, utque ſua ſibi tutius haberent, Regium & *ſeqq.*
patrocinium implorare conſueverunt; cæterum fundatores non
erant, niſi Epiſcopi & Monachi, queis Reges concedebant valles

Digitized by Google

DISSERT. VI. CAP. II.

& ſaltus, ubi illi ædificantes, Dotatores, ſuperdotatoreſque habebant Reges, Comites &c. In Regiis autem præceptis libera iis facultas relinquitur omnia diſponendi, dummodo pro ipſis Regibus, atque eorum prole funderent ad Deum preces, quod unum ſibi jure reſervabant. Atque hæc de Monaſteriis Hiſpaniarum: niſi forte in Cataloniam Gallici aliquid moris irrepſit. In Galliis ſiquidem multi fundatores, dotatoreſque Cœnobiorum veriti, ut Thomaſſinus recte admonet, ne forte a filiis hæredibuſve illorum bona diſtraherentur, tuitioni, ac patronatui Regum ea commiſere, tametſi evaſuri ex uno periculo in aliud deciderunt, nam alia via in diſtractionem bonorum itum fuit, dum Reges ipſi Nobilibus Ducibuſque exercituum Cœnobia conceſſere, quod tandem nefas deteſtatus Carolus Calvus anno 868. conceptis his verbis utitur in ſuo Capitulari: *Ut miſſi noſtri diligenter inveſtigent per ſingulas parochias, ſimul cum Epiſcopo de Monaſteriis, quæ Deum timentes in ſuis proprietatibus ædificaverunt, & ne ab hæredibus eorum dividerentur, parentibus & prædeceſſoribus noſtris ſub immunitatis defenſione tradiderunt; & poſtea in alodem ſunt data. Ut deſcribant quæ ſint, & a quo, vel quibus in proprietatem data ſint, & nobis renunciare procurent; ut cum Epiſcopis & cæteris fidelibus noſtris conſideremus, quid, & qualiter inde ſecundum Dei voluntatem, & noſtram ſalutem agere debeamus*. Quorum ſimile quicquam in Catalonia eveniſſe antequam Capitulare iſtud prodiret, annis quinque & viginti, ſententia lata pro Epiſcopo Gerundenſi fidem facit. Ea legitur in ſæpe laudata Appendice ad Marcam: *Dum nos ſupradicti Vaſſi, Vicedomini, vel Judices hanc cauſam pariter exquiſivimus, & diligenter inveſtigavimus, invenimus rei veritatem, memorati ſumus ubi nos Dominus per Divina præcepta admonuit dicens: diligite juſtitiam qui judicatis terram, & iterum: recte judicate filii hominum. Et lex Gothorum in hac cauſa commemorat dicens: Ab utraque parte ſit probatio requirenda tam a petente, quam ab eo, qui petitur Judex cauſam debeat recipi. Hoc examen perquiſitum atque fideliter inveſtigatum, decrevimus judicium, & ordinavimus ipſo Comite, vel ſuum Mandatarium Scluvanem, ut ipſo teloneo & paſcuario pleniter reddidiſſent, atque revertiſſent ipſo Epiſcopo vel ſuum Mandatarium, ſicut & fecerunt*.

De diſcipl. P. 2. l. c. 31. n. 14. — *Capitular. c. 2.* — *Ibid. num. 16. & 21.*

XX. *Sed abſque S. Sedis privilegio*

Nec vero hujuſmodi conjecturis indigemus, ut Monaſteriis Cataloniæ, quoad Francorum Regibus paruit Principatus, Gal-

Gallicanorum Cœnobiorum naturam vindicemus; & noſtra quippe ætate noſtris oculis cernimus, quod Abbatiæ regionis ejus ab Hiſpanis cæteris valde diſcrepant. Præſtat, ut mihi quidem videtur, aliquod indicium petere inſtaurationis Eccleſiarum, poſtquam Hiſpaniæ Regum virtute Saraceni cœperunt ex ſuis regnis expelli. Suppetit autem præſtantiſſimum ex Urbani II. diplomate, ſeu Bulla ad Proceres provinciæ Tarraconenſis: *Vobis ergo*, inquit, *in pœnitentiam, peccatorumque remiſſionem mandamus, ut potentia, & divitiis veſtris in reſtitutionem ejuſdem Eccleſiæ devotiſſime, & intentiſſime deſudetis. Eis autem, qui vel in Hieruſalem, vel in partes alias pœnitentiæ ſpiritu, vel devotionis ituri ſunt, ſuademus totam illam viæ & ſumtus operam reſtitutioni Eccleſiæ Tarraconenſis impendere.... quibus eamdem ex Dei miſericordia indulgentiam pollicemur, quam promererentur, ſi indictæ viæ prolixitatem explerent.* Hinc enimvero abunde ſatis noſcimus, cujuſmodi Eccleſiarum, & Cœnobiorum inſtauratio eſſet, niſi de eadem ſecus conſtet valde perſpicuo aliquo documento, quod proferatur. Horum autem nullum, ut dicam quod ſentio, repeti ex tota illa antiquitate poſſe mihi perſuadent tot chartæ, & donationes, & Regia præcepta, & Pontificum diplomata, quæ omnia eo ſpectant, ut Eccleſiis & Monaſteriis res ſuas vindicent, atque in perpetuum iiſdem adjudicent. Quamobrem eo adduci rem iſtam omnem animadverto, ut ad Romanorum Pontificum privilegia alia aliis conceſſa deſcendi oporteat, per quæ iidem largiti ſunt jus ab Eccleſiæ rerum conditione olim abhorrens juxta veterem diſciplinam, firmum nihilominus ac ratum, Chriſti Vicario ſic ſtatuente, qui univerſalis Eccleſiæ moderator, patrimonii utique Eccleſiarum omnium Œconomus haud dubie eſt, nec minor illi rerum ſollicitudo, quam perſonarum incumbit. Cæterum ex tot illis titulis patronatus, qui a jure petuntur, aut rarus admodum, aut nullus eſt, quem mihi facta ſuppeditent. Non igitur inficias eo, quod Hiſpaniæ Reges ex Maurorum manibus eripientes provincias, & civitates ſpeciale jus quoddam Patronatus ſibi ſint promeriti: illud contendo, quod & Reges ipſi, & Comites, & alii Eccleſiarum inſtauratores nihil ſibi juris arrogarunt, quod vetera documenta teſtantur.

DISSERT. VI. CAP. II.

Juspatr. non acquiritur.

Ibid. n. 303.

XXI. Falſa aliquorũ doctrina de juspatr. refellitur.

Quæ quum ita ſint, quam recte Salgadus, aliique Juriſconſulti Hiſpanorum, Coronæ Regiæ agnatum inſitumque eſſe juspatronatus affirment, quaſi Reges ipſi condiderint, fundaverintque, ac do-

DISSERT. VI. CAP. II. dotaverint Eccleſias ex manibus Maurorum ereptas, lectori judicandum relinquo. Id tantum cum Thomaſſino affirmo, quod Canoniſtæ,& Juriſconſulti poſterioris ævi uni ſuorum temporum diſciplinæ oculos, animoſque advertentes, ſuperiora ſecula ad illam accommodarunt, quodque nefas fuit apud hiſtoricos, aut in ſynodalibus literis, ſimilibuſque in documentis invenire, proprio arbitratu commenti ſunt. Quibus idem objicit Joannis Marianæ hiſtoriam, ac poſtremo concludit, non tantopere laboraturos fuiſſe Catholicos Reges, ut a Sede Apoſtolica impetrarent Privilegia, & concordata regiarum ad Prælaturas nominationum, ſi jus illud Coronæ inſertum concretumque fuiſſet primæva ab origine. Quid ſi magnus hic diſciplinæ veteris explorator noſtra ætate mandatum literis audiviſſet non modo quicquid ejuſmodi Canoniſtis in mentem venit, ſed novis, atque inauditis ante hunc diem argumentis agitatum opus, quo jus iſtud repetitur certum a ſeculo Eccleſiæ ſeptimo, quum maxime apud Hiſpanos viguit veterum Canonum diſciplina? Eo nunc tandem deventum eſt, ut ejuſmodi commenta, reclamante omni antiquitate, elegantiſſimis typis excuſa omnium manibus verſentur! Quam ſane in opinionem ea perduxerint rudes Eccleſiæ rerum, ignoro; id tantum ſcio, quod detergendæ antiquitati Hiſpanæ tot commentis ego inſudans in laudatum opus ægre incidi, meaque omnia fore irrita intellexi apud multos. Nec tamen ab incepto recedendum mihi eſſe duxi; quid enim timeat veræ Hiſpaniarum gloriæ aſſertor, dum S.Sedis autoritatem tuetur, Catholicorum Regum pietatem ac religionem patefacit, Hiſpanorum Præſulum doctrinam, & ſanctimoniam profert,uno verbo diſciplinam reſtituit? Quidquid igitur de poſteriorum temporum patronatu ab Apoſtolica Sede conceſſo diximus, comprobare pergam, oſtendens quæ ante Saracenos fuerint Monaſteriorum inſtituta: ut Benedictinam regulam, quæ anſam dedit Canoniſtis, ut noſtra cum illis tempora miſcerent, ab Hiſpaniis omnino ablegem.

De benef. P.2. l.2.c.35. n.9.

XXII. Epilogus dictorum hoc capite.

Interea id ratum, firmumque eſſe debet, quod quæcumque per ſeptimum ſeculum Cœnobia in Hiſpaniis fuerunt, nullo prorſus titulo ad alios, præter Epiſcopos pertinuerunt: quod Concilii Toletani IX. canon tertius uno, alterive laico quoad ſuperſtes eſſet concedens nominationem rectoris Baſilicæ a ſe fundatæ neque ullum juſpatronatus induxit, neque Epiſcopalem autoritatem ullatenus labefactavit: quod canon ſextus Concilii To-

Toletani XII. Monarchiæ totius utilitati proſpiciens Epiſcoporum omnium autoritatem in unum Toletanum refudit, tametſi Regius tunc temporis aſſenſus, rerumq ac temporum ratione habita, exquireretur, quæ res ne minimum quidem detrimentum attulit Eccleſiaſticæ diſciplinæ, ut abunde eſt demonſtratum ſuo loco: ac demum quod quicquid juris patronatus tum Eccleſiaſtici, tum laici haberi poteſt in Hiſpaniis, nonniſi poſt annum milleſimum invenietur. Quumque hoc ſola Romani Pontificis autoritate inhæreat: aut Conciliorum generalium decretis, aut privilegiis, Bulliſque Romanorum Pontificum probari illud oportet; quemadmodum ab omnibus Catholicæ Eccleſiæ populis fieri compertum eſt, atque exploratum. Hæc ſi pro certis habeantur, ut ſunt plane certiſſima, tum recta habebitur conditio Monaſteriorum ante excidium Monarchiæ Gothorum; tum ea quæ emerſerunt, ſeu potius excitata iterum ſunt, poſtquam recuperari eadem cœpit, nullatenus comparanda cum antiquis illis palam erit, quippe quæ nullo diſcrimine a Regibus, Comitibus, Eccleſiæque viris fundata inveniuntur, dum illa e contrario a ſolis Epiſcopis fundari conſueverunt. Huc accedit, quod iis priſtinis ſoli Epiſcopi præſcribebant Regulam; dum poſteriora ad Regulam S. Benedicti ſunt accommodata, ut de Rivipullenſi & aliis diximus. Ac proinde non Epiſcopi Abbatem aliaque officia, ut olim, conſtituebant; ſed Congregatio Monachorum ut præcipit Regula: quam ne quis violare præſumeret, privilegia plerumque Apoſtolica a Monachis obtinebantur. Unum hîc ſubjicio quod ſit inſtar omnium, conceſſum ſcilicet Gondefredo Abbati Cuxanenſi ab Agapeto II. *Et tu*, inquit, *quum ab hac luce fueris ſubtractus, a nulla perſona ibi eligatur Abbas, niſi de ipſa Congregatione eligatur Abbas ſecundum Deum a prædicta Congregatione*. Ex dictis multa fient planiora, ubi vetus Cœnobiorum Inſtitutio perſpecta erit.

DISSERT. VI. CAP. II.

App. ad Marc. n. 87.

CAPUT III.

De inſtitutis, ſeu Regulis Monaſteriorum Hiſpaniæ ante Saracenos.

I. Contentio Scriptorû pro Regula S. Bened.

MAximo laborarunt opere quicumque hanc ornandam provinciam ſuſceperunt, ut ſeu adſcriberent, ſeu vindicarent Monaſteriis Hiſpaniarum Regulam S. Benedicti. Mirum

eſt,

DISSERT. VI. CAP. III.

eſt, quantos impegerunt in ſcopulos, quantas evadere nequicquam moliti ſunt ſirtes. Facile omnium princeps Mabillonius, qui aliorum conatus & expendere, & expilare potuit, ſecundo, ut ita dicam, flumine abreptus, in communem aliorum opinionem venit, ſuo haud dubie Ordini tantam partem minime ademturus. Quid vero? Hæſit in primo limine. Neque initium, neque Autorem hujus Regulæ aſſequutus, nutare cœpit; ac pro aliorum fiducia ſuam ipſe meticuloſam conjecturam interpoſuit. *Quo autore demum*, inquit, *quove tempore Benedictina Regula vigere in Hiſpania cœpit? Fateor, hic mihi hærere aquam; exiſtimo tamen id factum eſſe opera S. Martini Abbatis, & Epiſcopi Dumienſis*. Hinc patet doctiſſimi viri certamen ingens, quà ſtudii, quà ingenii: diu enim anceps ita demum affirmat, ut vix non neget; ita negat, ut affirmare videatur. Magnum mihi quidem cum eo diſcrimen intercedit: quamvis enim ingenio ei concedam; ſtudii tamen cauſas omnes procul habeo. Quod ſuſcepi ſcribendi genus expeditum, ac plane hiſtoricum, nullum pene aditum præbet ad innumeras revolvendas concertationes, quibus invicem digladiantur vindices hujus Regulæ: hunc nihilominus fructum analytica me ipſe methodo aſſequuturum confido, ut omnium ſubjiciam oculis vera Monaſteriorum Hiſpaniæ Inſtituta, antequam Saraceni in illam irrumperent, rejecta Benedictina Regula ad poſteriores ætates, de quibus in calce ſuperioris Capitis ſum loquutus; ita ut toto Regum Gothorum ævo tum ante, tum poſtquam Arianam hæreſim deteſtati ſunt, aut ignota prorſus fuerit Hiſpaniarum Monachis celebris iſta Regula, quam, ut ait Gregorius, *diſcretione præcipuam*, *ſermone luculentam* ſcripſerat vir ſanctiſſimus; aut ſi forte cognita, nequaquam potuerit obſervari ab iiſdem, utpote quos oportuit morem gerere Epiſcopis, quorum quiſque Orientalium, Afrorum, Gallicanorumque ſpectatis Regulis, collecta undique ſalutaria præcepta Monaſteriis ſibi ſubditis proponere conſueverunt.

Sec. Bened. præfat. n. 74.

Dialog. lib. 2. cap. 36.

II. Monachus nomen generale Religioſorum, qui Clerici non erant.

Ac primo ſtatuendum mihi videtur apud animum noſtrum, quod Monachus (apud Hiſpanos præcipue) nomen fuit generale Religioſorum illorum, qui non erant Clerici; ſed ſeveriori navantes operam diſciplinæ (aut iidem in Cœnobio degerent, aut ex cellulis convenientes in Baſilicam aliquam, cui ob id Monaſterii nomen erat, ibidem congregarentur) Veterum Monachorum Antonii, &c. præcepta audiebant, piaque eorum medi-

Digitized by Google

ditatione diſtinebantur. Perinde utrumque Monachorum officium explicant Patres Concilii Toletani VII. *Illic ſancti ordinis meditantes doctrinam primum poſſint diſcere quæ ſunt a Patribus inſtituta, ut poſt valeant docere quæ ſunt ſancta meditatione percepta*. Quaſi dixiſſent: Doctrinam Monaſticam perfecte exequi diſcant, ut vitia odiſſe, ac virtutem amare diſcant, atque ita proficientes eo perveniant, ut junioribus perfectionis magiſtri eſſe valeant. Hæc generalis profeſſio erat Monachorum tota Hiſpania; neque ullum omnino documentum invenire eſt, quod per aliquanto laxiorem, ſeu minus ſeveram diſciplinam non ſecernat Clerum a Monachatu. Cæterum aquam tundit, qui inter Monachos, & Monachos putat diſcrimen aliquod reperiri. Nolim vero aliquis credat, aut ſingularem hanc meam ſententiam eſſe, aut ſolos ad Hiſpaniæ Monachos referri eam oportere. Nam doctiſſimus Lucas Holſtenius tum ante me ita ſenſit, tum latius patuiſſe hujus rei ſummam per ſeptimum Eccleſiæ ſeculum teſtatus eſt: *Valde fallor*, inquit, *ſi jamtum primis ſex, ſeptemque Eccleſiæ ſeculis iſte uſus invaluerat. Certe veſtigia mihi quidem non apparent, qui quocumque intueor, uniformem ubique Monachatus rationem, & facilem ac promiſcuum invicem tranſitum, mutuumque commeatum profeſſionum, & Cœnobiorum cerno*. Cui ſententiæ ſi ullibi adamuſſim reſpondet res Monaſtica, in Hiſpaniis certe id contigiſſe ante Saracenicam invaſionem is tantum ignorat, quem Concilia Hiſpana, paucaſque quæ extant, Monachorum Hiſpaniæ Regulas explorare piget. Profecto aliud nihil ex tota illa antiquitate licitum erit exprimere, quam prædictum inter Monachatum, & Clerum diſcrimen; itaut Monachi omnes unius tantum generis Religioſi fuerint, profeſſione aut devotione a Clericis diſtincti.

DISSERT. VI. CAP. III.

Conc. Tol. VII. cap. 5.

Præf. Cod. Regg. cap. 3.

III. Qui a pueritia devovebantur, Monachi & ipſi erant.

Profeſſione inquam, aut devotione: nam qui non ultro Monaſticam amplectebantur diſciplinam, ſed parentum pietate devovebantur, antequam pubertatem attingerent, ii Monachorum in cœtu apud Hiſpanos habebantur, etiamſi minime ingrederentur in Monaſterium. Quam rem minus aſſequuti eſſe videntur nonnulli, qui ſtudio inſigendi Benedictinam Regulam in Monaſteriis Hiſpaniæ, conſuetudinem devovendi filios nacti, ex eadem Regula id profectum contendunt. Addo igitur profeſſioni Monachatus & parentum devotionem cum Concilio Toletano IV. *Monachum aut paterna devotio, aut propria profeſſio facit: quidquid horum fuerit, alligatum tenebit. Proinde his ad mundum rever-*

Conc. Tolet. IV. cap. 49.

Digitized by Google

DISSERT. VI. CAP. III. *ti intercludimus aditum, & omnem ad ſeculum interdicimus regreſſum*. Quo inſuper ex Canone intelligimus, quod non ſolum a ſæculo perpetuum ſecernebantur qui ſponte fiebant Monachi, ſed & qui a parentibus devovebantur; dummodo aut tonſura, aut religioſa veſtis in conſpectu hominum hos aliquando pueros a laicis diſtinxiſſet, quod declaratur in alio poſteriori Concilio: *De his, qui in parva ætate coram parentibus religionis habitum tenuerunt, quoniam uſque huc diſſolutæ operationis effectus interdum mutare fecit honeſtum conſtitutionis edictum .... Ideoque ſi in qualibet minori ætate vel religionis tonſuram, vel religioni debitam veſtem in utroque ſexu filiis aut unus, aut ambo parentes dederint, certe aut nolentibus vel neſcientibus ſeſe ſuſceptam, & non mox viſam in filiis abdicaverint: ſed vel coram ſe, vel coram Eccleſia, palamque in conventu eoſdem filios talia habere permiſerint, ad ſecularem reverti habitum ipſis filiis quandoque penitus non licebit: ſed convicti, quod tonſuram, aut religioſum veſtem aliquando habuerint, mox ad religionis cultum, habitumque revocentur*. Quid vero his rei eſt cum Regula S. Benedicti? Audiantur ejus verba: *Si quis forte de Nobilibus offert filium ſuum Deo in Monaſterio, ſi ipſe puer minori ætate eſt, parentes ejus faciant petitionem, quam ſupra diximus: & cum oblatione ipſam petitionem, & manum pueri involvant in palla altaris, & ſic eum offerant*. Attente nunc relegantur Hiſpanorum Præſulum decreta, nil aliud horum ſimile ab iis involvi compertum erit, quam teneram hujuſmodi Monaculorum ætatem. Itaque Hiſpanis pueri erant Monachi non qui offerebantur Deo in Monaſterio, ſed qui ab uno ex genitoribus devoti tonſuram, aut religioſam veſtem extra Monaſterium geſtaverant: quod omnino aliud eſt a S. Benedicti decreto, ut per ſe patet; nec vacat inutilia congerere.

Conc. Tolet. x. cap. 6.

Reg. S. Bened. cap. 59.

IV. Generale Monachorum inſtitutum in Hiſp. vita contemplativa.

Hujuſmodi haud dubie fuerant duo S. Helladii diſcipuli Juſtus, & Eugenius, quorum uterque Toletanam Cathedram eſt adeptus. De iis ſiquidem verba faciens Ildefonſus: *Juſtus*, inquit, *Helladii diſcipulus ..... ab infantia Monachus ab Helladio ad virtutem Monaſticæ inſtitutionis educatus pariter, & inſtructus, in Agalienſi Monaſterio tertius poſt illum rector eſt factus*. Et: *Eugenius .... ab infantia Monachus ab Helladio cum Juſto pariter ſacris in Monaſterio inſtitutionibus eruditus*. Pronum quippe eſt creditu, quod pueri a parentibus, ſive ab ho-

De Vir. Illuſtr. l. 1. c. 8. & 13.

horum altero ſic devoti, ut fieri conſuevit in Hiſpaniis, ac propterea ſecreti a ſeculo, ubi parem attingebant ætatem, in Monaſteria ingrederentur, Monaſticam vitam profeſſuri. Cæterum tantula hæc ſimilitudo cum Regula S.Benedicti non hanc, ſeu privatam aliam in Hiſpaniis Regulam obtinuiſſe evincit, quippe ubi & certo ſcimus, & ex infra dicendis ſciemus certius, ſpeciales fuiſſe Regulas ex priorum Monachorum Inſtitutis expreſſas, Arianorum quidem ævo a primis iis Fundatoribus ſupra memoratis, poſt arianiſmi autem deteſtationem ab Epiſcopis. Quare hanc mihi dent veniam qui in verba jurant Card. Aguirrii, ejuſque ſequacium Mabillonii, & Perezii, ſtudio devinctos ſcriptores aut oſcitanter ſequuntur, aut venerantur inſcite. Unum idque generale erat totius Monachatus inſtitutum, vita contemplativa: quod abunde deſcribitur, adventante jam rerum exitio, ſeu prope finem ſeptimi ſeculi a Felice Toletano Antiſtite in vita Juliani ſui prædeceſſoris: *Divino*, inquit, *aſſlante ſpiritu theoretica, ideſt contemplativæ quietis delectati ſunt* (Julianus nempe & Gundilanes Levita) *perfrui bono, & Monaſticæ Inſtitutionis conſtringi repagulo*. Atenim poterat quis eſſe Monachus, etiamſi Cœnobium minime incoleret citra devotos a pueritia, ut legitur de nuper laudato Helladio, antequam fieret Cœnobita: *Sub ſæculari habitu Monachi votum, pariter explebat, & opus*. Et clarius de Eugenio altero Toletano item Epiſcopo: *Vita Monachi delectatus eſt. Qui ſagaci fuga urbem Cæſarauguſtanam petens, illic Martyrum ſepulchris inhæſit, ibique ſtudia ſapientiæ, & propoſitum Monachi decenter incoluit*. Vereor equidem, ne eruditis noſtri ævi moleſtam rem faciam, dum conclamatam cauſam ago, perſuadens ſcilicet lectoribus harum rerum, ut credant, nullam fuiſſe Monaſteriis Hiſpaniarum privatam Regulam ante octavum ſeculum, niſi quam primi Fundatores, Inſtitutoreſve Epiſcopi ex multis Regulis concinnarunt. Bona autem cum eorum venia, nimis alte radices infixit opinio hæc Benedictinæ Regulæ in Hiſpaniis vigentis Gothorum tempore. Quam ſane ad opinionem niſi nunc demum ſecuris admoveatur analytice rem demonſtrando, integra ſemper erit res. Pergam igitur, ut cæpi, veritatem in apertum proferre.

Margin: DISSERT. VI. CAP. III. — Coll. Conc. Hiſp. to. 2. pag. 405. — De VV. Ill. in Append. — Ibid. c. 7. & 14.

V. *Ita enim edocti erant privatis ipſorum Inſtitutis.*

In Hiſpaniis enimvero aliud Monachi non poterant noſſe, quam quæ aut primi Inſtitutores docuerant, aut Epiſcopi poſtmodum ex antiquis Patrum Regulis collecta iis tradiderunt. Quid

DISSERT. VI. CAP. III.

Quid primus omnium Inſtitutor Donatus attulerit ex Africa, facile colligimus ex Auguſtino, quem generali amplectentem definitione Monachatum tam Orientis, quam Occidentis nequicquam Ordinis recens excogitati autorem faciunt. *Quis neſcit*, inquit, *ſummæ continentiæ hominum Chriſtianorum multitudinem per totum orbem in dies magis magiſque diffundi, & in Oriente maxime, atque Ægypto quod vos nullo modo poteſt latere?* Clarius etiam id conſtat ex Salviano, qui Holſtenii opinionem de uniformi ubique Monachatus ratione, facilique & promiſcuo tranſitu, & commeatu Monaſteriorum, ac profeſſionum confirmat, facitque integram deſcriptionem habitus totius corporis atque animi; *Non ſine cauſa*, inquiens, *iſtud fuit, quod intra Africæ civitates, & maxime intra Carthaginis muros palliatum, & pallidum, & reciſis comarum fluentium jubis ad cutem tonſum videre, tam infelix ille populus, quam infidelis ſine convitio, atque execratione vix poterat. Et ſiquando aliquis Dei ſervus aut de Ægyptiorum Cœnobiis, aut de ſacris Hieroſolymorum locis, aut de ſanctis eremi, venerandiſque ſecretis ad urbem illam officio divini operis acceſſit, ſimul ut in populo apparuit, contumelias ſacrilegia, & maledictiones excepit*. Quid autem derivem ex hiſce fontibus Hiſpanienſis Monachatus generale Inſtitutum? Egregius ſcilicet ille Doctor, quo ſæpiſſime uſus ſum duce ac magiſtro indagaturus ſuorum temporum diſciplinam, mirum in modum Hiſpaniæ Cœnobiorum ingenium declarat. Is igitur de Monachis ſermonem inſtituens: *Quorum quidem*, ait, *converſationem, ut Patrum edocet inſtitutio, breviter intimabo. Hi contemtis primum, atque deſertis mundi hujus illecebris, in communi vitam ſanctiſſimam congregati ſimul agunt, viventes in orationibus, in lectionibus, in diſputationibus, in vigiliis, in jejuniis, nulla ſuperbia tumidi, nulla invidia lividi, ſed modeſti, verecundi, placati, concordiſſimam vitam ſectantur, cogitationes ſuas alterutrum revelantes, invicem diſcutiunt, & corrigunt, &c.* Longum eſſet argumenta omnia perſequi, quæ generalem Monachatus rationem in Hiſpaniis fuiſſe oſtendant, indeque ablegent non ſolum Benedictinam Regulam, ſed aliam quamvis peculiarem, quæ & libertatem Epiſcopis adimeret tradendi Regulam aptam Monaſteriis ſuæ ipſorum juris ditionis, & Patrum quodammodo exhauſiſſe fontes crederetur.

S. Aug. de Mor. Eccl. cap. 31.

Salvian. de Provid. lib. 8.

S. Iſid. de Offic. Eccl. l. 2. c. 15.

VI. Benedictinæ re-

Neque id ego affirmo, quaſi vero injuriam mediter adverſus

ſus præſtantiſſimam S. Benedicti Regulam, quam poſtea Monachi pene omnes Occidentis amplexi, modum impoſuerunt tot privatis Regularum ſcriptoribus. Quidquid enim dico, eo collimat, ut verum detegam Hiſpaniæ Monaſteriorum inſtitutum, unde optimo meritoque jure Benedictinum rejicio, quia vix nomen iis potuit innoteſcere. Rem ſane arduam creditu hanc aliquis exiſtimet: at minime eum pigeat Dialogos Gregorii mecum legere, ubi de Regula S. Benedicti rem habet: *Vir Dei*, ait, *inter tot miracula quibus in mundo claruit, doctrinæ quoque verbo non mediocriter fulſit. Nam ſcripſit Monachorum regulam diſcretione præcipuam, ſermone luculentam. Cujus ſiquis velit ſubtilius mores vitamque cognoſcere, poteſt in eadem inſtitutione Regulæ omnes Magiſterii illius actus invenire, quia S. vir nullo modo potuit aliter docere, quam vixit*. Hariolari & mihi lubet cum multis. Concedam itaque, quod S. Gregorius Regulam S. Benedicti jam perluſtraverit, quum Conſtantinopolim profectus eſt Apocriſarius, deque ea ſit colloquutus cum Leandro Hiſpalenſi Epiſcopo, quo ibidem familiariſſime utebatur. Quid autem de ea dixerit? Nil certe ab iis diverſum, quæ memoriæ hominum commendabat in prædictis libris. Leander igitur Gregorio Magiſtro didicerit, S. quoque Benedictum ſcripſiſſe Monachorum Regulam: non quam ſcilicet ubique omnes amplecterentur, eaque propter aut ipſe a ſcribenda ſua pro monialibus deſiſteret, aut Epiſcopis Hiſpaniarum autor eſſet, nihil amplius referre, ut antiquis Patrum Regulis tam ſedulam navarent operam propria quiſque Monaſteria informaturi; ſed quæ doctrinam, quæ vitam, quæ mores S. Benedicti luculenter exprimeret. Erantne hæc ſatis, ut Ordo in Hiſpaniis coaleſceret, qui ne in Italia quidem erat cognitus? Eſſet is pervulgatus & in Sicilia, & ubiquumque S. Benedicti Diſcipuli nova informarunt Monaſteria. In Hiſpanias certe nec diſcipulum ejus ullum profectum eſſe affirmare hucuſque homo ullus eſt auſus; nec Regulam illam eſſe miſſam conjectura ſaltem eſt aſſequutus. Quin etiam Leandro nonnullos Gregorii libros eſſe directos compertum eſt; at Dialogos nequaquam eo tranſmiſſos fuiſſe teſtantur quæ extant utrinque documenta: ita ut Benedictinæ Regulæ auditum fuiſſe nomen a Leandro augurer potius, quam exiſtimem, augurerque ne omnia negare dicar, quæ ornamenta Eccleſiæ vocant, quum mera ſint figmenta, quæ veras in dubium res vertunt.

gulæ an nomen audierint, incertum.

Dialogor. lib. 2. cap. 36.

Se-

Dissert. VI. Cap. III. § VII.

In Galliis eadē cognita fuit a S. Benedicti tēpore, paſſimque accepta octavo Sec.

Secus actum eſſe in Galliis nemo neſcit ; nam vel ſuperſtite, immo jubente S. Benedicto eo profectus S. Maurus Benedictinam Regulam, niſi propagavit, ſaltem celebravit. Annales ſiquidem teſtantur, ſanctum eumdem virum Clotario Regi valde acceptum fuiſſe. De certa ejus origine aut progreſſu, & in ſexti ſeculi exitu, & in ſeptimi majori parte cur ſcriptores ſileant, difficultates temporum, atque Eccleſiarum viciſſitudines ſunt in cauſa. At circa dimidium octavi ſeculi Regulam Sancti Benedicti acceptam eſſe in toto Francorum Regno, tam certum eſt, quam quod maxime. Ita ſiquidem ſtatutum legimus in Concilio Germanico anno 742. *Ut monachi, & ancillæ Dei Monaſteriales, juxta Regulam S. Benedicti Cœnobia vel Xenodochia ſua ordinare, gubernare, vivere ſtudeant: & vitam propriam degere ſecundum prædicti Patris ordinationem non negligant.* Quod poſteriore anno in Liptinenſi ſynodo eſt confirmatum; & idcirco: *Abbates & Monachi receperunt Regulam S. Patris Benedicti ad reſtaurandam normam Regularis vitæ.* Quamobrem uſque ad annum prædictum 743. Benedictini Ordinis ætatem differri oportet, quidquid non ignota ea Regula eſſet alicubi. Cur autem ita ego ſtatuam, non modicas cauſas adeſſe intelligo; quarum unam ex Liptinenſi eodem Concilio afferam: *Fornicatores, & adulteros Clericos, qui ſancta loca, vel Monaſteria ante tenentes coinquinaverant, præceperunt inde tollere, & ad pœnitentiam redire.* Eſtque animadvertendum, quod quamvis aliis ea Regulis præſtantior haud dubie eſſet; Epiſcopi nihilominus, quamdiu ſtetit diſciplina, nullatenus paſſi eſſent jus ſuum ſibi eripi: at quum Eccleſia omni Galliarum peſſumdata, circum ſtrepentibus ubique armis deſidia, & ignoratio cœperunt in dies gliſcere, facile permiſerunt Epiſcopi, qui ne ſuas quidem ſedes obtinebant, ut Monaſteria etiam, utquumque, inſtaurarentur. Idque Bonifacii Moguntini opera factum fuit, cui Eccleſiæ Galliarum inſtauratio refertur accepta: nec melius, aut expeditius potuiſſet fieri; quam unicam omnibus Monaſteriis regulam proponendo, ut vidimus deliberatum, confirmatumque in Conciliis quibus præerat idem Bonifacius. Continuo illa quidem non coaluit, non enim continuo licuit rem Eccleſiaſticam revocare ad nitorem priſtinum, formamque veterem: attamen ſola ea in Galliis dominata eſt, quoad Benedictus Anianæ Abbas, tempore Ludovici Pii ſub initia noni ſeculi duodecim conditis Monaſteriis in Narbonenſi provincia, Benedictinam Regulam propagavit. Qua-

Conc. German. can. 16.

Quare ejuſdem inſtaurator appellatur a Francis: *Hic eſt Benedictus, per quem Dominus Chriſtus in omni Regno Francorum Regulam S. Benedicti reſtauravit.* DISSERT. VI. CAP. III.

Du Cheſne Hiſt. Franc. t. 3. pag. 388.

Poſt hæc tempora in toto Occidentis Imperio unam hanc Regulam, antiquatis fere cæteris floruiſſe Scriptor veteris diſciplinæ comprobat documentis: neque arbitror novæ materiam lucis indigere. Ad Hiſpanias me verto, quo non ante prædictam inſtaurationem Benedicti Anianæ Abbatis, perveniſſe Benedictinam Regulam & contendo, & ſi Deo placet demonſtro. Ajebam ſuperiori capite, cœpiſſe Mauros Hiſpania pelli a Francorum Regibus: ac de Caroli Magni rebus inibi geſtis Eginhartus in ejus vita affirmat, *Ab eo tantum Pyrenæi montis jugum perdomitum, & uſque ad Iberum amnem, qui apud Navarros ortus, & fertiliſſimos Hiſpaniæ agros ſecans ſub Dertoſæ Civitatis mœnia Balearico mari miſcetur.* Deinde attuli ex Marca Hiſpanica Pariſienſis Archiepiſcopi documenta plura Ordinem S. Benedicti inibi vindicantia. Nunc vero animadverto, quod iis ex documentis, quæ diligentiſſime perquiſita ab eodem Archiepiſcopo in Chartulariis & Secretariis Eccleſiarum Hiſpaniæ, & ab ejuſdem continuatore viro doctiſſimo congeſta & in lucem edita in laudati operis Appendice extant, nullum excedit tempora Ludovici Pii, quem Ordinatorem fuiſſe illius partis Hiſpaniarum eſt demonſtratum. Namque ad Monaſteria quod attinet, *Chartam Donationis* invenio *Monaſterio Exalatenſi factam a Protaſio Archipresbytero, & ſociis ejus*, anno 855. Hinc vero argumentum minime dubium mihi præſto eſt, quod Benedicto Anianenſi propagatore ejus Ordinis in Galliis Benedictinum inſtitutum antiquius haud facit in Hiſpaniis. Quam ſane opinionem Yepeſius ipſe, qui de hoc ordine tam mira prædicat, magis magiſque confirmat inventione illa ſua Codicis Regularum, cui ætas vetuſtior tribui non poteſt Benedicto eodem, qui eas collegit, Codicemque Regularum appellavit, quem hodie duobus voluminibus impreſſum ſtudio Lucæ Holſtenii omnium manus verſant. Ejus exempla duo ille profert ex Monaſteriis Arlucenſi, & Caradignenſi, quorum utrumque S. Petro eſt dicatum. In altero eorum ſunt *Regulæ Patrum Macharii, Pachomii, Baſilii, Benedicti, Fructuoſi, & Caſſiani*. In altero autem: *Poſthumi, Macharii, Pachomii, Baſilii, Caſſiani, Iſidori, & Fructuoſi.* Quos equidem Codices ut non contendo ad amuſſim referre editum ab Holſtenio, ita non affirmarem corruptos, atque interpo-

VIII. In Hiſpaniis Benedictina Regula non antiquior nono ſec.

De beneſ. P. 1. l. 3. cap. 25.

Marc. Hiſp. Append. n. 26.

Mabill. Annal. lib. 3. n. 36.

DISSERT. VI. CAP. III.

polatos aut a ſcriptore Monacho, aut ab alio quovis non fuiſſe. Unum id pro certo habeo, quod, quamvis Epiſcopi omnes præſto haberent Inſtituta Patrum plura vel pauciora, unde privatas educerent Regulas pro Monaſteriis ab ſe informandis; collectio nihilominus Regularum nulli, præter Benedictum Anianenſem, ab ſcriptore ullo veteri adſcribitur. Quare ii Codices, uti cætera omnia monimenta, ætatem nobis referunt Ludovici Pii, ut altius retro abeatur; neque ante nonum ſeculum Benedictini Ordinis principium in Hiſpaniis figi poteſt.

IX. Olim quippe deflorabantur Regulæ non accipiebantur integræ.

Quoniam vero, ſiquis maxime indulgens hominum ſtudiis, atque voluntati eorum obſecundans unquam fuit, is ego ſum; idcirco antiquos eos Codices ab Yepeſio repertos Anianenſi antiquiores eſſe concedam; & Sancti Benedicti Regulam in altero eorum memoratam, perinde in Hiſpaniis fuiſſe cognitam, ac reliquæ, quas recenſent, pro certo habeam. Quid vero hinc eliciam? Regulam ſcilicet S. Benedicti a parentibus Monaſteriorum Hiſpaniæ eſſe adhibitam, ut æque illam, ac Regulas Pachomii, aliorumque Patrum deflorarent, conficiendi gratia privatas regulas, quas ſuis quiſque Monaſteriis præſcriberet. Sic Eutropius Donati ſucceſſor verba faciens de ſui Monaſterii Servitani Regula: *Ut Domnos, & patres noſtros,* inquit, *qui Regulam hanc ſecundum antiquorum normam, Deo ſibi inſpirante inſtituerunt, in judicio Dei non adverſarios, ſed patronos in omnibus habeamus*. Et S. Iſidorus in præfatione ſuæ Regulæ ita Monachos alloquitur: *Plura ſunt præcepta, vel inſtituta majorum, quæ a Sanctis Patribus ſparſim prolata reperiuntur, quæque etiam nonnulli latius vel obſcurius poſteritati compoſita tradiderunt. Ad quorum exemplum nos hæc pauca vobis eligere auſi ſumus, uſi ſermone plebejo vel ruſtico, ut quam facillime intelligatis quo ordine profeſſionis veſtræ votum retineatis*. Quibuſcum mirum in modum concinunt quæ ait S. Braulio in prænotatione ad illius opera; ubi enim recenſet Iſidori Regulam: *Monaſticæ*, ait, *Regulæ librum unum, quem pro patriæ uſu, & invalidorum animis decentiſſime temperavit*. Superſedeo alias aliarum regularum præfationes recitare, quas niſi adire pigeat in ſæpe laudato Codice Anianenſis, compertum erit, quod earum autores inſtar Donati & Iſidori ſuis Monachis, Monialibuſve veterum Patrum inſtituta celebrant: quantumvis libet Regulæ quæque novam methodum mitiorem aliam, aliam ſeveriorem ſequantur; ita ut ſumma Regularum una eademque ſit, utpote ex fonte eodem

Bibl. PP. to. 27. p. 48. Cod. Regg. to. 3. p. 132.

Reg. Monach. præfat.

S. Braul. prænotat.

dem manans; at capita plura ſeu pauciora invicem multum diſcrepent. Cæterum Iſidoro ipſo admonente diſcimus, quod Regulæ antiquorum Patrum perfectis jam Monachis permitti conſueverunt, ut ampliores nimirum ab iiſdem fructus ex Monaſtico Inſtituto colligerentur: *Sicut illa*, inquit, *præcepta priorum perfectum Monachum reddunt, ac ſummum, ita faciunt iſta vel ultimum. Illa cuſtodiant perfecti; iſta ſequantur poſt peccatum converſi*. Itaque & Regula erat privata, quam generaliter omnes ſequerentur Monachi; & Regulæ antiquorum Patrum, quas non negligerent, quibus perfectio curæ erat.

S. Iſid. præfat. ad Regul.

X. Nec tamen PP. antiquor. Regulæ negligebantur.

Qui autem ſecus facerent? Et ingrati animi vitio laboraſſent, Magiſtrorum Inſtituta antiquantes, & Divino reſtitiſſent præcepto præcludentes tutiſſimum aditum ad perfectionem ituris. Propterea & nonnullorum infirmitati proſpexerunt leviora iiſdem jubentes, & ſeveriora non negarunt præcepta veterum Patrum iis, qui ſtudio perfectionis inflammabantur. Hinc eſt, quod præter Regulam cuique aptam Monaſterio, tenebantur Monachi, & vitas Patrum aſſidue legere, & eorum Inſtituta ſæpe ſæpius audire. *Quod ſi non ita eſt*, ajebat Eutropius in ſua laudata Epiſtola, *ſine cauſa ergo Sanctorum Patrum quotidie vitam legimus. Quorum profeſſionem tenere nos dicimus, ſecundum eorum inſtitutionem vivere detrectamus*. Dilucide autem loquitur Iſidorus de PP. Regulis: *Præcepta*, inquiens, *Patrum regularia recenſenda ſunt; ut qui necdum didicerunt, percipiant quod ſequantur: qui vero didicerunt; frequenti memoria admoniti ſollicite cuſtodiant quod noverunt*. Itaque tum Servitani Monaſterii ſpectata conſuetudine, tum Iſidoriani audita Regula intelligimus, undenam Monachi aſſequerentur perfectionem, quam privatæ quiſque Regulæ obſecundans minime adeptus eſſet. In collationibus quippe ternis per hebdomades ſingulas, & in privata quotidiana lectione codicum, qui diſtribui conſueverunt Monachis, ſummam Monaſtici inſtituti percipiebant, quod minus poterant in privata Regula, quæ inſtar legis fuit, ut noſſent quid juberentur facere, quidve declinandum iiſdem eſſet, tenerent. Quamobrem toto mihi errare videntur cœlo qui tot inter Patrum inſtituta unum excogitant, cui Monaſteria illigent reclamante vetuſtate omni. Num forte in tot Hiſpaniæ Conciliis, totque in documentis, quæ Card. Aguirrius edidit in maxima ſua collectione, legit quiſquam unquam S. Macarii, S. Pachomii, S. Baſilii, aut cujuſvis Inſtitutoris Ordinem

S. Iſid. Reg. c. 7.

 Mo-

Monachorum, ab alio Ordine ſaltem nomine ſegregatum? Vita Monaſtica una eademque fuit (idque utut ingratum uſque urgeam) per totum ſeculum ſeptimum, præcipue in Hiſpania; nec niſi quum cœpit nono ſeculo Benedictina Regula in illius parte Galliis finitima diſceſſum eſt paulatim a generali ea conſuetudine accipiendi privatas Regulas ab Epiſcopis, inſiſtendique Patrum antiquorum præceptis, aſſequendi gratia perfectionem, quæ Monachorum erat ſcopus maximus, ac potiſſimus.

XI. Reguli Monaſt. Servitani expenditur.

Id profecto aſſequemur melius, ſpectato Inſtituto omnium primo, quod Hiſpani habuerint Monachi; Regulam videlicet, quam Donatus dedit Monaſterio Servitano, quatenus erit licitum, expendendo. Magnum hunc Cœnobiticæ vitæ parentem ſua collegiſſe præcepta vix ſciremus, niſi teſtaretur Ildefonſus; nam Regula ejus nulla extat. Nihilominus ex Eutropii, qui Donato ſucceſſit, epiſtola ſupra laudata uberrime nobis ſuppetunt ſumma Regulæ ipſius capita. Hanc equidem Epiſtolam recitarem integram, ut S. Iſidoro morem gererem, quippe & ſummis eam laudibus extollit, & plura illius capita in ſua Regula amplectitur, quod oſtendam paulo infra. At brevitatis gratia aliqua tantum decerpam, ad ſupra indicatos locos Bibliothecæ PP. & Codicis Regularum lectorem remittens, ut habeat integram Epiſtolam tanti habitam a S. Iſidoro, quod teſtatur ipſe: *Scripſit*, ajens, *ad Petrum Epiſcopum Ircavicenſem de diſtrictione Monachorum ſalubri ſermone compoſitam epiſtolam, & valde Monachis neceſſariam*. In ea igitur ita eſt: *Quamvis hoc a multis, qui locum officii noſtri non intelligunt, ſæpe dicatur; tenenda eſt tamen diſcretio, & Sanctæ Regulæ inſtitutio, ut quæ Patres inſtituerunt, etiam ſucceſſores & filii integra, illibataque cuſtodiant, & obſervent ..... Quia non deſideramus quantos, ſed quales habeamus, & cum quibus caſte & ſancte vivamus ..... Pace tua loquimur, & ſalvo tuo cariſſimo nobis, & Deo digno honoris privilegio dicimus: quicumque alius hoc dicit, videtur nobis Monaſterialem Regulam nec noſſe penitus, nec intelligere ..... Hæc tibi, beatiſſime pater, propterea ſcribimus, ut ſcias, nos nihil abſque ratione gerere, ſed ſecundum conſuetudinem Monaſterii hujus quæ & ſancte, & regulariter inſtituta ſunt, facere. Certe ſi aliquis conſuetudinem regulæ noſtræ ferre non ſuſtinet, non noſtræ diſtrictioni, ſed ſuæ imputet tepidæ voluntati*. Profecto nil magis a veritate alienum mihi videtur, quam S. Benedicti regulam hinc exprimere, quod nonnulli faciu n t conjicientes, ſan-

De Vir. Illuſtr. cap. 45.

ctam

ctam regulam eſſe illam ipſam, quam S. Benedictus exaravit. Bona cum eorum venia nihil hîc, niſi generale, ad Monachatum quod attinet, declaratur: dumque Sanctam Regulam nominat, non S. Benedicti, aliuſve antiqui patris præcepta indicat, ſed ſeveram Monachorum omnium diſciplinam, quam aliquando *diſtrictionem, Monaſterialem* aliquando *regulam* vocat. Ac propterea S. Iſidorus Monachis eamdem omnibus valde utilem appellat. Privatam is quidem Servitani Monaſterii regulam laudat, ubi de illius *conſuetudine* loquitur; at quis negare auſit, ſuas cuique Monaſterio Inſtitutiones a Fundatoribus datas eſſe?

XII. Diſcrimen huic magnum cum Iſidoriana intercedit.

Quid non potius diſcrimen illud magnum animadvertunt, quod Servitano huic Monaſterio cum cæteris interceſſit? Vidimus, Conciliorumque Hiſpaniæ decretis comprobavimus, quod poſt Arianiſmi deteſtationem Epiſcoporum munus erat proprium monere Monachos, atque extra regulam facta corrigere. Eutropius autem Abbatis eſſe hoc officium præclare docet: *Propterea*, inquiens, *divinæ potentiæ ordo, & ineffabilis diſpoſitio præcipit, ut ſit in ſeculo princeps, in Eccleſia Paſtor, & Pontifex præficiatur, & in Monaſteriis Pater, ut nefario operi, & actibus ſceleſtis, & impiis obſiſtere, & contra humani generis morem perpetratum facinus diſtrictionis, & ſeveritatis gladio poſſit vindicare*. Neque aliam fuiſſe puto conſuetudinem Monaſterii Dumienſis, quà ſcilicet monaſticam vitam Monachi profitebantur, ſeu aliorum Monaſteriorum, pro quibus Martinus teſte Iſidoro, *Copioſa præcepta piæ inſtitutionis compoſuit*: quemadmodum & de Biclarenſi Cœnobio ſentiendum eſſe crediderim, *ubi*, Iſidoro eodem docente, Joannes Monachus, *congregata Monachorum ſocietate ſcripſit regulam ipſi Monaſterio profuturam*. Idque inde colligo, quod video Eutropium ut ait Mabillonius interpellatum acerrime conſuetudinem ſui Monaſterii vindicare, tribuereque Abbati, ſeu patri Monachorum ea, quæ vidimus Epiſcoporum propria eſſe poſt deteſtatum Arianiſmum. Quorſum vero hæc? Ut nempe liqueat, quod ipſa illa arma, quibus Yepeſius, aliique eum ſequuti utuntur, retorqueri in eoſdem poſſunt. Quandoquidem ſiquam ii deprehendunt ſimilitudinem cum Benedictina in Monachorum Hiſpaniæ inſtituto, eam intelligent perinde Donatum, Martinum, & Joannem in ſuas quas ſcripſerunt Regulas ex Patrum antiquorum præceptis tranſtuliſſe, ac paulo ante fecerat, ipſis inſciis, Benedictus in Caſſinenſi Monaſterio. Huc accedit, quod conſideranti mihi Eu-

De Vir. Illuſtr. c. 35. & 44.

DISSERT. VI. CAP. III. tropii Epiſtolam, eamque cum Iſidoriana Regula conferenti perſpicue contineri viſa ſunt plura capita in regula Donati (quam redivivam habemus Eutropii opera) quæ leguntur in eadem regula S. Iſidori. Inde autem colligo, quod optimo meritoque jure parentem Monaſtici inſtituti in Hiſpaniis Fundatores Epiſcopi ſint ſequuti, ubi regulam ſuis Monaſteriis tradiderunt. Quæ ut certiora ſint, ſubjiciam omnium oculis certa capita regulæ Donati cum Iſidoriana per me conlata.

XIII. Inde tamen Iſidorus multa in ſuam transtert.

Inter S. Iſidori præcepta occurrunt quæ de Abbatibus, ac de Monachorum officio agunt (*capp.* 2. 3.) quibuſcum conferri velim hæc ex Eutropii Epiſtola: *Si autem a Deo nobis creditum gregem & exhortando, & increpando ſæpius a diaboli laqueis, & perverſo voluerimus opere revocare, immites, & aſperi multorum ore dicemur..... Nos autem quod accepimus & didicimus tenemus, & omnes ſancti, qui nobiſcum ſunt fratres, in quorum corde divinus amor, & caritatis dilectio regnat, tota mentis intentione cuſtodiunt, & in hoc perſeverare, domino ſe protegente & adjuvante confidunt.* Item quæ de Codicibus, & de jejunio (*capp.* 8. & 11.) Eutropius ſiquidem ſui Magiſtri Regulam vindicans, *Præterquamquod* (de S. Paulo loquitur) *& frequenter in fame & ſiti, & jejuniis ſæpe aſſerit gloriari.... ſine cauſa ergo SS. Patrum quotidie vitam legimus &c.* Ac demum quæ ſunt, de delinquentibus; de ſæpius peccante; de culpa indulgenda vel culpati correctione; de delictis; & de excommunicatione (*capp.* 14. 15. 16. 17. 18.) De quibus ita diſſerit Servitani Monaſterii Abbas: *De abſciſſione, & ſeparatione eorum, qui pænitere nolunt, ita loquitur* (Paulus Gal. 5. 12.) *Utinam exeidantur qui vos conturbant! De quibus & Dominus in Evangelio, ut aliis verbis loquar: ſi ſæpius autem admonitus Frater, corrigi noluerit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & publicanus* &c. *De illis qui in malo perſeverare propoſito, nec ad rectæ vitæ tramitem reſipiſcendo reverti elegerint, alibi præcipit: Increpa eos dure: & iterum: Cum ejuſmodi nec cibum ſumere..... Diſſolutioni conſentiemus, ut manſueti, & mitis vocabulum acquiramus?.... In diſciplina noſtra non tantum quæritur, utrum pius animus iraſcatur, nec utrum ſit triſtis, ſed unde ſit triſtis, nec utrum timeat, ſed quid timeat. Iraſci enim delinquenti, ut corrigatur, contriſtari pro afflicto, ut liberetur: timere periclitanti, ne pereat: neſcio utrum quiſquam ſana conſideratione reprehendere audeat.*

Hae

XIV. Quare Donatus jure appellatur Monachorum Hiſpaniæ parens.

Hac profecto ex comparatione Regulæ S. Iſidori cum Monaſterii Servitani Inſtituto, quatenus deprehendere illud licuit ex Eutropii epiſtola, plura eliciuntur argumenta adverſus eos, qui, velimus nolimus, Benedictinum Ordinem obtinuiſſe contendunt in Hiſpaniis ante etiam, quam Ariana hæreſis indidem eliminaretur. Ac primum quidem id mihi præſtantiſſimum eſſe videtur, quod S. Iſidorus, quem eruditi recentiores patrem Regularum paſſim appellant, multa in ſuam Regulam tranſtulerit ex Servitano Inſtituto. Quamvis enim & ipſe Iſidorus fateatur in præfatione, & certum aliunde ſit, & conſtet liquido ex nuper allatis, quod Patres monaſticæ inſtitutionis ſunt illi veteres de quibus ſuperius loquuti ſumus; tamen parentem Cœnobiticæ obſervantiæ in Hiſpaniis fuiſſe Donatum niſi Ildefonſus teſtaretur, factum ipſum S. Iſidori planum facit. Nec vero illi adſcribo Regulam omnibus abſolutam numeris, ſed, aut docuerit ille Monachos oretenus, vitamque perfectam iis propoſuerit Patrum imitatione, quorum vitam quotidie legi voluerat, aut eorumdem præcepta collegerit, quæ inſtar regulæ eſſent; certe in Monaſterio quod ipſe condidit, Monaſticum inſtitutum uſque adeo erat cognitum, firmiſque adeo fundamentis innitebatur, ut Eutropius conſuetudine tantum fretus ejuſdem Monaſterii, de Monaſtica diſciplina uberrimam, ſapientiſſimamque diſputationem confecerit. Unde inſuper compertum, atque exploratum nobis eſt, quod ante Monaſterii Servitani fundationem ignota erat Hiſpanis ſeverior illa, atque diſtrictior diſciplina, quæ tantopere commendatur in Conciliis ejus gentis. Secus enim Monachis laxiori aſſuetis diſciplinæ, diſtrictio per Donatum allata ex Africa viſa non eſſet aſpera, & haud toleranda humanis viribus, ita ut aſperitas condemnaretur apud Epiſcopum Ircavicenſem, quæ damnatio utilitatem hanc nobis attulit, ut Inſtituti omnium primi, quod Hiſpani cognoverint, ſumma capita teneremus.

XV. Comparatio Benedictinæ Regulæ cum Iſidoriana.

Quod de Donati Regula factum fuit, id de Benedictina libenter præſtarem, niſi ſumma ubique occurreret diſcrepantia. Quamobrem caput utriuſque unum ſubjiciam oculis, idque haud dubie præcipuum, nimirum de Electione Abbatis: quum enim in calce ſuperioris capitis oſtenderim Monaſteria Principatus Cataloniæ inſtaurata, ſeu fundata eſſe poſt Saracenos expulſos ſub S. Benedicti Ordine, probaverimque electionem Abbatis juxta Regulam Sancti ejuſdem Patris; operæ me facturum pretium exi-

Digitized by Google

exiſtimo, ſi contrariam conſuetudinem propoſuero, antequam barbari illi diſciplinam priſcam everterent.

Regula S. Iſidori cap. 2.

Abbas interea eligendus eſt in inſtitutione ſanctæ vitæ duratus, atque inſpectus patientiæ, & humilitatis experimentis: qui etiam per exercitium vitam laborioſam tolerans, ac tranſcendens ætatem adoleſcentiæ, juventute ſua ſenectutem tetigerit: cui etiam majores non dedignentur parere, obedientes ei tam pro ætate, quam etiam pro morum probitate. Iſte enim ſe imitandum in cunctis operum exemplis exhibebit. Neque enim aliquid imperaſſe cuique licebit, quod ipſe non fecerit. Singulos autem hortamentis mutuis excitabit, adloquens cunctos, exhortans, vel ædificans in eis, ſiquid eorum vitæ pro uniuſcujuſque gradu prodeſſe perſpexerit. Circa omnes quoque ſervans juſtitiam contra nullum livore odii inardeſcens, omnes ex corde amplectens, nullum converſum deſpiciens, paratus etiam quorumdam infirmitati compati miſericordia, Apoſtolum ſequens, qui dicit: Facti ſumus parvuli in medio veſtrum tanquam ſi nutrix foveat pullos ſuos.

Regula S. Benedicti cap. 64.

In Abbatis ordinatione illa ſemper conſideretur ratio, ut hic conſtituatur, quem ſibi omnis concors congregatio ſecundum timorem Dei, ſive etiam pars, quamvis parva congregationis, ſaniori conſilio elegerit. Vitæ autem merito, & ſapientiæ doctrina eligatur, qui ordinandus eſt, etiamſi ultimus fuerit in ordine congregationis. Quod ſi etiam omnis congregatio vitiis ſuis (quod quidem abſit) conſentientem perſonam pari conſilio elegerit, & vitia ipſa aliquatenus in notitiam Epiſcopi ad cujus Diœceſim pertinet locus ipſe, vel Abbatibus, aut Chriſtianis vicinis claruerint, prohibeant pravorum prævalere conſenſum, & domui Dei dignum conſtituant diſpenſatorem: ſcientes pro hoc ſe recepturos mercedem bonam, ſi illud caſte, & zelo Dei faciant, ſicut e diverſo peccatum incurſuros, ſi negligant, &c.

XVI. Eadem ab Hiſpaniis ablegatur ante Saracenor. tempora.

Commentariis, arbitror, non eſt opus, ut teneatur diſcrimen inter utramque Regulam intercedens: Nam Benedictus Abbatem a Congregatione omni Monachorum eligendum ſtatuit, nil de ætate pronuncians, nec minus Epiſcopi quam Chriſtia-

ſtianorum zelum implorans, ſi quando vitiis mancipatum aliquem eſſe electum agnoviſſent. Contra Iſidorus de electione nihil ſtatuit, ſacra enim lege Nationalis Concilii, cui ipſe præerat, definitum pro Monaſteriis omnibus fuerat, Epiſcoporum proprium eſſe; *Abbates, aliaque officia inſtituere*: totus eſt in deſcribendo Abbatis munere, quem ſeniorem vult eligi; ſatiſque evidenter comprobat ingenium Regularum Hiſpaniæ, dum Sacræ Scripturæ autoritate utitur, quemadmodum & in reliquis capitibus a ſcriptura, & Patribus ſua repetit præcepta. Hiſpani ſiquidem Præſules deflorabant, non exſcribebant antiquas Regulas. Cuique legere erit licitum S. Fructuoſi Regulam, eamque duplicem in laudato Codice ab Holſtenio edito, indeque colligere, utrum vires ingenii perdant, qui Benedictinum inſtitutum in Hiſpaniis fuiſſe autumant, priuſquam Monaſteria a Saracenis excinderentur. Adhibuiſſent ii ſcilicet argumentum aliquod ſaltem probabile, ferenda res videretur: at levi admodum nituntur conjectura: *ſanctam Regulam* appellari audientes ab Eutropio Monaſterii Servitani Inſtitutum, id pro Sancti Benedicti omnino Regula interpretantur, quod ita alicubi nuncupatam inveniunt. Temperandum autem puto verbis, ubi certa atque evidentia ſunt vetera documenta. Quidquid Conciliorum, aut librorum, opuſculorumque extat apud eruditos Collectores Hiſpanarum rerum, argumentum minime dubium eſt, quod Monaſticum inibi inſtitutum unius formæ erat, nec antiquiora Inſtituta in eorum aliquo præſcribebantur pura atque puta, ſed undequumque aliquid præceptorum decerptum totidem florilegia Monachis exhibebat, quot ab Epiſcopis ex officio informabantur. Yepeſii præ aliis, quem ſequitur Mabillonius, rejicio conjecturas, dum ſanctam Regulam, non innuere Benedictinam contendo. Eumdem vero autorem ſi dixero aſſequutum non eſſe in patria veterem rem Monaſticam, haud procul a vero abeam. Is ſiquidem in uno ex Codd. per me ſuperius laudatis, inter reliquas, legit Regulam S. Benedicti, eſtque ei argumentum ingens ad ſtabiliendam illam apud ſuos. Ratiocinandi genus! Erant igitur ejus ſententia Monachi ordinis Sancti Pachomii, ordinis Sancti Macarii, & uno verbo tot ordinum, quot inibi habentur Regulæ. Id vero dictu facilius eſt, quam creditu.

DISSERT. VI. CAP. III.

Conc. Tolet. IV. cap. 51.

XVII. Orientis & Ægypti præcepta

Animadvertere eum potius oportuit, quod Monaſticum Inſtitutum nullum noſci potuit ab Hiſpanis præterquam Mona-

cho-

Diſſert.VI. Cap. III. chorum Orientis & Ægypti. Enimvero ex primis fundatoribus Monaſteriorum Martinus Dumienſis, & Joannes Biclarenſis quidquid hujuſmodi docuerunt Hiſpanos Monachos, ipſi in Oriente didicerant, ubi diutiſſime verſati quod propinarunt iiſdem, hauſerant. Donatus vero, quem paſſim appellant parentem Inſtituti Monaſtici, quid aliud afferre poterat in Hiſpanias, quam Africæ Monaſteriorum diſciplinam? Quæ cujuſmodi eſſet, ab Auguſtino, & Salviano abunde ſumus edocti: ille ſiquidem Monachos omnes, nullo diſcrimine, appellat: *Summæ continentiæ hominum Chriſtianorum multitudinem*; Salvianus autem Cœnobitas Ægyptios, Eremitaſque, Dei ſervos nuncupans nullam Monachatus diſcrepantiam indigitat, quemadmodum nullam Holſtenius ſexto, ſeptimoque ſeculo ſe inveniſſe teſtabatur. Undenam igitur Italiæ inſtitutum pervenerit in Hiſpaniam? Leandrum ajunt diutius cum Gregorio commoratum Conſtantinopoli, ibi præcepta ejus ordinis didiciſſe, quæ poſtea per Hiſpanias effuderit. At monſtrandum prius erat, quod Gregorius Monachus eſſet Benedictinus, quam ego quæſtionem a Mabillonio adverſus Baronium agitatam non moveo; attamen Leandrum affirmo non ſolum Sancti Benedicti Regulam ignoraſſe, ſed privatæ alicujus Monaſterii Hiſpani dediſſe operam ſub Abbate neſcio quo, & niſi multum fallor ſub Eutropio. Opinionem hanc juvat Concilium Toletanum tertium tam a Leandro Epiſcopo, quam ab Eutropio digeſtum. Cujus autem Abbati moremgeſſerit, ipſo in Toletano Concilio hoc decretum de Monaſteriis confecit: *Si Epiſcopus unam de parochitanis Eccleſiis Monaſterium dicare voluerit, ut in ea Monachorum regulariter congregatio vivat*, &c. Cur autem profeſſum eum fuiſſe dicam aliquam Regulam, cauſa eſt, quia nullam is legitur ſcripſiſſe jam Epiſcopus, præterquam pro Monialibus ad Florentinam ſororem; nec pater Monachorum ſeu Abbas fuerat; quod teſtatur S. Iſidorus: *Leander profeſſione Monachus, & ex Monacho Hiſpalenſis Epiſcopus*. Huc accedit, quod Joannes fundator Monaſterii Biclarenſis non ſolum ſcriptores omnes ſui æquales eſt imitatus altum ſilens de S. Benedicti Regula, ſed ſuam ipſe ſcripſit, Leandro ipſo ſciente, ac fere audiente, ſcripſitque *ipſi Monaſterio* (pergam cum Iſidoro) *profuturam, ſed & cunctis Deum timentibus ſatis neceſſariam*. Quam ſane conditionem non a Sancti Benedicti Regula in ſuam potuit tranſmovere, ut liquido conſtat eam regulam perluſtranti; verum e Sacræ Scri-

Monaſtica ſola Hiſpanis nota.

Conc. Tol. III. cap. 4.

De Vir. Illuſtr. cap. 41.

Ibidem cap. 44.

Scripturæ libris, Patrumque Orientis, & Ægypti inſtitutis, juxta morem Hiſpaniæ, qui per totum ſeculum ſeptimum perſeveravit.

XVIII. Nullus omnino erat in Hiſpaniis ordo Monaſticus ſingularis.

Hæc quum ita ſint, nequicquam ſe torquent ii, qui ſuorum temporum diſciplinæ aptare nitentes antiquam, in vetuſtis iis Monaſteriis, præter Monaſticum inſtitutum, peculiarem aliquem ordinem exquirunt. Molitus id etiam fuit Nicolaus Antonius adverſus eos, qui Benedictinum fecerant S. Leandrum, at diu excuſſis aliis aliorum opinionibus, concludit: *Obſcurum, & incompertum hucuſque eſt Monachatus Leandri Inſtitutum.* (Bibl. Vet. to. I. p. 228.) Perinde affirmatum iri ab omnibus, quoſcumque non pigeat vetera omnia monumenta perſcrutari certum ſcio: re ſiquidem diligentiſſime indagata compertum mihi, & exploratum eſt quidquid ſtudii cauſas omnes procul habens hucuſque diſputavi. Quamobrem, dicam quod ſentio, doctiſſimus Card. Aguirrius ſummam in admirationem me conjecit, ubi eum vidi conjecturis, & ratiociniis ductum hanc de Leandro ſententiam proferre: *Familiaritas S. Leandri jam pluribus antea annis Monachi cum S. Gregorio, & Fratribus, ſive ſociis pariter Monachis apud Cp. verſantibus potuit eſſe cauſa aut occaſio, ut Leander inde poſtea rediens in Hiſpaniam majori affectu, ac ſollicitudine, quam antea, coleret religionem S. Benedicti, eamque propagaret in Hiſpalenſi diœceſi, ac ſubinde aliis locis, forte adductis ex Italia Monachis ſimilibus iis, quos apud Cp. novit.* (Collect. Concil. to. 2. p. 403.) Et quidem jure vehementer ſum miratus: vidi enim virum non ineruditum, qui bibliothecam Nicolai Antonii nuper laudatam habebat præ manibus, paucoſque poſt annos publicæ lucis fecit, nil penſi habuiſſe, quæ vir doctiſſimus ingenue faſſus erat, ut ratiocinandi genus obtruderet, quod per ſe ipſum ruit. Satis eſt memoria repetere, quæ ego diſſerebam ſupra de rebus Cp. peractis, Gregorio & Leandro ibi ſimul commorantibus, deque hujus in Hiſpaniam reditu, (Diſſert. 5. c. 1.) ut ex illis anguſtiis temporum haud poſſe duci argumentum liqueat Monaſtici inſtituti novi generis Conſtantinopoli percepti, atque in Hiſpanias pertracti, adhibitis etiam ſociis Monachis, quorum nulla mentio alicubi occurrat. Præterquamquod magna quidem certe fiducia eſt Gregorium magiſtrum facere Inſtituti hujus, quia ejuſdem meminerit in ſuis Dialogorum libris. Nonne in Sicilia, totaque Italia Cœnobia erant ante Benedictum? Nonne ipſe Gregorius fundavit plura, quorum Abbates, ut docent tot Gregorii Epiſtolæ, non no-

DISSERT. VI. CAP. III.

norant Benedicti Regulam? Commendat ſcilicet ſancti ejus fundatoris Regulam: at commendat, quia luculenter ſcriptam, quia exprimentem S. Patris mores; non quia novum Monaſticum inſtitutum in mundum advexerit. Ac præterea, quod majus eſt, nonne Baronius ſcriptoreſque alii invictis comprobant argumentis, Gregorium minime Benedictinum fuiſſe? Quidnam igitur rei eſt incertum maximeque dubium ſuſtentaculum conjecturæ ſubjeciſſe?

XIX. Epilogus totius diſſertationis.

Jam vero ſatis ſuperque diſputatum eſt de re Monaſtica Hiſpaniarum tum ante Saracenorum invaſionem, tum poſt eorumdem expulſionem. Reſtat nunc, ut quæ per plura capita demonſtravi, uno velut ductu hîc perſtringam, futura, ut arbitror, valde utilia iis, qui totam perluſtrarunt diſſertationem, ad rei ſummam penitus tenendam. Origo igitur Cœnobiorum, ſeu congregationis Monachorum ſub regulâ degentium altius non peti poteſt in Hiſpania, quam ab anno 560. ſeu 570. quum Martinus Dumienſe Monaſterium, Servitanum Donatus fundavere. Fundatores primi Monaſteriorum non fuerunt Epiſcopi; hos tamen conſtat poſtmodum, & fundaſſe Monaſteria omnia, & jus omne in Abbates, & Monachos uſque ad octavum ſeculum conſervaſſe. Quæ Monaſteriis donabantur, ea ne ab Epiſcopis quidem auferri unquam poterant; eratque Epiſcoporum munus tum in bona Monaſteriorum, tum in ſartatecta eorumdem curam omnem, ac diligentiam adhibere, ne Conciliorum decreto propria ſpoliarentur autoritate. Sub uno Religioſorum nomine quidquid Cleri ac Monachorum erat continebatur, diſtrictiori tantummodo diſciplina his ab illo diſcrepantibus. Laicis nullum omnino jus erat in perſonas, aut loca hujuſmodi Religioſorum; quidquid enim in Eccleſiarum, aut Monaſteriorum jus ſemel venerat, tanquam Deo dicatum, ſacrùm erat; Religioſi autem a ſolis Epiſcopis pendebant. Juſpatronatus tum laicum, tum Eccleſiaſticum inaudita res fuit ante Saracenorum invaſionem, vixque poſt eorum expulſionem patrocinium Regium implorari cœptum adverſus uſurpatores, unde ſequioribus ſeculis nata Privilegia Sedis Apoſtolicæ utrumque patronatus genus conſtituentia. Unum erat Inſtituti genus in Hiſpaniis, contemplativam nempe vitam ſequi: Regulæ erant plures, quas ſcilicet ſuæ diœceſis Monaſteriis unuſquiſque Epiſcopus dabat. Neque aliunde eædem eruebantur, quam ex Sacræ Scripturæ libris, & ex veterum Monachorum præceptis hac

illac

illac diſperſis præcipue in vitis Patrum , quas aſſidue legi conſueviſſe a Monachis certo-certius eſt . Regula S. Benedicti in Hiſpaniis prorſus ignota per ſeptimum ſeculum , neque ejus cognitio antiquior eſt nono , quum ex Galliis perducta illuc eſt emergente paulatim Hiſpania ex Maurorum jugo primum Francorum Regum ope , deinde Catholicorum Regum , quos tamdiu apud Aſtures conſidere oportuerat . Ordo Monachorum præcipuus inibi fruſtra quæritur rerum potientibus Wiſigothis, nondum quippe conſuetudo illa cœperat unum propagandi Ordinem , quod ſenſim aliqua in Italiæ parte , deinde etiam in Galliis per Monachos Benedictinos factum eſſe hiſtoria omnis teſtatur . Hæc de antiqua re Hiſpaniarum Monaſtica mihi licuit adnotare , ſagaciori fortaſſe ingenio non negabitur illuſtrius aliquid proferre , quod nihilominus noſtra non diluat , ſed magis magiſque confirmet .

Digitized by Google

DISSERTATIO VII.

De Antiqua Eccleſiæ Hiſpanæ Liturgia.

PROLUDIUM.

Ratio, cur de ſola agimus Liturgia.

PRæIo jam commiſſæ erant ſuperiores diſſertationes, quum prodiit Tom. I. operum Ven.Card. Thomaſii opera & ſtudio V.C.P. Joſephi Blanchini Veronenſis Presb. Cong. Oratorii Romani: eidemque volumini inſertus Libellus Orationarius ſæpe a me laudatus, unde Orationes plurimæ in editum Cod.Moz-arabicum derivatæ,ſatis ſuperque oſtendunt quidquid tam multis ego argumentis conatus eram demonſtrare adverſus eos,qui ritum Iſidorianum cum Moz-arabico fidenter miſcent. Libello eidem vir doctiſſimus præmiſit uberrimas, maximeque utiles adnotationes cum Indice prævio, in quo digeſſit Officia omnia tam ſedulo, tam dilucide; ut novæ non indigeat illuſtrationis Iſidorianus ritus, quod ſpectat ad illam Officii partem quam nos vocamus horas Canonicas. Quamobrem de utraque licet parte Divini Officii pro meis viribus diſputare olim ſtatueram: tamen de ſola liturgia afferre aliquid nunc demum delibero; ne moleſtiam lectori ingeram in re, quam plerique hominum negligunt, meoque inſtituto parum nocet ſi prætercam. Itaque de ſola liturgia, quæ per ſeptimum ſeculum in Hiſpania obtinuit, recteque appellatur Iſidoriana, ſeu Gothica ingredior dicere. Unum moneo, ut præjudicia quævis ab hominum mente amoveam, quod Cleri, & Monachorum Officia eadem omnino erant tunc temporis. Atque ita decretum videre eſt in Conciliis: *Abbatibus ..... Officia publica, ideſt Veſperum, Matutinum, ſive Miſſam aliter quam in principali Eccleſia celebrare non liceat.*

Conc. Tolet.11. cap. 3.

DIS-

DISSERTATIO.

De miſſa Hiſpana tum Catechumenorum, tum ſacrificii per ſeptimum Eccl. ſeculum.

QUoniam deliberavi paucis rem abſolvere, quæ ſpiſſi inſtar voluminis ſint futura: tria illa Officia Archidiaconi videlicet, Primicerii, & Theſaurarii, quæ mihi feci reliqua, ubi generalem de Cleri Officiis ſermonem habebam, primum omnium recitanda mihi eſſe intelligo. Ea ſiquidem neque ab hoc opere relegare poſſem impune; neque parum utilitatis allatura eſſe video iis, quæ breviter diſputabo. Huc accedit, quod officia omnia Cleri, de quibus hactenus ſum loquutus, a tribus iis, quæ reſtant enumeranda, olim pendebant, ut docet S. Iſidorus *Auctoritate*, inquiens *Pontificali in Archidiaconi cura, & Primicerii, & Theſaurarii ſollicitudine dividuntur*. Eaque propter ipſis S. Doctoris verbis quorumcumque officia enumerando recenſeam. *Archidiaconus imperat Subdiaconibus, & levitis, ad quem iſta miniſteria pertinent: ordinatio veſtiendi altaris a levitis, cura incenſi, & ſacrificii deferendi ad altare, cura ſubdiaconorum de ſubinferendis ad altare in ſacrificio neceſſariis: ſollicitudo, quis Levitarum Apoſtolum, & Evangelium legat, quis preces dicat, ſeu reſponſorium in dominicis diebus, aut ſolennitatum: ſollicitudo quoque Parochianorum, & ordinatio, & jurgia ad ejus pertinent curam. Pro reparandis diœceſanis baſilicis ipſe ſuggerit Sacerdoti; ipſe inquirit Parochias cum juſſione Epiſcopi, & ornamenta, vel res baſilicarum parochitanarum, geſta libertatum Eccleſiaſticarum Epiſcopo idem defert. Collectam pecuniam de communione ipſe accipit, & Epiſcopo defert, & clericis partes proprias idem diſtribuit. Ab Archidiacono nunciatur Epiſcopo exceſſus diaconorum: ipſe denunciat Sacerdoti in ſacrario jejuniorum dies atque ſolennitatum, & ab ipſo publice in Eccleſia prædicatur.*

I. Officia Archidiac. Primic. Theſaur. præmittuntur.

S. Iſid. ep. ad Laudefr.

Ad Primicerium pertinent Acolyti, & Exorciſtæ, Pſalmiſtæ, atque Lectores: ſignum quoque dandi pro officio Clericorum, pro vitæ honeſtate, & officium meditandi, & peragendi ſollicitudo, lectiones, benedictiones, pſalmum, laudes, offertorium, & reſponſoria quis Clericorum dicere habeat. Ordo quoque, & modus pſallendi in Choro pro ſolennitate, & tempore;

 pore ; ordinatio pro luminariis deportandis . Siquid etiam neceſſarium pro reparatione baſilicarum , quæ ſunt in urbe , ipſe denuntiat Sacerdoti : Epiſtolas Epiſcopi pro diebus jejuniorum parochianis per Oſtiarios iſte dirigit . Clericos , quos delinquere cognoſcit, iſte diſtringit . Quos vero emendare non vult , eorum exceſſus ad agnitionem Epiſcopi defert . Baſilicarios ipſe conſtituit , & matriculus ipſe diſponit .

Ad Theſaurarium pertinent baſilicarii , & oſtiarii, ordinatio incenſi præparandi , cura chriſmæ conficiendæ , cura baptiſterii ordinandi . Præparatio luminariorum in ſacrario , præparatio ſacrificii de his , quæ immolanda ſunt . Ad eum venient de parochiis pro Chriſma , & Cereos & oblationes altaris ipſe accipit a populo , ipſe colligit per Eccleſias cereos in feſtivitatibus . Ad eum pertinent ornamenta , & veſtimenta altaris : quicquid in uſu templi eſt , ſub ejus ordinatione exiſtit : ornamenta baſilicarum , quæ in urbe ſunt , & non habent presbyteros , ipſe cuſtodit . De candelis autem , & cereolis quotidianis quicquid ſupereſt in baſilicis , baſilicarius per ſingulos menſes huic deportat : Ex quibus Theſaurarius dat quartam baſilicario , tres reliquas partes dividit æqualiter ſibi cum Primicerio , & presbytero qui miſſam celebrat in eamdem baſilicam .

II. *Ex iiſdem officiis eruitur ritus miſſæ Gothicæ , ſive Iſidorianæ .*

En Triumviralis officii omne munus expoſitum : ita ut nec deſideretur quicquam amplius de Hiſpani antiqui Cleri conſtitutis ; nec timeatur obſcuritas , aut impoſtura in paucis iis , quæ dicenda reſtant . Præcipua vero cauſa , cur tria iſta officia propoſuerim , eſt hujuſmodi . Ipſe ego ſcilicet puram putam Liturgiam Gothicam explicaturus a vulgata Moz-arabum longe aliam, conſtitui ne minimum quidem ab iis documentis diſcedere , quæ, citra eruditorum conjecturas , ſtudioſorumque hominum argumenta, certam atque integram nobis illam ſuppeditent . Quamombrem Triumvirali hoc officio diligenter ſpectato , interim Libri Miſſales , ac Breviarii, qui apud recentiores appellantur Moz-arabici , Gothici , & Iſidoriani , acſi una eademque res eſſent, ponendi modo ſunt ; vel , ſi retineantur, haud aliter æſtimandi , ac ſuadebam ipſe , ubi hac de re ſermo incidit . Neque enim iidem nobis opus ſunt , ut Iſidorianum ritum abunde eruamus ; namque duce triplici eodem officio ad liturgiæ præſertim cognitionem facillime pervenimus , ducendo initium ab ſacrario ipſo , in quo omnia parabantur , ut legenti palam eſt . Et ſane illius cuſtos , ſeu Æditimus , aut Sacriſta, nil enim aliud

Diſſ. 1. cap. 2. num. 8.

fuit

fuit Baſilicarius, ut docent Acta S. Stephani Sabaitæ, quod recte obſervat Ducangius: *Idem ille pater Euſtratius ..... nunc autem ſanctæ Chriſti Dei noſtri Reſurrectionis Baſilicarius*. Sacriſta, inquam, qui a Primicerio conſtitutus Theſaurario moremgerebat, cujus in poteſtate erat quidquid ſpectabat templum & altare, eodem jubente incenſum, luminaria, omniaque ad ſacrificium pertinentia curabat ut præſto eſſent. Ex ſacrario accipiebant Levitæ ab Archidiacono deſignati, incipiendo a veſtimentis altaris, quæcumque neceſſaria erant ad ſacrificium, nonnulla ex iis ſubinferentibus Subdiaconis perinde ab Archidiacono deſtinatis. In ſacrario idem Archidiaconus nunciabat Epiſcopo dies jejuniorum, ac ſolennium dierum feſtivitates: quas quidem ipſe legebat in Matricula, ſeu mavis ordine divini officii, quem dirigebat Primicerius. Quam pariter rem a Ducangio diſcimus obſervatam in literis Odonis: *Ab illo autem, qui breve faciet, ſingulis ſabbatis ſcribetur dies in Matricula, qua prædictum officium debeat celebrari*. Quæ omnia noſtrorum fere temporum diſciplinam redolentia, una cum reliquis in triumvirali officio recenſitis ſatis ſuperque oſtendunt, nil nobis eſſe opus ad poſteriores ætates confugere, ut ipſummet Iſidoriani, ſeu Gothici ritus ingenium exprimamus. En igitur Miſſam Gothicam, ſeu Iſidorianam, quæ in Hiſpaniis obtinuit, antequam Saraceni illas invaderent.

DISSER. VII. *Acta SS. 10.3. Jul. p. 540.* *Ducang. Gloſſ. med. & inf. lat.*

III. Ejuſdem miſſæ generalis notitia.

Memoria, ut arbitror, non exciderint, quæ alibi diſputabam de ritu Hiſpanico, ac præſertim quæ de Eccleſiæ hujus fundatione agens recitabam. Documentum præcipue illud uſurpare me memini, in quo hæc leguntur: *ſicut ab Apoſtolis miſſam doctrinamque acceperunt* (primi fundatores) *per Hiſpaniam ordinatis Epiſcopis, ſupradictis urbibus tradiderunt. Et ſic crevit fides Catholica pauliſper donec de orthodoxis, & Catholicis viris fuit illuſtrata, ideſt Fulgentio, Petro, Leandro, Iſidoro, Ildefonſo, Fructuoſo, Juliano*. Ibidemque monebam, cur utrique Apoſtolorum Principi tribuatur Miſſa, quam cæteroqui S. Iſidorus uni tribuit Petro: *Ordo miſſæ*, inquit, *vel orationum, quibus oblata Deo ſacrificia conſecrantur, primum a S. Petro eſt inſtitutus: cujus celebrationem uno eodemque modo univerſus peragit orbis*. Et multo ante Iſidorum Innocentius Eugubinum Epiſcopum ſic edocuerat: *Quis neſciat, aut non advertat, id quod a Principe Apoſtolorum Petro Romanæ Eccleſiæ traditum eſt, ac nunc uſque cuſtoditur, ab omnibus debere ſerva-*

Diſſ. 1. cap. 3. num. 1. *De offic. Eccl. lib. 1. cap. 19.* *S. Innoc. ep. ad Dec.*

ſantibus aut depravata, aut in dubium verſa videbantur. Fidem his locupletiſſimam addit Conſultatio Profuturi Bracarenſis Epiſcopi valdequam hæſitantis circa liturgiam, cui Vigilius reſpondit: *Ordinem precum in celebritate miſſarum nullo nos tempore, nulla feſtivitate ſignificamus habere diverſum; ſed ſemper eodem tenore oblata Deo munera conſecrare. Quoties vero Paſchalis, aut Aſcenſionis Domini, vel Pentecoſtes, & Epiphaniæ, Sanctorumque Dei fuerit agenda feſtivitas, ſingula capitula diebus apta ſubjungimus, quibus commemorationem ſanctæ ſolennitatis, aut eorum facimus, quorum natalitia celebramus: cætera vero ordine conſueto proſequimur. Quapropter & ipſius canonicæ precis textum direximus ſubteradjectum, quem, Deo propitio, ex Apoſtolica traditione ſuſcepimus. Et ut caritas tua cognoſcat, quibus locis feſtivitatibus apta connectes, Paſchalis diei preces ſimiliter adjecimus.* Verum conſuetudinum varietas omnis ſublata eſt, ubi anno 633. ſtatutum fuit in Concilio Nationali Toletano IV. cui præerat Iſidorus, ut Divinum omne officium in tota Gothorum ditione uno eodemque modo celebraretur: *Nihil ultra diverſum aut diſſonum in Eccleſiaſticis Sacramentis agamus.... unus ordo orandi, atque pſallendi nobis per omnem Hiſpaniam, atque Galliam conſervetur, unus modus in Miſſarum ſolennitatibus, unus in veſpertinis matutiniſque officiis: nec diverſa ſit ultra in nobis Eccleſiaſtica conſuetudo, qui in una fide continemur, & Regno.* Eſtque hic ipſiſſimus ordo Iſidorianus, qui quoad Gothica potentia ſtetit, obtinuit, moxque enucleate obſervandus erit, quatenus liturgiam Gothicam planam facit.

DISSER. VII.

Vigil. ad Profutur. c. 5.

Conc. Tolet. IV. cap. 2.

V. Miſſa Catechumenorum ritus Iſidoriani.

Miſſam per ea tempora, quibus verſor, bipertito dividi, ac proinde aliam vocari Catechumenorum aliam vero Sacrificii exploratiſſimum cuique eſt. Prima igitur pars Iſidorianæ miſſæ ab Introitu ad Præfationem hæc complectebatur: Officium ſive Introitum ipſum; hymnum *Gloria in excelſis Deo*; Prophetiam ſeu lectionem ex Veteri Teſtamento; Hymnum trium puerorum, diebus nimirum Dominicis, ac feſtis Sanctorum Martyrum; Reſponſorium; Apoſtolum, ſeu Epiſtolam S. Pauli; Evangelium, & Laudes. Deinde ſequebatur Offertorium, quo cum ſuis orationibus expleto Catechumeni exire jubebantur, ac Sacrificium incipiebat fieri: *Miſſa*, inquit Iſidorus, *tempore Sacrificii eſt, quando Catechumeni foras mittuntur, clamante Levita: ſi quis Catechumenus remanſit exeat foras: & inde miſſa, quia Sacra-*

Orig. lib. 6. c. 19.

DISSER. VII. *mentis altaris intereſſe non poſſunt qui nondum regenerati noſcuntur*. Prædicta omnia tum ex ſupra allato triumvirali Officio; tum præſertim ex Concilio Toletano IV. aperta ſunt, cujus non pigeat Canones hos relegere: *Hymnum quoque trium puerorum, in quo univerſa Cæli, terræque creatura Deum collaudat, & quam Eccleſia Catholica per totum orbem diffuſa celebrat quidam Sacerdotum in miſſa Dominicorum dierum, & in ſolennitatibus Martyrum canere negligunt. Proinde hoc Sanctum Concilium inſtituit, ut per omnes Eccleſias Hiſpaniæ, & Galliæ in omnium Miſſarum ſolennitate idem in pulpito decantetur, communionem amiſſuri qui & antiquam hujus hymni conſuetudinem, noſtramque diffinitionem exceſſerint*. Et paulo ſupra adverſus pravam aliam conſuetudinem definitum fuerat: *In quibuſdam quoque Hiſpaniarum Eccleſiis laudes poſt Apoſtolum decantantur, priuſquam Evangelium prædicetur; dum Canones præcipiunt, poſt Apoſtolum non laudes, ſed Evangelium annunciari. Præſumtio eſt enim, ut antea ponantur ea quæ ſequi debent: nam laudes ideo Evangelium ſequuntur propter gloriam Chriſti, quæ per idem Evangelium prædicatur. Circa omnes igitur Sacerdotes hic ordo deinceps retineatur*. Sequenti Canone ita decernunt de hymno Angelico; ut æque a presbyteris dici conſueviſſe, atque ab Epiſcopis videatur, quod vetitum illis erat in Sacramentario Gregoriano, præterquam in paſchate: *Et ille hymnus*, inquiunt, *quem nato in Carne Chriſto Angeli cecinerunt, Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Reliqua quæ ibi ſequuntur Eccleſiaſtici Doctores compoſuerunt. Ergo nec idem in Eccleſiis canendus eſt?* Plura his mihi afferenda non ſuppetunt de miſſa Catechumenorum Iſidoriana, ſeu Gothica, quam expanſam proferre ſupervacaneum eſſet; fortaſſe etiam operoſiſſimum: quippe nullus præſto eſt Codex tot illorum, quos anno 1500. adhibuit Card. Ximenius, ubi typis vulgavit Miſſalem, ac Breviarium librum, unde quiſque eruditiſſimus harum rerum Scriptor Gothicum educere nequicquam conatur.

Conc. Tolet. IV. cap. 14.

Ibidem cap. 12.

Ibidem cap. 13.

VI. Eadem admodum diverſa a recenti Mozarabica.

De Liturg. t. 2. diſſ. 5. artic. 3.

Horum omnium nuperrimus, facileque celeberrimus P. Petrus le Brun nullum non movit lapidem, nullumque, ut fatetur ipſe, non vexavit amicum accepturus aliquem ex iis Codd. MSS. reque tandem infecta, ne generale ſuum opus mutilum in lucem proferret, ad Ximenii editum ſe vertit, unaque adhibitis Miſſalibus Romano-Gallicis, qui per XI. ſeculum obtinebant, utro-

Digitized by Google

rumque præſidio antiquum Officium Gothicum teneri poſſe exi- DISSER. VII.
ſtimat. Clariſſimi judicium Scriptoris, atque in ejuſmodi rebus verſatiſſimi, abſit ut ego improbem; quod nihilominus ipſe ſentio, mecumque omnes ſentiant neceſſe erit, qui antiquitatem Eccleſiæ Hiſpanæ ſerio reputent, ſilentio præteriri non debet. Quidquid eruditiſſimi ſcriptores Franci, inque iis Lebrunius Galliis vindicant, ut Moz-arabum Officium inde in Hiſpanias deriveat, levi admodum fundamento hæret, quà per illud officium, Iſidorianum intelligunt: quà vero Iſidoriani ejuſdem depravatione Moz-arabum officium recens coaluit, ex Galliis ad Hiſpanos penetraſſe negare non auſim. Itaque quidquid Moz-arabici obtinuit per undecimum ſeculum, longe ut Iſidorianum appellari poſſit, miſtura eſt Gothici, Romani, Gallici; & quod noſtra etiam ætate viget Toleti, ex miſtura eadem quum ſit confectum, appellari nullatenus poteſt Iſidorianum. At enim Ximenius ipſe non tali illud nomine nuncupavit, ut monet Card. Bona: *Confeſſionem*, inquiens, *more romano, & alias orationes ante Introitum, ſicut & Antiphonam Salve Regina in fine addidit officio Gothico Franciſcus Ximenius. Addidit etiam Officia quædam Sanctorum, & alia feſta recentioris ævi, atque ideo propter hæc, quæ adjecit, Miſſale miſtum nuncupavit.* Quamobrem reclamante ipſo Cardinali Editore Iſidorianus audit miſti hujuſmodi Officii liber, utquumque Moz-arabum ritum præſeferat, qui ab Iſidoriano ſuam ducit originem. Octavo enim ſeculo, dum omnia in Hiſpaniis peſſumdata, qui non aufugerant, Epiſcopos in Aſturum anguſtias compulerant ſe recipere: in Narbonenſi provincia, quæ Gothis paruerat ſemper, ritumque Iſidorianum apprime cuſtodiebat, Miſſales libri Gothici non deerant; qui ſequenti ſeculo (poſtquam Carolus Magnus antiquari in Galliis Ambroſianum ritum, eique ſubſtitui Gregorianum curavit, ut docet hiſtoria, & notat Durandus) minime interierunt, eorumque ſuperſtite aliquo exemplo manu velut ducimur ad purum Iſidorianum ritum.

Rer. Liturg. lib. 1. cap. 11.

Durand. lib. 5. cap. 2.

VII. Puræ Iſidorianæ exempli ex Miſſali Gothico.

Ex his unum Venerabilis olim Card. Thomaſius evulgavit, quem poſtea ex Codd. aliis MSS. Mabillonius prælo iterum commiſit. Thomaſius quidem S. Leodegarii officio motus exeunti ſeculo ſeptimo eum Codicem adſcribit, &, ut ſcitiſſime Lebrunius obſervat, non Hiſpaniæ, ſed Narbonenſi Galliæ conſtat tribuendum eſſe ex peculiaribus feſtivitatibus, quæ in eodem occurrunt. Horum autem nihil ab Iſidoriano ritu nos removet, quip-

Tom. 2. diſſ. 4. art. 2.

DISSER. VII. pe quos non latent decreta Regiæ urbis Toleti pro tota Gothorum ditione, ut quæque Metropolis toti provinciæ magiſtra, & moderatrix eſſet in Eccleſiaſticis officiis: *Metropolitanæ Sedis autoritate coacti uniuſcujuſque provinciæ cives, Rectoreſque Eccleſiarum unum eumdemque in pſallendo teneant modum, quem in Metropolitana ſede cognoverint inſtitutum; nec aliqua diverſitate cujuſcumque ordinis, vel officii a Metropolitana ſe patiantur ſede disjungi ..... Quæ unicuique ſacerdotalis eſt mater dignitatis, ſit Eccleſiaſticæ magiſtra rationis*. Quid enim repugnat ritui alias, aliaſve in una provincia feſtivitates fieri in Sanctorum indigenarum honorem? At operæ me pretium facturum eſſe confido, ſi aliquam ex miſſalis iſtius Gothici miſſam decerpens, cum Sancti ipſius Iſidori doctrina eam conferam, quod eſt lectori ſtudii cauſis vacuo æſtimandam rem tradere. Alteram is Miſſæ partem, ſeu Sacrificium ſeptem complecti orationes docet: *Commendatas*, inquiens, *Apoſtolica, Evangelicaque doctrina, cujus numeri ratio inſtituta videtur vel propter ſeptenariam S. Eccleſiæ univerſitatem, vel propter ſeptiformem gratiæ ſpiritum, cujus dono ea quæ offeruntur, ſacrificantur*. Deinde pergit eaſdem ſingillatim enumerare, ut mox patebit iiſdem ſeorſim allatis ſubjiciendo ſingulis Orationes ipſas Miſſalis Gothici. Ex quo ut certam aliquam decerperem miſſam, facileque conferendam cum ea, quam Lebrunius expendit in Moz-arabico, ſumendam mihi duxi IIII. quæ eſt *in die Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti*. Notandumque eſt, ad Miſſam Catechumenorum quod attinet, quod tam prædicta, quam XXXIIII. *die ſancto paſchæ*, duas habent Collectiones, poſt prophetiam nimirum, & poſt precem, quæ in aliis Miſſis deſiderantur; ſolennitates ſiquidem ab aliis diebus ſecerni conſueverunt.

Conc. Tolet. XI. cap. 3.

De offic. Eccl. lib. 1. cap. 15.

VIII. I. Pergit igitur Iſidorus: *Prima earumdem oratio admonitionis eſt erga populum, ut excitetur ad impetrandum Deum*. Quæ quidem oratio in Miſſali Gothico appellatur *Præfatio Miſſæ*, & ſic ſe habet: „ Sacroſanctum beatæ Nativitatis diem „ in quo naſcente Domino Virginalis uteri arcana laxata ſunt, „ incorruptorumque genitalium pondus ſeculi levamen effuſum „ eſt, ſicut exoptavimus votis, ita veneremur & gaudiis: Hic „ namque ortus die ſplendidior, luce coruſcantior eſt. In hoc „ omnipotentem Deum, qui terrenam fragilemque materiam „ cauſa noſtræ redemptionis adſumpſit, Fratres dilectiſſimi, ſupplices deprecemur: uti nos, quos ortu corporis viſitavit: ſo-

Miſſæ ſacrificiũ ex Miſſali Gothico.

„ cie-

„ cietate converſationis edocuit; præcepto prædicationis inſti- Disser. VII.
„ tuit; deguſtatione mortis redemit; participatione mortis am-
„ plexus eſt; divini ſpiritus infuſione ditavit; ſub perpetua de-
„ votione cuſtodiat: & in his beati famulatus ſtudiis permanere
„ concedat. Qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit, & regnat
„ Deus in ſæcula ſæculorum.

II. *Secunda*, inquit Iſidorus, *invocationis adeſt, ut clementer ſuſcipiat preces fidelium, oblationemque eorum*. In Miſſali Gothico eſt: *Collectio ſequitur*. „ Deus, qui dives es in miſe-
„ ricordia, qua mortuos nos peccatis convivificaſti Chriſto filio
„ tuo; ut formam ſervi acciperet qui omnia formavit: ut qui
„ erat in Deitate, generaretur in carne: ut involveretur in pan-
„ nis, qui adorabatur in ſtellis: ut jaceret in præſepio, qui re-
„ gnabat in Cœlo: invocantibus nobis aurem Majeſtatis tuæ
„ propitiatus adcommoda, donans hoc per ineffabilem tuæ mi-
„ ſericordiæ caritatem, ut qui exultamus de Nativitate Filii
„ tui, qui vel ex Virgine natus, vel ex Spiritu Sancto regene-
„ ratus eſt, pareamus præceptis ejus, quibus nos edocuit ad
„ ſalutem. Præſta per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Fi-
„ lium tuum, qui tecum.

III. *Tertia autem*, teſte Iſidoro, *effunditur pro offerentibus, ſive pro defunctis fidelibus, ut per idem ſacrificium veniam conſequantur*. Eodemque ordine occurrit in Miſſali Gothico, ita nuncupata: *Collectio poſt nomina*: „ Suſcipe quæſumus Domine Jeſu
„ Omnipotens Deus ſacrificium laudis oblatum, quod pro tua
„ hodierna incarnatione a nobis offertur: & per eum ſic pro-
„ pitiatus adeſto: ut ſuperſtitibus vitam, defunctis requiem tri-
„ buas ſempiternam. Nomina quorum ſunt recitatione com-
„ plexa, ſcribi jubeas in æternitate, pro quibus apparuiſti in
„ carne, Salvator mundi. Qui cum coæterno Patre viv. & reg.

IV. *Quarta poſt hæc*, proſequitur Iſidorus, *infertur pro oſculo pacis, ut caritate omnes reconciliati invicem, digni Sacramento Corporis & Sanguinis Chriſti conſocientur: quia non recipit diſſenſionem cujuſquam Chriſti indiviſibile corpus*. Eadem his concepta eſt verbis in Miſſali eodem: *Collectio ad pacem*:
„ Omnipotens ſempiterne Deus, qui hunc diem incarnationis
„ tuæ, & partum beatæ Mariæ Virginis conſecraſti, quique
„ diſcordiam vetuſtam per tranſgreſſionem ligni veteris cum
„ Angelis & hominibus per incarnationis myſterium lapis an-
„ gularis junxiſti: da familiæ tuæ in hac celebritate lætitiæ; ut
„ qui

 „ qui te conſortem in carnis propinquitate lætantur, ad ſummorum civium unitatem, ſuper quos corpus adſumptum evexiſti, perducantur: & ſemetipſos per externa complexa jungantur: ut jurgii non pateat interruptio, qui te autorem gaudent in ſua natura per carnis veniſſe contubernium. Quod ipſe præſtare digneris. Qui cum Patre, &c.

V. *Quinta*, ibidem Iſidorus, *infertur illatio in ſanctificatione oblationis, in qua etiam ad Dei laudem terreſtrium creatura, virtutum cæleſtium univerſitas provocatur, & Oſanna in Excelſis cantatur, quod Salvatore de genere David naſcente, ſalus mundi uſque ad excelſa pervenerit*. Audiantur hæc ſingula in Miſſali Gothico: *Immolatio Miſſæ*: „ Vere dignum & juſtum eſt „ æquum & ſalutare eſt: nos tibi gratias agere, Domine Sancte „ Pater omnipotens æterne Deus; quia hodie Dominus noſter „ Jeſus Chriſtus dignatus eſt viſitare mundum. Proceſſit de Sacrario corporis Virginalis, & deſcendit pietate de cœlis. Cecinerunt Angeli: Gloria in Excelſis; quum humanitas claruit „ Salvatoris. Omnis denique turba exultabat Angelorum; quia „ terra Regem ſuſcepit æternum. Maria beata facta eſt templum „ pretioſum portans Dominum Dominorum: genuit enim pro „ noſtris delictis vitam præclaram; ut mors pelleretur amara: „ illa enim viſcera, quæ humanam non noverant maculam, „ Deum portare meruerunt. Natus eſt in mundo qui ſemper vixit, & vivit in Cœlo, Jeſus Chriſtus filius tuus Dominus noſter. Per quem majeſtatem tuam laudant Angeli.

VI. *Sexta*, pergit dicere Iſidorus, *ſuccedit confirmatio Sacramenti: ut oblatio, quæ Domino offertur, ſanctificata per Spiritum Sanctum, corpori Chriſti & ſanguini confirmetur*. Hæc oratio non recitabatur niſi poſt canonicam precem, quæ nobis audit canon, variaque erat pro diei ſolennitate, ut facile perſpectum erit ex ea quæ occurrit in Miſſali Gothico ſic: *Poſt Sanctus*: „ Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibns „ bonæ voluntatis: quia adpropinquavit redemptio noſtra: venit antiqua expectatio gentium: adeſt promiſſa reſurrectio „ mortuorum: jamque præfulgit æterna expectatio beatorum. „ Per Chriſtum Dominum noſtrum. Qui pridie quam pro noſtra omnium ſalute, etc. Expletis reliquis conſueto more ſubmiſſa voce, proferebatur ſexta oratio, quæ appellatur: *Poſt ſecreta*: „ Credimus Domine adventum tuum: recolimus paſſionem tuam. Corpus tuum in peccatorum noſtrorum remiſſio-

„ ne

„ ne confractum ; ſanguis ſanctus tuus in pretium noſtræ redemptionis effuſus eſt . Qui cum Patre & Spiritu Sancto vivis , & regnas in ſecula .

VII. Ultimam ſacrificii orationem Iſidorus vocat Dominicam : *Harum ultima* , inquiens , *eſt oratio* , *quam Dominus noſter orare diſcipulos ſuos inſtituit dicens* : *Pater noſter qui es in Cælis* . *In qua oratione* , *ut Patres ſcripſerunt* , *ſeptem petitiones continentur* . *Sed in tribus primis æterna poſcuntur* : *in ſequentibus quatuor temporalia* , *quæ tamen propter æterna adipiſcenda petantur* , *&c.* Eidem vero orationi præmittitur in Miſſali Gothico hæc præfatiuncula : *Ante orationem Dominicam* : „ „ Non noſtro præſumentes , Pater ſancte , merito , ſed Domini noſtri Jeſu Chriſti filii tui obedientes imperio , audemus dicere : Statimque ſequitur : *Poſt orationem Dominicam* : „ Libera nos , Omnipotens Deus , ab omni malo , ab omni periculo , & cuſtodi nos in omni opere bono , perfecta veritas , & vera libertas Deus . Qui regnas in ſecula ſeculorum .

IX. Aliqua in Miſſali Gothico de ſiderantur, quæ ad Canonem ſpectant.

Perſpicua ſatis , ut ego arbitror , ſunt quæ attulimus de altera Miſſæ parte , ſeu de ſacrificio ; tantulumque diſcriminis Iſidori præceptis cum ipſis Miſſæ orationibus intercedit, ut commentaria eædem videantur Iſidorianæ Inſtitutionis . Notandum nihilominus videtur (ut Gothici ritus plena habeatur cognitio) quod ſexta oratio , quæ *Poſt ſecreta* vocatur in Miſſali Gothico, quia canonicam omnem precem ſecreto recitandam , quam nos Canonem appellamus , conſequebatur , excipi conſuevit ſymbolo Apoſtolorum , de quo ipſe Iſidorus continuo agit , poſtquam de ſacrificii orationibus eſt loquutus : *Quod* , inquiens , *tempore ſacrificii populo prædicatur* . Nec dubium eſt , quin reſpexerit decretum Concilii Toletani III. quo decernebatur : *Ut per omnes Eccleſias Hiſpaniæ* , *& Galliæ* , *ſecundum formam Orientalium Eccleſiarum Concilii Conſtantinopolitani* , *hoc eſt centum quinquaginta Epiſcoporum Symbolum fidei recitetur* , *& priuſquam Dominica dicatur oratio* , *voce clara prædicetur* , *quo fides vera manifeſta ſit* , *teſtimonium habeat* , *& ad Chriſti Corpus* , *& Sanguinem prælibandum pectora populorum fide purificata accedant* . Cæterum ex Canonica ipſa prece , quæ ſextam hanc orationem præibat , conſtat liquido , quod præter Miſſas, noſtrum in morem extendi ſolitas in Miſſali , erat in ſeparato , ut arbitror cod. (non enim auſim credere in cordis Sacerdotum tabulis , ut primitivæ Eccleſiæ fuit in more poſitum) ordo precum

Conc. Tol. III. cap. 2.

Digitized by Google

DISSER. VII. cum ſeu Canon, qui nunquam niſi ſolennioribus diebus, ullam patiebatur mutationem. Quam ſane rem ſupra ajebam a Vigilio eſſe patefactam conſulenti Profuturo per hæc verba: *Cætera vero ordine conſueto proſequimur. Quapropter & ipſius Canonicæ precis textum direximus ſubteraajectum, quem Deo propitio ex Apoſtolica traditione ſuſcepimus*. Quia vero nonnihil in eadem Canonica prece mutabatur ſolennioribus diebus, ut nos facimus in *Communicantes*, & *Hanc igitur*; eapropter hujuſmodi mutationis exemplum mittens Pontifex Profuturo: *Ut caritas tua*, inquit, *cognoſcat quibus locis aliqua feſtivitatibus apta connectes, Paſchalis diei preces ſimiliter adjecimus*. Itaque ad ſextam orationem quod attinet, non tam jejune accipienda eadem eſt, ut mutilum præcipua parte ſacrificium nobis præbeat. Idque clam nemine eſſe ſinit Iſidorus *Confirmationem Sacramenti* eam vocans, quæ videlicet recitaretur peracta Canonica prece, qua Corpus & Sanguis Chriſti conſecrabatur. Canonica autem ipſa preces ſiquando pro ſolennitatibus alia atque alia erat, mutationem omnem ſuam præſeferebat ante *Qui pridie*, quod evidens eſt in Miſſali Gothico. Quæ verba jure dolet Lebrunius ſublata eſſe in ordine recentioris Moz-arabici, quum cæteroqui oratio ſexta Iſidoriana ubique appelletur: *Poſt pridie*; inaudito quidem antea vocabulo, quod tamen luculenter teſtatur arbitrium in re tanti momenti.

X. Cætera ad Sacrificium ſpectantia poſt VII erat.

Expleto ſic ſacrificio, ante ejus conſummationem Iſidoriani erat ritus benedictionem pari modo aliam atque aliam effundere in populum, cujus exempla ſuppetunt in Miſſali Gothico pro ſolennitatibus dierum, duce appellatione ipſa: *Benedictio populi*: brevitatis enim gratia ſuperſedeo huc afferre tum benedictionem, tum Poſtcommunionem, ac collectionem brevem; eoquod ſatis ſuperque oſtenderim ſupra, quod Miſſale Gothicum puri puti ritus Gothici, ſeu Iſidoriani teſtis eſt locupletiſſimus. Benedictionem vero nequis Sacerdos moveret loco, ſicut prava conſuetudine compertum erat fieri, cautum fuit decreto nationalis Concilii, ut tam ex Hiſpania, quam ex Gallia Narbonenſi amandaretur abuſus. *Nonnulli Sacerdotes*, verba ſunt Canonis, *poſt dictam orationem Dominicam ſtatim communicant, & poſtea benedictionem in populo dant: quod deinceps interdicimus: ſed poſt orationem Dominicam, & conjunctionem panis & Calicis, benedictio in populum ſequatur, & tunc demum Corporis & Sanguinis Domini Sacramentum ſumatur, eo videlicet ordi-*

Conc. Tolet. IV. cap. 18.

ordine, ut Sacerdotes & Levitæ ante altare communicent, in Choro Clerus, extra chorum populus. Quo etiam Canone comprobatur, quod poſt orationem Dominicam particula quidem oblatæ, juxta morem univerſalis Eccleſiæ ab Apoſtolis traditum, mittebatur in Calicem; at nullum omnino veſtigium occurrit uſquam Hoſtiæ in novem partes diviſæ cum iis nominibus: *Corporatio*, *Nativitas*, *Circumciſio*, *Apparitio*, *Paſſio*, *Mors*, *Reſurrectio*, *Gloria*, *Regnum*, quæ viſuntur in Miſſali Moz-arabico; multo autem minus poſtremæ illarum novem, cui nomen *Regnum*, in Calicem emiſſæ: cujus rei teſtes adhibeo integerrimos libros S. Iſidori de Officiis Eccleſiæ, & Codicem veterum Canonum ab Iſidoro eodem collectorum, quem publicæ lucis jampridem factum videſis Tomo primo. Valdequam aperta eſt Iſidori ſententia de Miſſa Hiſpanica plane ejus ſimillima, quam Divus Petrus inſtituit: *Ordo miſſæ vel orationum quibus oblata Deo ſacrificia conſecrantur primum a S. Petro eſt inſtitutus, cujus celebrationem uno eodemque modo univerſus peragit orbis*. Quod ſi admodum diverſa eſſe videtur a Romana antiqua, ecquis hanc neſcit a Leone, Gelaſio, Gregorio ad eam fere formam perductam eſſe, quæ hodie obtinet? De Hiſpana vero ſecus eſt: nullum quippe ut ajebam ſupra, ex trium Pontificum Sacramentariis ea novit; ſed quam prius Miſſam a S. Sede accepit, hanc conſervavit, ejuſdemque S. Sedis ope illuſtravit, ut docet laudatus Codex Veterum Canonum. Quum enim Patres de ſacrificio aliquid voluerunt ſtabilire, non minus Conciliorum Canones, quam Pontificia decreta, præſertim ex Epiſtola ad Profuturum ſpectarunt. Ipſiſſimam vero inibi eam fuiſſe per ſeptimum ſeculum, quam deſcripſimus, ope nimirum Miſſalis Gothici, & Conciliorum Hiſpaniæ certiſſimum, atque exploratiſſimum eſt.

DISSER. VII.

De offic. Eccl. l.1. c.15.

Cod. Vet. Can. l.4. t.10. & 15.

XI. Ritus Iſidorianus periit poſt invaſionem Saracenor.

Hunc autem Iſidorianum ritum primum Galli, deinde Card. Ximenius nobis invidiſſe videntur, quum cæteroqui non paucos Miſſarum Codices, inſtar laudati Gothici, confectos eſſe conſtet ab Hiſpanis iis Patribus, quos laudavi diſſertationis primæ capite altero. Quandoquidem poſt Saracenicam invaſionem depravatus is ritus in Galliis, miſtuſque cum Gallico; qui ab Romano diverſus erat, omnino alius ad Ximenii ætatem venit, qui plurima acceſſione facta typis vulgavit ritum Moz-arabicum, falſo creditum Iſidorianum. Huc accedit leviſſima illa fides, quam ejuſmodi ritui conciliarunt fautores hæreſis de adoptiva J.C. filia-

Disser. VII. tione; non enim ſunt veriti admovere manus impias ſacris Catholicorum Patrum codicibus, quos proinde ſubleſtæ fidei habuerunt in Galliis: cauſaque hæc fuerit ni fallor præcipua, cur miſtura illa Moz-arabici efficeretur. Abs re non erit ex Francofurdienſium Patrum epiſtola ad propugnatores hæreſis ſcripta anno 794. pauca huc afferre: *Sequitur in eodem libello veſtro: Item prædeceſſores noſtri Eugenius, Hildefonſus, Julianus, Toletanæ ſedis Antiſtites in ſuis dogmatibus ita dixerunt in Miſſa de Cœna Domini:* Qui per Adoptivi hominis paſſionem, dum ſuo non indulſit corpori. *Item in Miſſa de Aſcenſione Domini:* Hodie Salvator noſter poſt adoptionem carnis fidem repetivit Deitatis: *& cætera, quæ ex parentum veſtrorum dictis poſuiſtis.* Iiſque perſuaſum uſque adeo erat, ita legi in Miſſalibus Gothicis, ut aperte pronuncient: *Melius eſt teſtimonio Dei Patris credere de ſuo filio, quam Hildefonſi veſtri, qui tales vobis compoſuit preces in Miſſarum ſolenniis, quales univerſalis, & ſancta Dei non habet Eccleſia, nec vos in illis exaudiri putamus. Et ſi Hildefonſus veſter in orationibus ſuis Chriſtum adoptivum nominavit, noſter vero Gregorius Pontifex Romanæ Sedis, & Clariſſimus toto orbe doctor in ſuis orationibus ſemper eum unigenitum nominare non dubitavit.* Et quamquam poſt annos aliquot Alcuinus recte objecerit Felici depravationem ejuſmodi codicum: *Niſi forte*, inquiens, *& eorum dicta, ſicut in cæteris ſolebas, depravares; ſcilicet ut quod illi bene dixerunt, tu in adjumentum erroris tui mutare, & alterum pro altero mittere auſus ſis*: erat tamen uſque adeo imbibita paſſim opinio erroris Patrum, ad invidiam codicum, ut pergat dicere idem Scriptor: *Sed ſive mutata, ſive, ut ab eis ſunt dicta, hæc eadem teſtimonia a te ſint poſita, non magnopere curandum eſt. Nos enim Romana plus autoritate, quam Hiſpana veritate adſertionis, & fidei noſtræ fulciri deſideramus, licet nec illa reprobemus: in his tamen quæ catholice dicuntur, unuſquiſque in hoc ſe refutandum ſciat, in quo ab univerſali diſſentit Eccleſia. Romana igitur Eccleſia, quæ a Catholicis, & recte credentibus ſequenda eſſe probatur, ſe per verum Filium Dei, &c.* Longum eſſet omnia hic recenſere, quæ ad cauſam iſtam pertinent, quum præſertim Lebrunius diligenter, & ea quæ diximus, & Felicis reſipiſcentiam enarrarit, quem plura cupiens, adire poterit.

Coll. Conc. to. 7. p. 1034.

Lib. 7. adv. Felic. Urgel. p. 895

XII. Ejus pars ma-

Quæ quum ita ſint, repetendus igitur ritus ille eſt ex docu-

cumentis certis tum conciliorum, tum Patrum ejus ævi, quorum nonnulla opuſcula ad nos venerunt: neque id quidem ut novum aliquid proferatur, ſed ut de iis conſtet quæ ego dixi. Nullum vero arbitror ſuppetere documentum certius, atque firmius Codice illo ſæpius a me laudato, quem publicæ jam lucis factum a V. C. Joſepho Blanchinio Presb. Congregationis Oratorii Urbis, præmiſſumque opuſculis Opera Ven. Card. Thomaſii illuſtrantibus videſis Tom. I. parte item prima. Eo ſiquidem codice, quamvis matutini ac Veſpertini officii Gothici, ſive Iſidoriani exhibeatur ingenium; tamen manu quaſi ducimur ad deprehendendam liturgiæ miſturam illam de qua loquimur. Enimvero quidquid depravatum Alcuinus putavit ab hæreſis fautoribus, Patrumque Hiſpanorum quidquid minus rectam ſugillat doctrinam, ejus nihil omnino reperitur in tam multiplici tantoque orationum volumine. Quin etiam genuinam ſanctorum eorumdem Patrum ſententiam, quæ Alcuini argumenta confirmat, frequenter offendat ſiquis perluſtrare eas orationes non dedignetur. *Dei Patris unigenitum filium*; *Ingeniti Dei Patris unigenitum filium*; *Ingeniti Patris unigenitum Verbum*; *Unigenitum Chriſtum filium Dei* paſſim, catholiceque appellari comperiet Jeſum Chriſtum: &, quod ſuppoſitionem apertius indicat, Dominica *de Lazaro* concepta hæc verba reperiuntur: *Unigenitus Dei filius, qui adſumtum hominem paſſus eſt appendi in ligno*: & feria ſecunda majoris hebdomadæ. *Deus & homo unigenite Dei Patris filius Chriſte*. Quum autem is codex fuerit ſcriptus poſt annum 656. quum habebatur Concilium Toletanum X. Eugenio præſide, cujus certiſſimum argumentum eſt unicum S. Mariæ Virginis feſtum XV. Calendas Januarias in eodem Concilio ſtabilitum; clare nimis patet eorum impoſtura, qui Eugenio, ejuſque ſucceſſori S. Hildefonſo ſententiam minus Catholicam tribuunt. Multo autem minus inferri hæc injuria poteſt Juliano, cujus controverſia celebris de tribus ſubſtantiis ſuſpicionem omnem eliminat adoptionis ab eodem excogitatæ. Ne ſim multus in re tum haud prorſus obſcura, tum in ſuperioribus non ſemel diſputata, hanc mihi videor ſententiam certam pronunciare poſſe: quod Moz-arabicum officium vulgatum veſtigia quidem multa Iſidoriani ritus continet; quippe unde primam ducit originem: ſed tot, tamque variis undique decerptis redundat, ut purus putus Gothicus ab iis ſecerni omnino nequeat. Idque pro ineruditis iis ſcriptoribus

DISSER. VII. gna extat in Maz-arabico vulgato.

Cod. orat. p. 90.

Conc. Tolet. X. can. 2.

DISSER. VII. bus dictum velim, qui, Cardinale ipſo Ximenio editore adverſante, Gothicum, Iſidorianum, & Moz-arabicum, unum eumdemque eſſe ritum & putant, & docent.

XIII. Qui admodum diverſus eſt ab Iſidoriano.

Quod ſi alicui forte arridet Iſidoriani ritus integritatem ſpectare propius, ac tutius; a laudato is codice Blanchiniano ne minimum quidem recedat. Eo ſcilicet duce circulum tum feſtorum dierum, tum feriarum totius anni recenſeat, rejiciatque non modo additiones omnes recentiores Moz-arabici, verum etiam ipſos illos dies feſtos, quos ipſe adjeci ex alio Codice, quem ad finem ſeptimi ſeculi ſpectare ajebam, quatenus poſteriora additamenta ut deprehenderentur, vires nervoſque omnes intendebam. Quandoquidem vel dum incrementum id non mediocre acceſſerit Juliani opera antiquiori Codici curis Iſidori, Eugenii, & Hildefonſi elaborato, Iſidorianumque ritum adamuſſim imitatus fuerit doctiſſimus amplificator: nihilo tamen ſecius imitationi hac in re non eſt locus; agitur ſiquidem de ſecernendo ipſiſſimo Iſidoriano ritu a Moz-arabico ſeu miſto, qui immerito audit Gothicus, ſeu Iſidorianus. Cumque Blanchinianus idem Codex Breviarii potius ritum, quam Miſſalis referat, ex eodem illo anni circulo tam anguſto detrahi oportet tot officia propria feriis accommodata, juxta Sacramentariorum ordinem; ita ut propriis exceptis feſtivitatibus unius, alteriuſve Metropolis, Miſſale Gothicum Iſidorianum vix quidquam diſcrepet a Miſſali Gothico vulgato, de quo eſt dictum ſupra. Hujuſmodi autem Miſſalem librum puta iis omnibus exutum additionibus, queis abundat Moz-arabicus cum ſcriptis S. Iſidori, eorumque temporum documentis pugnans. Nec gratis id ego aſſero; nam vel levis inſpectio eorum quæ aliter, ac definita in Conciliis erant, in Moz-arabico leguntur, affirmationi huic adjungit fidem. At enim perpetuo ſuppetit in Miſſæ ordine: *Dominus ſit ſemper vobiſcum*: nos vero certum ſcimus, tum Bracarenſe concilium ſtatuiſſe dicendum & ab Epiſcopo, & a presbytero: *Dominus ſit vobiſcum*, tum S. Iſidorum ſuæ gentis rituum non ignarum, ipſo hoc Canone uſum eſſe in ſua collectione ad rem hanc probandam. Perinde compertum habemus, eadem in collectione alium ordinem precum, aliamve Miſſarum ſolennitatem non viguiſſe apud Hiſpanos id temporis, præter eam, quam Vigilius miſerat Profuturo. Indeque eſt, quod oratio Iſidoriana ſexta, quam in Miſſali Gothico *Poſt ſecreta* appellatam novimus, in Moz-arabico, quod etiam Lebrunius obſervat, vocatur *Poſt pri-*

Conc. Bracar. I. can. 3.

Collect. V. Can. lib. 4. tit. 25.

pridie, quum cæteroqui aliud omnino occurrat, ac nullus omnino locus ſit Romani Canonis verbis: *Qui pridie quam pateretur*, *&c.* Nonne igitur redundantia illa vocis *ſemper*; ac precum conſarcinatio inelegans, barbariemque ætatis redolens, Moz-arabicum ritum ab Iſidoriano ſatis ſecernunt? Longum eſſet ſcrutari omnia, quæcumque miſturam illam pepererunt. Quam equidem non condemno, ſed Iſidoriani ritus expugnatricem fuiſſe contendo.

DISSER. VII.

XIV. Quem ritum nemo hactenus proferre eſt auſus.

Et quidem jure: nam editio iſtæc Moz-arabici uſque adeo turbavit, torſitque eruditorum ingenia, ut arduam quiſque provinciam putarit purum putumque Iſidorianum ritum proferre. Eorum alii coarguunt alios arguendi ipſi ob temere latum judicium rei minus cognitæ. Doctiſſimus Card. Bona recte Loaiſam reprehendit accipientem laudes pro hymno trium puerorum; non tamen ſenſit, quod verſiculus ille, & Alleluja non diſſimiles a Romano more, ut ait, longe quid diverſum ſunt a priſcis laudibus, de quibus loquimur. Propius attigit punctum Mabillonius, qui Walafridi Strabi, & Iſidori autoritate Alleluja, & laudes unum idemque eſſe depromit. Verum continuo ſubdit rem erudito viro indignam, dum negat ſe vidiſſe alium Canonem, præter Toletani Concilii IV. duodecimum, qui vetet cani laudes ante Evangelium; nam ante annos ſeptem, & octoginta nempe 546. in Concilio Valentino, ſeu Valletano (ut Codex illud vocat) ſtatutum ſic fuerat: *Inter cætera hoc cenſuimus obſervandum: ut ſacroſancta Evangelia ante munerum illationem, vel Miſſam Catechumenorum in ordine lectionum poſt Apoſtolum legantur, quatenus ſalutaria præcepta D. N. J. C. vel ſermonem Sacerdotis non ſolum fideles, ſed etiam Catechumeni, ac pœnitentes, qui ex diverſo ſunt, audire licitum habeant.* Huc enim reſpexit Iſidorus quum in Toletano IV. damnari curavit pravam eorum conſuetudinem, qui inter Epiſtolam, & Evangelium inſerebant laudes; ſatiſque aperta ſunt Canonis verba: *Præcipiunt Canones poſt Apoſtolum Evangelium annunciari.* Quin etiam in Codice Veterum Canonum, Toletano præit Valentinum decretum; quare Mabillonius nequicquam fidem minuit Iſidoro poſt tot ſecula. Quidni potius ſuas is maximas difficultates fatebatur, quibus ab aſſequendo Iſidoriano ritu, perinde atque alii, amotus fuerat? Eas ſiquidem ſi mihi proferre liceat, non alias certe dixerim, quam conſarcinationes in Galliis factas, quæ ritus ſinceritatem poſteris inviderunt. Maxima

Rer. Liturg. l. 1. c. 6. §. 4.

De Liturg. Gallic. l. 1. c. 4.

Concil. Vallet. cap. 1.

Cod. Vet. Can. lib. 4. tit. 15.

Disser. VII. ma hominibus Gallis occaſio præſto fuit per nonum ſeculum id præſtandi. Nam Carolus ab Adriano Pontifice inter alios Codices Sacramentarium Gregorianum acceperat; hac ſcilicet de cauſa, ut toto in ejus Regno Romanus ritus adhiberi tunc demum inciperet. Quæ res quantam Narbonenſibus facultatem præbuit adjiciendi Iſidoriano Romanum ritum, tantumdem nobis poſteris negotii faceſſivit ad ſecernendum quæ Iſidoriani, & quæ Romani ſunt ritus. Certe uſque ad hunc diem omnino nemo ipſiſſimum Iſidorianum in lucem edidit. Quem ſiqui per ocium ſibi optant ex ſupra allatis conficere; non modo abſcedere eos oportet a vulgato Moz-arabico: ſed ex Miſſali ipſo Gothico, quem oſtendi eſſe teſtem integrum Iſidoriani ritus, decerpere ii debent eas tantum Miſſas, quæ cum S. Iſidori doctrina conferri poſſunt, prætermiſſis tum quæ nimis ſapiunt Romanum ritum; tum Sacramentarii Gregoriani parte illa adnexa, quæ Miſſa Romenſis nuncupatur.

Capitular. l. 5. c. 71. tit. 1.

XV. Sacramentar. Gelaſian. gratis Iſidoriano additur ritui.

Objiciat forte aliquis Vigilii Epiſtolam ad Profuturum Bracarenſem Antiſtitem & quia Romanum ea ritum Suevos docuit, ut teſtatur ipſa, & quia ordinem illum non ſolum didicit gens Suevorum, ſed etiam exequutioni mandavit, teſte Concilio Bracarenſi I. quod anno 561. celebrabatur Lucretio Metropolita præſide: *Ut eodem ordine Miſſæ celebrentur ab omnibus, quem Profuturus quondam hujus Metropolitanæ Eccleſiæ Epiſcopus ab ipſa Apoſtolicæ Sedis autoritate accepit ſcriptum*. Qui poſtea ordo quin toto in Gothorum Regno obtinuerit dubitari non poteſt; nam Collectio Canonum ab Iſidoro facta hujus Epiſtolæ autoritatem de Miſſæ ſacrificio ſæpe adhibet. Nec niſi præcipiti judicio utens quis dixerit, Iſidorum, a quo habuit nomen ritus Gothicus, hunc ordinem neglexiſſe. Ita equidem ſum miratus ſenſiſſe doctiſſimum Mabillonium, qui ſimul mecum pugnat contendens, quod Vigilius Profuturo miſit Gelaſianum ordinem, ſeu Sacramentarium; diſſentitque ab iis, qui a Suevorum Regno ad Gothicum tranſiiſſe autumant Romanum illum ritum. Nam Gallæciæ finibus haud exceſſiſſe illum docet. Quin etiam antiquatum eumdem eſſe conjicit, poſtquam Bracarenſes Epiſcopi Conciliis Toletanis III., & IV. interfuerunt; nam Gelaſianum ritum ea occaſione poſthabitum fuiſſe illi vult, quem Concilia prædicta ſtabilierunt: ipſumque illum ab Hiſpanis Patribus ſtabilitum, ſibi auguratur ex Galliis eo eſſe advectum, quod falſo ab aliis etiam credi jam oſtendimus. Multiplici huic objectioni faciam

Conc. Bracar. 1. cap. 4.

De Liturg. Gallic. l. 1. c. 4.

ſatis eſt opus, ne corruant me ſilente, quæ ſummo conatus ſum opere ſtabilire de Iſidoriano ritu. Mabillonio igitur Gelaſianum Sacramentarium tuenti, & Vigilii literas objicientibus reſpondeo, quod Vigilius non integrum ordinem Romanæ Miſſæ ad Profuturum miſit, multo autem minus Sacramentarium Gelaſii, quod Miſſas omnes continebat. Quæ autem miſit, ex epiſtola ipſa diſcimus: *Cononicæ*, inquit, *precis textum direximus ſubteradjectum, quem Deo propitio ex Apoſtolica traditione ſuſcepimus. Et ut caritas tua cognoſcat, quibus locis aliqua feſtivitatibus apta connectes, Paſchalis diei preces ſimiliter adjecimus.* Itaque Canonicam illam precem, quæ hodie audit *Canon*, dici ſolitam ſubmiſſa voce *Poſt ſanctus*, ante orationem ſextam *Poſt ſecreta* appellatam in Miſſali Gothico, miſit Vigilius Profuturo: Preceſque alias diei Paſchalis, ſeu exemplum Miſſæ quam diximus ſacrificii pro Paſchali die; quo ſcilicet inſtar regulæ uteretur Bracarenſis Antiſtes ad conficiendas alias Miſſas pro diebus ſolennioribus. Quod ſane non eſt miſiſſe Gelaſianum ordinem, nam traditionis Apoſtolicæ Canon Romanus erat Vigilio teſte: ac multo minus Miſſalem librum ſeu Sacramentarium; curæ enim Metropolitæ relinquebatur, ut aptas locis conficeret Miſſas. Hinc eſt, quod liber Virorum Illuſtrium ſæpe laudatus tot præſefert Hiſpaniarum Patres, qui Miſſarum libros concinnarunt, hauddubie juxta exemplum miſſum a Vigilio, intacta ſemper Canonica prece, utpote ab Apoſtolis accepta.

DISSER. VII.

XVI. Diviſio Hoſtiæ in novem partes juxta ritū Moz-arabicum ab Iſidoriano abhorret.

Quæ quum ita ſint, optandum ſane eſſet, ut ex Hiſpanis Eruditis aliquis (noſtro enim ævo hujuſmodi viris abundat Catholicum Regnum) diligenter excuſſis ſuæ gentis Archivis, exſpiſcaretur Codicem aliquem veterem, qui Miſſam eam Roma illuc directam exhiberet; inde quippe non ſolum aſſequeremur ritum Gothicum; ſed Romanum ipſum, antequam acceſſiones factæ eidem fuerint, ac mutationes a Gregorio Magno. Hic ſiquidem Pontifex, teſte Joanne Diacono, *Gelaſianum Codicem de Miſſarum ſolenniis, multa ſubtrahens, pauca convertens, nonnulla adjiciens pro exponendis Evangelicis lectionibus in unius libri volumine coarctavit*. Neque id quidem ut priſca illa obſoleta revocentur in mentem: dignitatis enim, majeſtatis, ac ſplendoris maximum incrementum accepit a Magno Gregorio tremendum hoc ſacrificium, quod procedente tempore ubique locorum, & gentium latini ritus ſervari cœpit: ſed ne Moz-arabicum vulgatum, toleratumque in Parochiis aliquot Toletanis, qui

Jo. Diac. lib. 2. cap. 17.

Digitized by Google

DISSER. VII. qui nihil eſt aliud, præter miſturam Iſidoriani, Gallicani, & Gregoriani ritus, nonnulli Recentiores venditent pro Iſidoriano ſeu Gothico, quem docente Iſidoro ipſo agnovimus a Romano nullatenus diſcrepare, quatenus alteram Miſſæ partem ſpectat. Hoſtiæ præſertim fractionem (quam ante Gregorium M. fieri ubique locorum, & gentium conſueviſſe, priuſquam Dominica oratio recitaretur, opera Liturgicorum evidenter conſtat, noſque Iſidoriano ritui vindicavimus præſidio Miſſalis Gothici) planius exponi oporteret. Idem quippe ritus recte conſervatus in Miſſali Moz-arabico ſuſpicionem fortaſſe injiciat lectori aliquam; num Iſidoriani ritus ſit diviſo illa in tot particulas, quam utpote Romanæ contrariam, nulloque hærentem veſtigio priſci moris rejecimus. Quid enim inquiet? Rem tanti momenti ſibi aliquis finxerit? Mihi certe non contigit, fractionis hujuſmodi exemplum ullibi reperire: Liturgias tum Græcas, tum Latinas veteres recenteſque ſpectavi omnes, mecumque ſtatuere tandem debui, quod ſingularis hic ritus, quem neque ulla Liturgia docuit, neque ulla imitata eſt, in Miſſali tantum Moz-arabico extat, quumque nihil pugnet cum dogmate, a Pontificibus Romanis toleratur in Parochiis Toletanis, ut liquet. Cæterum Iſidoriano nullatenus ritui appingi poſſe docent quotquot Romani Ordines a viris doctiſſimis evulgati verſantur omnium manibus; necnon Amalarii ſcriptorumque omnium hujuſmodi, cum primis autem S. Iſidori autoritas. Tripertito enim dividi hoſtiam inveniemus a primis Eccleſiæ ſeculis conſueviſſe; in novem autem partes confractio undenam inoleverit, ſi Miſſalem Moz-arabicum excipiamus, ignotum, cognitumve autorem nullum tradentem quis proferat. Proferetur autem Concilii Toletani XVI. Canon VI. qui ſeptimi ſeculi extrema referens tempora, Moz-arabum diſciplinam ab Iſidoriano ritu prorſus eliminat. Agit ſiquidem de integra apponenda oblata, frangendaque, ac dividenda exemplo Jeſu Chriſti: *Particulatim*, inquit, *unicuique diſcipulorum ſumendum contradidit. Quod & nos in poſtmodum facturos edocuit .... Non aliter panis in altari Domini ſacerdotali benedictione ſanctificandus proponatur, niſi integer & nitidus, qui ex ſtudio fuerit præparatus, neque grande aliquid, ſed modica tantum oblata, ſecundum quod Eccleſiaſtica conſuetudo retentat: cujus reliquiæ aut ad conſervandum modico loculo, abſque aliqua injuria facilius conſerventur, aut ſi ad conſumendum fuerit neceſ-*

ceſſarium, non ventrem illius qui ſumſerit gravis farciminis oneve premat, nec quod in digeſtionem vadat, ſed animam alimonia ſpirituali reficiat: Idque pro ingenio rudis adhuc diſciplinæ hac in re, quominus in cæteris ab Eccleſiæ conſuetudine diſcedendum putet. DISSER. VII.

XVII. Eſtque introductio omnino ſingularis, omnibuſque ignotæ originis.

Tripertito, inquam, dividi a primis Eccleſiæ ſeculis compertum erit: nam non modo Scriptores omnes Liturgici uberrime hunc ritum explicant, ſed Liturgiæ ipſæ extra aleam rem ponunt. Harum nuperrimus explanator Lebrunius de Moz-arabica ita loquitur, ut nulli omnino ſimilem eamdem eſſe demonſtret. Et ante eum doctiſſimus Card. Bona de omnibus Liturgiis ſententiam ferens hac ſuper re: *Latini*, inquit, *dividunt in tres partes, Græci, & reliqui Orientales in quatuor, Moz-arabes in novem*. (*Rer. Liturg. l. 2. c. 15. n. 4.*) Prætereo illud dicere, quod quadripertitam diviſionem Lebrunius Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ fuiſſe propriam docet, Cophtorumque prolato ritu, orientalium aliquot diſciplinam ſecernit a Græca; (*To. 2. diſſ. 3. ar. 4. diſſ. 7. art. 2.*) quæſtiones quippe omnes declinare nunc demum juvat: id nihilominus præterire non auſim, quod ritum Moz-arabicum proinde ac Bona, cæterique harum rerum Scriptores nulli prorſus diſciplinæ ſimilem; at unicum ſingularemque inter alios omnes tum Latinos tum Græcos relinquit. Eſtque id valde admirandum, quod tum Lebrunius, tum Mabillonius, aliique ex Galliis in Hiſpanias Liturgiam inferre ſummis viribus enixi: ubi huc venerunt, hærente illis aqua, altum ſilentes præterierunt rem, qua, ita me Deus amet, nulla illuſtrationis magis indiget. Undenam ſcilicet lux illi aliqua fulgeat? num a Græcis? At illi tres, ad ſummum quatuor in partes Hoſtiam dividunt. Num a Latinis? At horum vetus, conſtanſque conſuetudo eſt tripertito eam dividere. Num denique a depravatione aliqua, vel abuſu, qui Eccleſiæ Galliarum peſſumdatæ referatur acceptus? At nullam ibi aliam, præter tripertitam diviſionem obtinuiſſe teſtatur Amalarius, qui non longe ab ipſis temporibus floruit: *Fractio*, inquit, *oblatarum illam fractionem ſignificat, quam Dominus duobus diſcipulis fecit in Emaus, qua de re ſolent aliqui Epiſcoporum, quando invicem communicant, tres portiones facere de una oblata*. (*Amalar. Eclog. num. 25.*) Quid vero hiſce immoror? Moz-arabicus ritus omnino ignotus Patribus, Conciliis, Scriptoribuſque quibuſvis antiquis, toleratus tamen in Toletanis Parochiis a Romano Pontifice ipſe ſibi notus, ſuique interpres eſt. Quod plane evidens fit apud eruditiſſimum Mabillonium, qui

DISSER. VII. diligenter perveſtigatis aliis aliarum Eccleſiarum ritibus in Majori hebdomade, ſingularem hanc affert doctrinam ex Miſſali Moz-arabum in die paraſceves: *Particulæ Regnum, & Gloria mittuntur in Calicem, quæ particula, ſecundum quoſdam conſecrat vinum in Calicem*. Cujus aliam ſimilem tota ex antiquitate nullam repetas.

Muſ. Ital. Comment. præv. pagin. LXXXVII.

XVIII. Concluſio totius operis.

Hæc mihi de Mozarabum Liturgia indicanda fuerunt, ut egregio Doctori Eccleſiæ, qui tantam antiquitati Hiſpanæ lucem attulit, abjudicarem ritum a Latinis Græciſque omnibus diſcrepantem in multis: quum cæteroqui & præclariſſima illius opera, & documenta reliqua ad Hiſpaniam pertinentia dubium omne nobis auferant, quin Romanam priſcam liturgiam ante Sacramentarii Gregoriani mutationes inibi per eum viguiſſe pro certo habeamus. Neque id quidem, ut Moz-arabicam Liturgiam diligentiſſime examinatam, probatamque Pontificum Romanorum autoritate, condemnem, quod audaciæ, ac temeritatis notam mihi jure ac merito compararet; ſed ut Eccleſiæ Hiſpanæ antiquitatem, quam fieri poſſit magis defecatam præbeam, quam rem jampridem ſtatui apud meum animum pro Hiſpaniarum Eccleſiæ dignitate facere, tum ut Catholicorum Regum ſeptimi ſeculi pietatem, religionem, ſummamque in Sacerdotes Dei reverentiam palam facerem: tum ut eorumdem Sacerdotum doctrinam, ſanctimoniam, ſuoſque in Reges obſequium vindicarem; tum denique ut corruptam diſciplinam, rituſque ab Eccleſiæ Romanæ, qua Hiſpani uſi ſunt magiſtra, abhorrentes ingenio, inde ablegarem. Quod equidem pro virili præſtans, effeciſſe mihi videor, non ſolum, ut pudeat Scriptores exteros traduxiſſe eam Eccleſiam, quaſi præſtigiis, vaniſque rebus plurimis ſcatentem; verum ut ipſis teneant manibus, undenam corruptela ſequioribus ſeculis in Hiſpanias irrepſerit. Præterea Hiſpanorum nonnullis antiquæ ipſorum Eccleſiæ corruptelam plus æquo foventibus argumenta me ſuppeditaſſe crediderim, queis certam ſtabilemque illius gloriam tueantur in poſterum, rejectis eliminatiſque ſuppoſitis tot opuſculis, quæ, ut ſpecie aliquorum inanes opiniones ſuſtineant, re tamen ſummæ inſtitutorum Eccleſiæ illius maximum inferunt detrimentum.

CHRO-

CHRONOLOGIA

Tum civiles, tum ſacras res Hiſpanas ſeptem priorum Eccleſiæ ſeculorum digerens & illuſtrans.

Res civiles Hiſpaniæ.	*Res Eccleſiaſticæ.*	ANNORUM *numerus.* Ante Ær. Dionyſii.	Æra Hiſp.
CAlvinus Procoſ. poſt primum quinquennium triumviratus Lepidi, Antonii, Cæſaris Octaviani, ſtipendiariam Cæſari Hiſpaniam reddit.	ATributo, quod pendi cœpit Calendis Januar. hujus anni Æra Hiſpana initium ducit, qua in Conciliis, & Actis publicis diutiſſime uſa eſt Hiſpania.	39.	1.
Cæſar Octav. confecto bello Alexandrino Auguſtus dicitur. Leges fert, Judices ordinat, provincias diſponit Romanæ Reipublicæ tum Oriental. tum Occidental.	Per diviſionem Auguſti Hiſpania quæ hactenus citerior, & ulterior audiebat, tripertito diviſa, Tarraconenſis, Bætica, Luſitania appellari cœpit.	30.	10.
Dum Romæ Pantheon ab Agrippa ponitur, Dio. lib. 53. Auguſtus procedit IX. Coſ. Tarracone. Suet. lib. 2. c. 26. Aſtures, & Cantabri a L. Lanio perdomiti. Caſſiod. Chr.	Milites Emeriti urbem ponunt in Luſitania, quam a proprio nomine Auguſtam Emeritam dicunt. Hæc poſtea Metropolis facta eſt Luſitanæ provinciæ.	27.	13.
Aug. Imp. edicto fit deſcriptio illa celebris per univ. orbem Præſide Syriæ Cyrino, de qua Luc. 2.	J. C. Salvator mundi conceptus de Sp. S. ex M. V. VIII. Cal. Apr. exeunte hoc anno die 25. Decembr. naſcitur. Ev. Luc.	6.	34.
Inter eruditos conſtat, hinc Æram Dionyſianam incipere, quam vulgo per annos Chriſti ineunt, quadriennii licet diſcrimen interſit.	*Qui eſt vulgo annus primus Chr. eſt Æræ Hiſpan. 39. Itaque demtis annis 38. ex Actis publicis Hiſpan. Chr. annus remanet.*	A. Ær. Diony. vulgo A. Ch. 1.	39.
Coſs. C. Fuſio Gemino, & C. Rubellio Gemino, dum Tiberius indulget vitiis, Rom. Impe-	Chr. crucifigitur, reſurgit die 28. Mart. & antequam ad cœlos aſcendit poſt dies 40. Caput	28.	66.

Anni Chr.	Æra Hiſp.	*Res civiles Hiſpaniæ.*	*Res Eccleſiaſticæ.*
		perium moderatur Sejanus. Tacit. A. v. 1.	put Eccleſiæ ſuæ conſtituit Divum Petrum.
41.	79.	Mauritania dividitur in Tingitanam (Hiſpaniæ poſtea contributam) & Cæſarienſem. Dio. lib.60. Noris addit Sitifenſem, quam Strabo, Plin. &c. conjungunt cum Cæſarienſi.	H. a. fundabatur Cathedra Alexandrina per D. Marcum: eodemque prædicabat in Hiſpan. S. Jacobus M. juxta traditionem, quo erat profectus anno ſuperiori.
42.	80.	Imp. Claudius Britannicam expeditionem parans advocat Legionem IV. e Syria. Ibi Rex Agrippa initurus gratiam Judæorum perſequitur Eccleſiam Chriſti.	S. Petrus in carcerem truſus ab Agrippa, liberatur ab Angelo. Jacobus major ab eodem rege occiditur Jeroſolymis. Act. XII. Calmet biennio differt Jacobi mortem.
61.	99.	S. Petrus peragratis Occidentalium provinciis, forte etiam Hiſpanis, exeunte hoc anno Romam redit, ubi Simonem Magum oppugnaturus erat.	Profectio Pauli Roma in Hiſpaniam ex PP. Græcis & Latinis apud Baron. ibi moratur biennium. Quid profecerit incertum.
64.	102.	Nero hiſtrionicam exercet, Urbem incendit, in Chriſtianos invidiam tranſmovet prima fit perſequutio Eccleſiæ, qua intereunt ſeq. a. Petrus & Paulus d. 29. Jun.	Septem Roma Epiſcopi in Hiſpaniam mittuntur ab Sanctis Apoſtolis ad fundandam ibi Eccleſiam, qui in Meridionali Bæticæ parte conſiſtunt.
68.	106.	Exercitus in Hiſpania acclamat Imperatorem Serg. Sulpitium Galbam, nam Nero ſe ipſum confecerat. Svet. Tranq.	Eugenius primus Tolet. Epiſcopus h. a. recenſetur in Catalogis tum editis, tum MSS. Erat is diſcipulus S. Dionyſii Pariſien. ego aliter ſentio. Vide diſſ. 1. cap.3. num.12.
112.	150.	Imperator erat hoc tempore Trajanus ex Italica Hiſpaniæ urbe, ad quem C. Plinius Jun. ex Bithynia dat literas 97. lib.7. de moderandis Chriſtianorum ſuppliciis ob ingentem eorum numerum.	Idatii Chron. perſecutionem indicat Chriſtianorum. Compluti fiunt Martyres SS. Juſtus & Paſtor, quorum ſacra corpora poſtea reperit Aſturius Tolet. Epiſc. Panvin. martyrium differt poſt triennium.

Æl- Ido-

Res civiles Hiſpaniæ.	*Res Eccleſiaſticæ.*	Anni Chr.	Æra Hiſp.
Æl. Hadrianus & ipſe Hiſpanus genere Romæ tamen natus, mentituſque Trajani adoptionem Xiphil. Spartian. in Hiſpania hiemat, reſtituit Templum Auguſto dicatum Tarracone. Occo, Mediob. numm.	Idolo-latria paſſim vigente nova forte hoc anno provinciar. diſtributio fit Bæticæ,Luſitaniæ, Carthaginenſis, Tarroconenſis, Gallæciæ. Sex. Ruf.Panv. Guth. quam poſtea imitatur Conſtantinus M.	123.	161.
L. Septimius Severus Imp. fit h.a. qui regnat uſque ad an.Chr. 211. Toto ejus regni tempore unicus Præſes Mœcius Probus adminiſtrat Hiſpaniam. Maria. l. 4. c. 12. Inſcription. ei dicatæ in Hiſp. tanquam numini ut moris erat.	Exeunte altero Eccleſiæ ſeculo de progreſſu Religionis ita Tertull. lib. adv. Jud. cap. 7. *Getulorum varietates, & Mauror. multi fines, Hiſpaniar. omnes termini, & Galliar. diverſæ nationes, & Britannor. inacceſſa Romm. loca Chriſto vero ſubdita.*	193.	231.
Impp. Cæſs. Philippi Augg. pater, & fil. cæduntur Romæ ſuccedit Decius. Extat Toleti inſcriptio Philippi numini dicata Grut.	Perſecutio Eccleſiæ ſeptima. Sup. a. ſucceſſerat Donato S. Cyprian.Ep. Carthagin. Africæ, cujus res cum Hiſpanis conjunctæ ſæpe ſunt.	249.	287.
Imp. Diocletianus trib. p. 18. perſecutionem adverſ. Chriſtianos generalem decernit. Hiſpaniæ Præſes erat Dacianus.	Magna in Hiſp. Martyrum multitudo. Prudent. & Inſcriptiones ap. Gruter. Cæſaraug. ubi major eorum numerus fuit, octodecim a Prudentio numerantur, Eccleſiæ adhuc infrequentis certiſſimum argumentum.	302.	340.
Diocletianus & Maximianus Imp. abdicant. Conſtantius Chlorus, & Maximianus Galerius imperant. Hic aſperum & immitem ſe præbet: ille Galliam, Hiſpaniam, Germaniam benignius regens, anno Imperii 2. eſt ſublatus Eboraci.	Concilium Elibertinum ſeu Illiberitanum celebratur, qui in Cod. Vet. Can. Hiſp. eſt 38. De ejus tempore, loco, nomine vide diſs. 1. cap. 4. niſi h. anno celebrabatur, certe paulo ante. Aguir. ad an. retrahit 303.	305.	343.
Conſtans meliorum opinio cum	Tria h. a. Concilia celebrantur,	314.	352.

Anni Chr.	Æra Hiſp.	*Res civiles Hiſpanæ .*	*Res Eccleſiaſticæ .*
		cum hoc anno conjungit epochem pacis Eccleſiæ redditæ a M. Conſtantino poſt victoriam de Mazentio reportatam mirabili Crucis portento antea viſo. S. Silveſter fit Papa .	tur, quæ ab Iſidoro in Cod. Vet. Can. ſunt relata : duo in Oriente Ancyranum (Cod. Ancyritanum) quod eſt 2. & Neocæſarienſe 3. unum in Gallia Arelatenſe 1. & eſt 21. Cod.
316.	354.	Julianus erat Præſes provinciæ Tarracon. ad quem l. 1. de tempor. curſu Cod. Theod. Chronol. Conſtantini .	Arius in tractatibus ad populum hæreſim docet Epiphan. hær. 69. Hæc Arianiſmi origo quod ſeq. ſeculo corrumpit Eccl. Hiſpan.
320.	358.	Ante Conſtantinum aut nullæ , aut ignotæ erant publicæ Baſilicæ : hoc autem anno paſſim dedicantur . Chron. Paſchal.	Per hæc tempora Hoſius Corduben. Epiſcopus degebat in comitatu Conſtantini qui plurimum ei deferebat in Eccleſiaſt. negociis .
324.	362.	Præſes ignotus Bæticæ ad quem Conſtantin. l. 1. de diſtrah. pignor. Caſtulone . Cod. Th.	Concilium Gangrenſe habetur in Oriente , quod in Cod. Vet. Can. Hiſp. eſt 4.
325.	363.	Conſtantinus Licinio ſup. a. dedito poſtmodum occiſo ſumma cum tranquillitate vicennalia celebrat Nicomediæ . PP. de more , quos inter locum principem habet Hoſius , ad Epulum vocat, largeque donat. Sozom. Noris de vot. Decenn. c. 1.	Concilium Generale primum Nicænum habetur , cui Hoſius Cordubenſis præſidet legatum agens S. Silveſtri Papæ . Quod Concil. merito in Cod. Vet. Can. Hiſp. primum habet locum , eſtque perpetua Hiſpanis regula per conſeq. ſecula .
330.	368.	Dicata urbs Cp. v. Id. Majas Idat. Chr. ſunt qui h. a. novam Imperii formam factam volunt.	Concilium Arelatenſe II. celebratur , quod in Cod. Hiſp. eſt 21.
332.	370.	H. a. Pagius Ant. aliique meliores diviſionem Imperii inter quatuor Præfectos Præt. recenſent . Diœceſis Hiſpana Pr. Pr. Galliarum paret ſeptem habet provincias , Bæticam , Luſitaniam , Gallæciam, Tarraconenſem ,	Quinque tantum provinciæ Eccleſiaſticæ per quartum ſeculum noſci cœptæ in Hiſp. quæ ſcilicet in continente erant, Carthaginenſis, Tarraconenſis, Bætica , Bracarenſis , & Emeritenſis , quæ duæ poſtremæ ab urbe

Digitized by Google

Res civiles Hiſpaniæ.	*Res Eccleſiaſticæ.*	Anni Chr.	Æra Hiſp.
ſem, Carthaginenſem, Tingitanam, Baleares Inſulas Sp. Vicario commiſſas.	urbe Metropoli habuerunt nomen.		
Tiberianus V. Sp. Vicarius Diœceſis Hiſpanæ Hiſpali ſedem habet quæ inter civiles provincias principem ob id locum habet. Gothofr. Cod. Theod.	Silveſter Pp. h. a. moritur, quo tempore exulabat S. Athanaſius, & a. ſeq. Conſtantinus Aug. moritur, magnum Eccleſia præſid. amitt.	336.	374.
Incertum, num Valerian. uſque ad h. a. perſeverarit, certe ſeq. a. ſedebat Hiſpali V. Sp. Vicar. Diœceſ. Hiſp. Albinus. Cod. Theod. Conſtantinus Jun. cui obvenerat inter alias Diœceſes Hiſpana, obtruncatur III. Cal. Maji.	Concilium Antiochenum celebratur quod in Cod. Hiſp. eſt 6. Per hæc tempora in Hiſpaniis noſci cœperunt jura Metropolitica antea prorſus ignota. Vide quæ diſſeruimus diſſ. 2. cap. 5.	340.	378.
Num Albinus Vir Sp. adhuc Vicarius eſſet Diœceſis Hiſp. res compertu difficilis ex monum. certe uſque ad a. 365. alium non exhib. Arianiſmus ſeceſſione hæreticor. ex Sardic. Conc. Philippos, ubi congregantur, vim acquirit.	Sardicenſe Concil. celebratur præſide Hoſio Cordub. tanquam Julii Pp. Legato in Cod. Hiſp. eſt 5. in conciliabulo Philippis habito ab Epp. hæreticis de voce Omouſion diſceptatur.	347.	385.
Circa hæc tempora Hoſius Cordubenſis Ep. agitari cœpit ab hæreticis ſed nequicquam.	Concilium Carthaginenſe I. hoc anno habetur eſtque in Cod. Hiſp. 13.	349.	387.
Val. V. Sp. Vicarius Diœceſis Hiſp. Cod. Th. Rom. orbis ingenti terræmotu concutitur. Hier. Chron.	Poſtremus Liberii Pp. annus, cui ſuccedit Damaſus, cujus primi omnium Decretales Hiſpanis notæ.	365.	403.
Hoc, & ſeq. anno Artemius V. Sp. Vicarius Diœceſis Hiſp. V. viris Clariſs. præeſt. Cod. Th.	Catholici vexantur in Oriente poſt Sirmienſem formulam. Epp. plures relegantur.	369.	407.
Gothi in perniciem Rom. Imp. ſinuntur tranſire Iſtrum, & in Thracia conſiſtere. Ulphilas eorum Epiſcopus Arianiſmum diſcit,	In Galliis celebratur Concil. Valentin. quod in Cod. Hiſp. eſt 24. Mediolani fit Epiſcopus S. Ambroſ. in Auxentii loco Ariani	374.	412.

Digitized by Google

Anni Chr.	Æra Hiſp.	*Res civiles Hiſpaniæ.*	*Res Eccleſiaſticæ.*
		ſcit, quo poſtmodo ſuam gentem inficit.	ni pergunt Catholicos divexare in or.
380.	418.	Per hæc tempora Illyricum dividebatur in Orientale, & Occidentale ac proinde Primatus Theſſalonicenſis minuebatur.	Concil. Cæſarauguſtanum celebratur quod in Cod. Hiſp. eſt 41. ibique monaſterior. mentio eſt. Vide diſs. VI.
381.	419.	Priſcillianiſtæ & Romæ, & Mediolani a Damaſo, & Ambroſio rejecti, Magiſtro Officiorum corrupto reſcriptum obtinent, quo freti in Hiſpanias ſe conferunt, quam totam miſcent.	Concilium Cp. I. generale II. adverſus hæreſim Macedonii. Unicnm hoc ex Conſtantinopolitanis cognitum in Hiſpan. eſt 8. in Cod. ſemperque abſolute appellatur Cp.
383.	421.	Martinianus V. Sp. Vicarius Diœceſis Hiſp. Clariſs. Præſidibus, & Conſularibus præſidet.	Damaſi Pp. qui ſeq. a. moritur Epiſt. ad Paulin. Antiochen. & confeſſio fidei Cath. Hiſp. notæ.
385.	423.	In Hiſpan. venit notitia obitus S. Damaſi Pp. cum literis Siricii datis ad Himerium Tarraconenſem Epiſc. III. Idus Febr. qui elapſo anno conſultationem direxerat Damaſo.	Epiſtola Siricii ad Himer. Tarrac. paſſim habetur pro prima omnium Decretalium, rejectis tot ſuppoſitis, Hiſpanis eſt tertia; nam duas Damaſi prædictas recenſent in Cod. Vet. Can.
395.	433.	Hoc, & duobus ſeqq. annis Petronius V. Sp. erat Vicarius Hiſp.	Ex d. Ep. Siricii cujus alias duas Hiſpani norunt, provincias quinque Eccleſiaſticas jam vigere conſtat.
397.	435.	Res Africæ civiles turbantur a Stilichonis inimico Eutropio, qui Gildonem Afr. præfectum ſibi conciliat. Arcadio eadem cedit. relicto Hon.	Concil. Carthag. III. al. II. celebratur præſide Aurelio, cui intereſt S. Auguſtinus, in Cod. Hiſp. 15. eodem tempore moritur S. Ambroſ.
398.	436.	An deſierit h. a. Petronii V. Sp. Vicariatus Diœceſis Hiſp. incertum ſeq. a. erat Macrobius, qui & 400. perſeverabat.	Duo Concilia Carthaginenſia IV. & V. al. III. & IV. quæ ſunt in Cod. Hiſp. 16. & 17. ad hunc annum referuntur.
400.	438.	Gothi Alarico Rege in Italiam deſcendunt per alpes Julias, brevî Gallias & Hiſpanias invaſuri.	Concilium Toletan. I. quod eſt in Cod. Hiſp. 44. celebratur, Anaſtaſii Pp. anno 2. ſeq. a Taurinum in Gall. Cod. Hiſp. 25.
		Mul-	S. In-

Res civiles Hiſpaniæ.	*Res Eccleſiaſticæ.*	Anni Chr.	Æra Hiſp.
Multa Gothor. millia a Stilichone cæduntur in Tuſcia duce eorum Rhadagiſo Scytha.	S.Innoc. Pp. Epiſtola ad Concil. Tolet. refertur ad h. a. vide Diſs. 2. cap. 3.	405.	443.
Suevi, Wandali, & Alani invadunt Hiſpaniam. Roma ab Alarico iterum invaſa diripitur. Placidia Imp. ſoror capta nubit Ataulpho Alarici propinquo, qui Hiſpan. Rex 1.	Interim Innocentius Pp. aliis aliiſque Epiſcopor. conſultationibus reſpondens decretales cōſcribit epiſtolas, quarum 22. extant in Cod. Hiſp.	409.	447.
Barbari per bienn. debacchati in Hiſpania provincias inter ſe dividunt. Wandali & Svevi obtinent Gallæciam; Alani Luſitaniam, & Carthaginen. partem; Wandali Silingi Bœticam.	In Afr. collatio celebris Epiſcoporum 466. qui tunc erant, per tres dies Carthagine inter Catholicos, & Donatiſtas qui penitus everſi ſunt. Nor. Hiſt. Pel. lib. 1. c.3.	411.	449.
Gothi in Hiſp. deſcendunt ex Galliis Ataulpho eor. rege qui ab a. 411. Alarico ſucceſſerat: eidemque cæſo ſufficitur Sigericus R. 2.	Dum Placidia integerrima, ac religioſa uxor ſuadet Regi viro de reſtituendo Imperio, is trucidatur Barcinone. Oroſ.	415.	453.
Wallia R. Wiſigot. 3. levatur Sigerico occiſo, quia pacis amans erat; regnat an. 3. Theodemirus R. Suevorum ab an. 411. quum in Hiſp. ingrediebatur, regnat an. 29.	Wallia Placidiam Honorio reddit, pacem cum eo ſancit, ita ut Wandalos perſequatur Concil. Carthaginen. VIII. ſeu Milevit. II. celebratur. In Cod. Hiſp. eſt 20.	416.	454.
Wandali Silingi in Bætica extincti omnes. Alani Rege eorum Athace interfecto debellati. Remanent Wandali cum Suevis in Gallæcia, propediem ejiciendi ex Hiſp.	S. Innocentio Pp. ſuccedit S. Zoſimus die 11. Martii, qui ſedet an. 1. m. 8. d. 25. Duæ ipſius Decretales Epiſtolæ extant in Cod. Hiſp.	417.	455.
Conſtantius icto fœdere cum R. Wallia Aquitaniam, hodie Vaſconiam ad habitandum ei tribuit. Hæc eſt Gallia Gothica, cujus regia ſedes Toloſa.	S.Bonifacius Pp. ſuccedit Zoſimo III. Cal. Jan. ſedet a. 3. m. 8. d. 6. Schiſma Eulalii. Decretales Bonif. 3. in Cod. Hiſp. & Reſcr. Honor. Concil. Carthag.	418.	456.

Digitized by Google

Anni Chr.	Æra Hiſp.	*Res civiles Hiſpaniæ .*	*Res Eccleſiaſticæ .*
		Ex Galliis vix recedunt Wiſigothi quamdiu Arianiſmum profeſſi ſunt .	VI. al. V. in Cod. Hiſp. 18. Gallia Goth. eſt prov. Narbonen. Eccl. 6. Hiſp. quinque adjuncta .
419.	457.	Sunt qui h. a. Theudorici R. Wiſig. 4. principium ponunt , eique 33. an. tribuunt : nos ſequuti Iſid. produximus Walliæ regnum per decenn. ac 23. ſolos ſucceſſori dedimus . Incerta res eſt , nec cum hiſt. pugnans .	Concil. Carthag. VII. al. VI. quod in Cod. Hiſp. eſt 19. Concilio intererant S. Auguſtinus , & Alypius ; ejuſque acta ad Bonifacium Pp. tranſmiſſa . Eulalius ſchiſmaticus in exilium mittitur .
422.	460.	Caſtinus & Bonifacius Romm. Duces poſt debellatos Wandalos orta inter eos ſimultate ab iiſdem vincuntur : hac occaſione Carthago Spartaria ſolo æquatur .	Bonifacius Papa, cui h.a. ſuccedit Cœleſtinus cujus tres decretal. in Cod. Hiſp. ordinatus 17. Sept. reducit in ordinem Patroclum Arelatenſem invadentem aliena jura .
425.	463.	Wandali Gunderico Rege Hiſpanam divexant Eccleſiam. Rex ſeq. a. capta Hiſpali ob impietatem erga Eccl. civitatis correptus a dæmone interiit: Genſericus frater ſucceſſit .	Concil. Carthag. II. al. ultimum in Cod. Hiſp. 14. Leges plures contra hæreticos , & ſchiſmaticos Placidiæ opera , quæ catholicam religionem fovebat plurimum .
427.	465.	Genſericus a Bonif. Duce Rom. invitatus cum ſuis 80. m. in Africam transfretat relicta Hiſpania , unde a Gothis eſt pulſus .	S. Auguſtinus docente Poſſidio, libros retractationum complet , itemque libros quatuor adverſus Juliani poſtremos .
431.	469.	Wandalis in Africa tertio jam menſe obſidentibus Hipponem ſup. anno erat mortuus S. Auguſtin. Iidem late nunc graſſantur tota Africa , Romm. ducibus parum proficientibus .	Concilium Epheſinum Generale III. quod in Cod. Hiſp. eſt 10. celebratur Cyrillo Alexand. præſide, tanquam Legato Pontif. Cœleſtini. Pelagiana , & Neſtoriana hæreſis damnantur .
437.	475.	Wandalicæ perſecutionis in Africa initium Genſerico eam commovente . Ruinart.	Sixtus III. Pp. qui Cœleſtino ſucceſs. 10. Aug. 432. dat literas ad Proculum Hiſpan. ignotam , qui nullam hujus Pontif. retulerunt in cod.

Her- Con-

Digitized by Google

Res civiles Hiſpaniæ.	*Res Eccleſiaſticæ.*	Anni Chr.	Æra Hiſp.
Hermenrici Suevor. Regis ultimus, cui ſuccedit ſeq. a. fil. Rechila ſocius Regni qui regnat annos 7. Bæticam Regno adjicit.	Concilium Regienſe in Gall. celebratur, quod eſt 26. Cod. Hiſp. Genſericus Eccl. perſequutor Carthaginem expugnat.	439.	477.
Theodoſius Wandalis bellum infert infelici ſucceſſu. Barbari Romm. provincias vaſtant. Sirmium, aliæque Illyrici urbes diruuntur.	Concilium Arauſicanum I. celebratur quod unum Hiſpanis notum in cod. eſt 27. ſicut Vaſenſe habitum ſeq. a. eſt 28.	441.	479.
Terræmot. ingens Cp. Salmanticæ eclip. ſol. Attila totam fere Europam vaſtat, omnia terrore implet.	Huc refertur Concilium Hiſp. celebre cui præſidet Turibius Aſturic. juſſu Leonis Pp. qui Siſto ſucceſs. an. 440. Cal. Sept. ordinatus.	447.	485.
Rechilæ Suevor. Regi ſuccedit Recciarius qui regnat annos 9. Erat is Catholicus; tamen uxorem ducit Theodoram fil. Theodorici R. Arian.	S. Leo ſcribit Eutycheti h. a. ep. 6. ordine eſtque in Cod. Hiſp. 75. ibi enim Pontificiar. literarum ordo omnino varius.	448.	486.
Bellum memorabile in Campis Cathalaunicis adverſus Attilam Duce Aetio Gothorum, & Francor. Regibus concurrentibus. Theodoricus cæſus in bello eſt, eique ſuccedit ſeq. a. Turiſmodus fil. qui regnat an. 1.	Concilium Chalcedonenſe Generale IV. quod in Cod. Hiſp. eſt 11. Leo per Legatos præſidet: ipſe Attilam Italiæ urbes expugnantem opportune expectat Romæ, unde ſeq. an. arcet præſentia ſua territum.	451.	489.
Turiſmodo fr. occiſo regnat Theodoricus II, Rex Wiſigothor. 6. annos 13. Alii tribuunt Turiſmodo annos 3.	S. Joannis Baptiſtæ Caput Emeſæ reperitur. Leo ſcrib. ep. 56. & ſeqq. at non extant in Cod. Hiſp.	453.	491.
Theodoricus ex Gall. in Hiſp. tranſit, Suevos affligit Recciario eor. Rege cæſo: inde iis permittit gentis ſuæ regem ut creent. Maſdram levant qui regnat an. 3.	Catholici in Africa multas patiuntur vexationes a Genſerico, qui mortuo Valentiniano per provincias tum Occid. tum Orien. late barbariem effundit.	456.	494.
Maſdræ Suevor. Regi jugulato	Per hæc tempora Theodoricus	460.	498.

Anni Chr.	Æra Hiſp.	*Res civiles Hiſpaniæ.*	*Res Eccleſiaſticæ.*
		to ſuccedit Frumarius, qui regnat annos 4. cujus regnum excipit ſilentium 100. fere annor.	cus Narbonem cepit, quo poſtea Sedes Regia transfertur Toloſâ, ſimulque eſt Metropolis Eccleſiaſtica.
466.	504.	Theodoricus Rex Wiſigoth. Toloſæ occiditur a fratre Eurico rege 7., qui regnum moderatur annis 17. Remiſmundum Frumario ſucceſſorem tribuunt in Gallæcia aliqui, quem Catalogi ſilent, ut Theodemundum a Labbejo excitatum, forte quia hæretici.	S. Hilarus Pp. qui S. Leoni ſucceſſerat an.461. die 12.Nov. ſup. an. 465. quintum ſui Pontif. incipiens Tarraconenſium Epiſcopor. literas in Concilio legit, & die 30. Decembris decretum fecit h.a.in Hiſp.miſſum, quod extat cum aliis duab. Decretal. in Cod. Hiſp.
472.	510.	Euricus lapſo biennio populatus Gallias h. a. in Hiſpanas debacchatur provv. Eccleſiaſque, & Epiſcopos lædit.	Simplicius Pp.qui Hilaro ſucceſſerat 24.Febr. 468. Zenonem Hiſpalen. Epiſ.creat Vicar.Apoſtol. ut tueatur canones.
483.	521.	Alaricus Eurici fil. poſt mortem patris rex Wiſig. 8. regnat an. 23.	S. Felix III. Pp. ſuccedit Simplicio d.6.Mart.ſedet an.8.m.11 d.9. Decretal. 3. in Cod. Hiſp.
496.	534.	In Africa mortuo Wandalor. Regi Guntabundo ſuccedit Traſamundus qui regnat ann. plus 26. haud infenſus Catholicis.	Gelaſio Simplicii ſucceſſore mortuo poſt an.4. m.8. d. 18. ſuccedit Anaſt. II. 24. Nov. illius duæ, unica hujus decretal. in Cod. Hiſp.
498.	536.	Romæ Schiſma poſt Anaſtaſii II. mortem ſupercreato Laurentio dat anſam uſurpationis laicis, relata ad Theodoricum cauſa.	Symmachus die 22.Nov. ſuccedit Anaſtaſio. Unica ejus decretal. ad Cæſarium Arelat. extat in Cod. Hiſp.
506.	544.	Geſelicus Alarici fil. nothus rex Wiſig. 9. regnat an. 4. Poſt Alarici cædem Sedes Regia Toloſâ Narbonem eſt tranſlata.	Concilium Agathenſe in provinc. Narbonenſi celebratur in Cod. Hiſp. eſt 30.
511.	549.	Theudoricus Jun. Rex Italiæ regnat tutorio nomine ann. 15. pro nepote Amalarico.	Concilium Aurelianenſe I.celebratur, quod unum refertur in Cod.Hiſp.31.
514.	552.	Eſt Coſ. ſine Collega M. Aurel.	Hormiſda Pp. ſucceſſor Symma-

Res civiles Hiſpaniæ.	*Res Eccleſiaſticæ.*	Anni Chr.	Æra Hiſp.
rel. Caſſiodor. Senator teſtis celeberrimus Officior. domus Aug. a Theodorico inſtauratorum.	machi ordinatur 29. Nov. ſedet annos fere 10. Ejus decretales 8. in Cod. Hiſp.		
Theodorico regnante pace aliqua utuntur Catholici in Hiſpaniis, quia inde abeſt.	Duo in Hiſpan. Concilia habita 39. & 40. Cod. Hiſp. Tarraconenſe hoc a. Gerundenſe ſeq.	516.	554.
Ann. celebris Coſ. Eutharici Cillicæ Gothi, quem ſummis effert laudibus Caſſiod. Symmachum quoque ajens legatum orientis viri munificentiam eſſe admiratum: & in h. Coſ. Chron. cludit.	Circa hæc tempora Hormiſda duos in Hiſpania creavit Vicarios Apoſtolicos. Joannem Illicitanum, & Salluſtium Hiſpalenſem ad utrumque extant literæ in Cod. Hiſp.	519.	557.
Theodoricus audiens Juſtinum legem tuliſſe in Arianos, minatur per legatos talia ſe in Catholicos præſtiturum.	Concil. Arelatenſe III. Cod. Hiſp. 23. Juſtinus Eccleſias Arianor. catholico ritu ſacrari curans Theodorici iram provocat.	524.	562.
Amalaricus Theodorici Reg. Italiæ nepos ex filia regnare incipit in Hiſp. R. 11. regnat annos 5. Theodoric. Symmacho & Boethio VV. CC. occiſis, ſpectro territus perit.	Joannes Pp. qui a. 523. ſucceſſerat Hormiſdæ, quum ſediſſet an. 2. m. 8. d. 23. Ravennæ moritur in cuſtodia Martyr. 15. Cal. Jun. Felix IV. ſuccedit 4. Id. Jul.	526.	564.
Juſtinus Imp. coronat Aug. Juſtinianum filium, regnique conſortem facit.	Concil. Tolet. II. in Cod. Hiſp. 45. celebr. Montano tunc Metropolita Carthag.	527.	565.
Theudis R. Hiſp. 12. regnat ab h. anno uſque ad 548. an. 16. m. 5.	Bonifacius Pp. ordinatus erat ſucceſſor Felic. IV. ſuper. anno die 29. Sept.	531.	569.
Annus Romæ & Italiæ infenſus. Totila hoc exeunte romam expugnat, quam tamen non diripit Beliſario eum literis admonente. Edictum Imp. trium Capitulorum fervet.	Concilia duo Hiſpana in Cod. 42. 43. celebrantur, Ilerden. & Valletan. Vigilius erat Pp. poſt Jo: II., Agapetum, & Silverium, quor. nullæ decretales. Hujus ad Profutur. Bracar. celebris de Liturgia.	546.	584.

Theu- Vi-

Anni Chr.	Æra Hiſp.	*Res civiles Hiſpaniæ.*	*Res Eccleſiaſticæ.*
548.	586.	Theudiſclus R. Hiſp. 13. regnum excipit Theudis, regnat a. 1. m. 7.	Vigilius Pp. Judicatum emittit damnans tria Capitula:refragantur Afri, & Occidd. fere omn.
549.	587.	Agila R. Hiſp. 14. regnat a. 5.	Illyriciana ſynodus defendit tria Capitula.
554.	592.	Agila interfecto R. Hiſp. 15. agnoſcitur Athanagildus antea invaſor, qui regnat an. 15.	Concil. V. Generalis Conſtantinopolit. II. Hiſpanis ignoti, ſup. anno celebrati Acta comprobat Vigilius, poſt diuturn. deliberat.
558.	596.	Theodemirus, ſeu Ariamirus poſt ſilentium centum fere annor. in Gallæcia regnat an. 6. Catholicam fovet relig.	Erat hoc tempore Pontif. Pelagius, qui Vigilio ſucceſſerat anno 555. ordinatuſque erat die 18. Apr.
561.	599.	Rege Suevor. Theodemiro, ſeu Ariamiro Gallæcia omnis deteſtata Arianam hæreſim ad Cathol. fidem revertitur.	Joanne III. Pp. qui Pelagio ſucceſſerat ſup. an. Cal. Auguſt. Concil. Bracar. I. celebr. quod in Cod. Hiſp. eſt 61.
567.	605.	An. Italiæ infauſtus ob revocatum Narſetem in Orien. hinc enim Schiſmaticis Venetis robur acceſſit, Langobardis irruptio patuit. Liuva R. Hiſp. 16.	Athanagildus h. a. moritur Toleti, tametſi regia ſedes Narbo eſſet. Hinc Toleti prærogativa in Civilibus conjicitur, quæ poſtmodo Eccleſiaſticam peperit.
568.	606.	Liuva an. regni 2. ſocium ſibi adſciſcit Leovigildum, qui fratre relicto in Galliis, in Hiſpaniam tranſit, ſedemque figit Toleti, ubi moritur regni an. 18. Chr. 586.	In Gallæcia regnare orditur Miro, qui regnat an. 13. ſemper favens Catholicis. Florebat Martinus Dumienſis Monaſt. fundator, poſtea Bracar. Metropolita.
572.	610.	Regnum Eccleſiæ & Pontificibus infauſtum Langobardorum in Italia incipit: nonnulli ad an. ſuper. referunt, Alboin Rex 1.	Concil. Bracarenſe II. quod in Cod. Hiſp. eſt 62. in eo Collectio Can. Martini probatur, quæ dicitur Bracar. Conc. III. & eſt 63.
573.	611.	H. a. erat Præfectus urbis Gregorius Magnus, qui poſtea ad Petri Sedem aſcendit.	Joanni III. mortuo d. 23. Julii non datur ſucceſſor Benedictus, ante ſeq. a. 27. Maii.

For- In-

Digitized by Google

Res civiles Hiſpaniæ.	*Res Eccleſiaſticæ.*	Anni Chr.	Æra Hiſp.
Forte h. a. Leovigildus conſortes regni facit filios Hermenegildum, & Reccaredum: illi tanquam natu majori uxorem comparat, ſedem figit Hiſpali, Toleti ipſe remanens.	Ingundis Regina uxor Hermenegildi Catholica virum ad veram fidem revocat, quæ paternum illi odium, ac denique martyrium peperit.	578.	616.
Leovigildus in Hermenegild. filium, & Catholicos iratus Hiſpalis obſidionem parat impietatis, ac veſaniæ plenus.	S. Gregorius M. mittitur Apocriſarius ad Tib. Conſtantin. a Pelagio II. Pp. qui Bened. ſucceſſerat an. 578. 27. Nov. ordinatus.	581.	619.
Tib. Conſtantin. moritur, ſuccedit Ti. Mauritius, apud quem remanet Gregor. M. cum Apocriſarii munere. In Gallæcia regnat Eboricus.	S. Hermenegildus gravem patitur obſidionem Hiſpali, quæ ſeq. an. expugnatur, Hermenegild. fugiens captivus fit. Eutropius eod. a. ſucced. Donato Abb. Mon. Servit.	582.	620.
Gallæciæ Rex noviſſimus Andeca, quo interfecto Leovigildi opera Suevorum Regnum finit, ſub finem videlicet hujus anni vel ſeq. initio.	S. Leander fit Epiſcopus Hiſpalenſis. Leovigildus catholicos exquiſite inſectatur; qua occaſione Leander Cp. petit, magnamque ibi cum S. Gregor. M. conſuetud. init.	584.	622.
Leovigildus adhibita veſte regia, aliiſque Inſignibus primus omnium Gothorum in ſolio reſidet Toleti: proinde hinc regni Gothici in Hiſp. initium, ſeu Monarchiæ Hiſp. inſtitutio ſumitur.	S. Hermenegildus nocte præcedente Sanctum Paſcha 25. Martii ab impio parente jubetur interfici, quia catholicam fidem profitetur.	585.	623.
Reccaredus Gothor. Catholicor. R. prim. conſors jam regni, Leovigildo patre decedente Toleti in urbe regia, regnare incipit. Primus omnium coronatur: regnat hinc an. 15.	Sub finem hujus anni, vel ſeq. initio S. Leander in Hiſpaniam redit navaturus operam inſtaurandæ catholicæ religioni, quod propediem eſt factum.	586.	624.
Reccaredus decimo menſe ſui regni, quod paulo ante menſem Ma-	S. Leander Februar. menſe in Hiſpaniis erat, & S. Gregor. M. anno	587.	625.

Anni Chr.	Æra Hiſp.	*Res civiles Hiſpaniæ.*	*Res Eccleſiaſticæ.*
		Majum ſup. a. cœpit, Catholicam fidem amplectitur.	anno exeunte, vel ſeq. initio redierat Romam.
588.	626.	Reccaredus ſummopere laborat, ut Catholicum dogma inſtauretur in Regno: rem hanc committit S. Leandro.	S. Leander collega adhibito Eutropio Monaſt.Servitani Abbate de rebus in Concilio Nation. tractandis agitat.
589.	627.	Romæ inundatio Tiberis, quam ſubſequitur lues inguinaria. Annus Hiſpan. auſpicatiſſimus ob generalem Arianæ hæreſis deteſtationem.	Concil. Tolet. III. Nationale celebratur VIII. Id. Majas præſide Mauſona Metropol. Emerit. tanquam aliis antiquiore. Subſcribunt Rex,Palatinique Arian. deteſtant. in Cod. Hiſp. eſt 46.
590.	628.	Reccaredus per ſuum Ducem Claudium Luſitanum Guntramni Francor. R. copias quarum Dux Boſo, debellat, & potitur caſtris.	S. Gregor. M. fit Pp. ſedet an.13.m.6.d.10. Concilium Hiſpal. I. in Cod. Hiſp.65. Gregor. extant ap. Hiſpanos Epp.decretales 4.
591.	629.	Joannes Biclar.ita appellatus a Monaſterio ab ſe fundato in loco vulgo Biclaro, poſtea Gerunden. Epiſcopus uſque ad h. an. perduxit Chronicon de rebus, quæ ſuo tempore evenerunt in Hiſpan.	S. Gregor. M. occaſ. reſcribendi ad S. Leandrum de Trina merſione gratulatur eid. ob deteſtatam Arian. hæreſ. a Reccaredo Rege una cum toto regno. Hæc ep.41. l.1. Regeſt. prima occurrit in Cod. Hiſp.
595.	633.	Italia ab annis 27. gemit ſub Langobard. tyrannide. Maurit. Imper. parvipendens S. Gregorium anſam dat Joanni Jejunat. Patriarchæ Cp. arrogandi ſibi plus æquo.	S. Gregor. mittit ad Leandrum ſuum librum Paſtoral. & Moralia in libros digeſta, duobus tamen libris mutila, quæ apud ſe non eſſe ait. Ep.46. l.4.
599.	637.	Ex lib.7. ep.111. Gregor. deprehenditur, quod Galliæ, & Hiſpaniæ mores admodum corrupti erant: ſimonia præſertim laborabatur. Quare Cyriacus Abbas legatus mittitur.	S. Leander Hiſpal. h.a. moritur forte ex podagra, qua ipſe & Gregor. eod. temp. laborabant. Interim Pallium, & alia dona vehebantur in Hiſp. Greg. Regeſt. l.7. ep. 125. &c.
601.	639.	Reccaredus quum regnaſſet an.15. m.1. d.10. moritur verſus	Auguſtinus in Anglia quum ab a. 596. plurimum profecerit in

Res civiles Hiſpaniæ.	*Res Eccleſiaſticæ.*	Anni Chr.	Æra Hiſp.
ſus fin. m. Apr. ei ſuccedit Liuva qui regnat an. 2. circiter.	in prædic. Fide h. a. accipit Pallium novo diſcipl. genere. Vide diſſ. 5.		
Wittericus ſumta tyrannide Liuvam deturbat e ſolio Hiſpan. regnat ann. 6. Cauſa Epiſcopor. Hiſpan. a Gregor. committitur Jo. Defenſ.	S. Gregor. M. moritur die 12. Martii anni ſeq. Sabinianus ſuccedit; ſed. ann. fere 2. Auraſius h. a. fit Epiſc. Tolet. ſed. an. 12.	603.	641.
Wittericus poſtquam regnavit annos 6. anno ſeptimo a conjuratis obtruncatur ſuccedit Gundemarus, qui 2. tantum annis moderatur Hiſpaniæ Regnum.	Fit Toleti Concilium pro Toletana Metropoli, ſeu Carthaginenſi vindicanda, in duas enim ſciſſa erat. Erat Pp. Bonifacius IV. qui Bonif. III. 8. menſ. Pontif. exceperat an. 608. poſt Interpont. m. 10. d. 6.	610.	648.
Siſebutus ſuccedit Gundemaro: regnat an. 8. m. 6.	H. vel ſeq. an. S. Heladius Ep. Tolet. ſucced. Auraſio. ſedet annis ferme 18.	612.	650.
Siſebutus per hæc temp. decretum edit, quo Judæi doceri jubentur Chr. fidem: fiuntque per vim Chriſtiani quicumque ad Francos fuga non elabuntur. Chron. S. Iſid. quod hoc cum rege explicit.	Bonifacius IV. Pp. poſtquam ſedit an. 6. m. 8. d. 12. moritur, & poſt interpontif. 5. menſ. d. 13. S. Deusdedit ei ſuccedit: duo celebrantur Concil. Pariſien. & Egar. Hiſpanis ignota.	615.	653.
Siſebutus ſeq. an. moritur: ſuccedit Reccared. II. qui paucos regnat dies.	Concil. Hiſpal. II. in Cod. Hiſp. 66. contra Acephalos. Bonif. V. Pp. ordinat. 14. Dec. ſup. an.	619.	657.
Reccaredi II. paucor. dier. Regnum excipit Suinthila qui regnat an. 10.	An ſeq. celebris ob fugam Mahumedis die 15. Jul. fer. 6. unde Hegira incipit.	621.	659.
Siſenandus, dejecto Suinthilane tyrannidem Hiſpaniæ induit, regnat a. 3. m. 11. d. 16.	In fine h. a. vel initio ſeq. S. Helad. moritur, ſuccedit Juſtus in Tolet. ſede per annos 3.	631.	669.
Initium belli implacabilis inter Romanos, & Saracenos, qui in dies aucti gente & viribus ſeq.	Concil. National. Toletan. IV. in Cod. Hiſp. 47. cui præſidet Iſidorus Hiſpal. tanquam ſenior Me-	633.	671.

Anni Chr.	Æra Hiſp.	*Res civiles Hiſpaniæ.*	*Res Eccleſiaſticæ.*
		ſeq. ſeculo Hiſpaniam invadunt. Lex de Regg. Cathol. elect.	Metropolita, quippe 34. Epiſcopat. annum agebat.
636.	674.	Siſenandus quarto Regni anno, ac proinde ſuperiori, erat mortuus, cui ſuccedit Chintila per annos 3. m. 8. d. 9.	Concil. Toletan. V. provinc. in Cod. Hiſp. 48. S. Eugenio Tol. Ep. præſide ut Metrop. S. Iſidorus Hiſpal. moritur poſt 37. annor. ſedem.
638.	676.	Annus emortualis Honorii Papæ, qui ſucceſſerat Bonifac. V. ann. 625. ſeditque an. 12. m. 11. d. 16. Lege ſacra Concil. conſulitur poſteritati Regum Catholicor.	Concil. Nationale Tolet. VI. in Cod. Hiſp. 49. cui præſidet Selva Metrop. Narbon. tanquam ſenior ordinat. Echteſis a Sergio publicatur in or.
640.	678.	Chintilane ſup. an. mortuo regnat Tulga ejus fil. an. 2. m. 4. AA. & Catalogos ſequor, ne rer. ſeries turbetur.	S. Sedes viſa eſt diu vacaſſe, Severino tantum electo, qui h. a. ordinatus ſed. m. 2. d. 4. ſuccedit Joannes IV.
642.	680.	Tulga Hiſp. R. ſeu mortuo, ſeu depoſito regnat Chindasvinthus an. 6. m. 8. d. 11. die 2. Maji ſedebat jam in Throno.	Joannes IV. Pp. moritur poſt ſedis an. 1. m. 9. d. 18. ſuccedit Theodorus ordinat. 24. Nov. non expectata Juſſione Principis Cp.
643.	681.	Annus notabilis ob latas a Regibus Langobardor. in Ital. & Wiſigothor. in Hiſpan. Leges Chindasvinthus igitur anno Regni 2. leges fert, quas poſt quinquen. auget publicatque Receſv. ejus fil.	Num ferenti leges Chindasvintho adfuerint Hiſpani Epiſcopi incerta res eſt. Certe ſumma concordia Sacerdotii & Regni, & poſterior ear. publicatio coram Epiſcopis Regni, adfuiſſe eos indicant.
646.	684.	Fertur h. a. Tajo Epiſcopus Romam eſſe miſſus a Concil. Tol. ad libros Moral. S. Greg. conquirendos: quos poſtea miraculoſe ab eo inventos conſtat ex Miſcell. Baluz.	Concilium Toletanum VII. Nationale in Cod. Hiſp. 50. cui præſidet Orontius Metrop. Emeriten. tanquam ſenior. Toletanæ ſedis præſtantiæ initium.
648.	686.	Reccesvinthi Regnum an. 23. m. 6. d. 2. h. a incipit. Lex lata ſequenti XII. Cal. Nov. an. Regni	Ante hoc biennium mortuo S. Eugenio II. Tol. Metrop. ſucceſſerat Eugenius III., qui ſedit

Digitized by Google

Res civiles Hiſpaniæ.	*Res Eccleſiaſticæ.*	Anni Chr.	Æra Hiſp.
gni 2.id comprobat. Hiſt.Wamban. cal. Sept. ejus mortem fingens improbat.Concilior.Chronologia procedit. num. menſium aperte fallax forte legend. 10.	dit annos fere duodecim, ut docet Ildef. c. 14. Theodor. Pp. multum exagitatur ob typum Conſtantis Aug.		
Lex Wiſigothor. ſolenniter promulgatur die 21. Octob. legeſque aliæ præſertim Romanæ antiquantur.	Martinus Pp. qui Theodoro ſuccedit ordinat. die 5.Jul. Concil. Later. celebrat typum tamquam impium condemnat.	649.	687.
Officia Palatina Ill.Duces provinciar. Rectoreſque alii Civitatum intereſſe incipiunt Conciliis, quibus ſubſcribunt. Continentia injungitur ſubdiaconis totâ Hiſpaniâ, & Galliâ Narb.	Concil.Toletan. VIII. Nationale præſide Orontio Emeritenſi tanquam ſeniore in Cod.Hiſp. eſt 51. Hinc Primatus Toletani origo incerta.	653.	691.
Formularium antiquũ Marculphi per hæc tempora editur, probabiliter continens Gothor. plerumque formulas, nam primum hujuſmodi docum.ap.Mabill. de re Dipl. eſt Chindaſvinthi privileg.	Dum S. Martinus Pp. in exilium navigans detinetur in Naxo Inſula, Pontificatum abdicat; Romæ creatur clam Imperatore Eugenius: tametſi Martinus eſt ſuperſtes uſq. ad d. 16. Sept. a. ſeq.	654.	692.
Laici Fundatores Eccleſiarum querun tur in Concil. quod baſilicæ permittuntur ruere; indulgetque eis Concil. quoad vivânt, ut ear. ſatagant.	Concil. Tolet. IX. provinciale in Cod. Hiſp. 52. unde aucupantur Juriſpatr. primordia. Vide diſſ. IV. cap. 7. & diſſ. VI. cap. 2.	655.	693.
Uſque ad hunc annum inter Metropolitas Hiſpaniæ nequicquam prærogativa exquiritur: nullis enim argumentis certis potuit poteritque unquam comprobari.	Concil. Tol. X. Nationale in Cod. Hiſp. 53. præſide Eugenio Tolet. Epiſc. Feſtum B. M. V. quod Exſpectatio partus dicitur in eo decernitur d. 18. Decembr.	656.	694.
Creatio S. Ildef. Archiep.Tolet. nono Receſv. an. non expleto, ejuſque mors Januar. menſe an.18. ejuſd. Regis comple-	S. Vitalianus Pp. ordinatur ſucceſſor Eugenii d. 30. Jul. Eugenio Tolet. Epiſcop. ſuccedit S.Ildefonſus, qui ſedet ann. 9. m. fere 2.	657.	695.

Anni Chr.	Æra Hiſp.	*Res civiles Hiſpaniæ.*	*Res Eccleſiaſticæ.*
		pleto, ut teſtatur Julian. initium regni 648. confirmant.	
658.	696.	Gothofred. ad hæc uſq. tempora perducit Romanas Leges in Hiſp. nam vult Recceſvinthum ſuperiori anno promulgaſſe legem Wiſigoth.	S. Ildefonſo Archiep. Tol. incertum quo potiſſimum anno B. M. V. apparet in S. Leocadiæ, ſacramque veſtem elargitur.
667.	705.	Cum Ildefonſo concluditur Liber virorum Ill. ab Iſidoro cœptus, ab eoque continuatus. Suppoſitiones Lucæ Tudenſ. vitandæ.	S. Ildefonſus moritur x. Cal. Febr. eique ſuccedit Quiricus, ad quem datæ extant literæ Leonis II.
672.	710.	Recceſvinthus h. a. moritur, cui ſuccedit Wamba per an. 8. m. 1. d. 14. ſeq. a. pugnat adverſus Paulum ducem alioſque Septimaniæ rebelles quos debellat.	S. Vitalianus Pp. quum ſediſſet an. 14. m. 6. ac bidui, moritur. Succedit Adeodatus. Saraceni Cp. oppugnant ſeptem annis, qui hinc incipiunt.
675.	713.	Diviſio illa celebris parochiarum, ſeu Diœceſeon Hiſp. quæ tribuitur Wambani ad h. a. pertinet. Quæ ſi vera, certe non eſt facta in Nationali Concil. quod perierit, ut vult Baron. nil enim Conciliis hodie certius poſt vulgatum Cod.	Poſt viginti fere annos ſilentii Concilium XI. Toletan. celebratur, Quirico præſidente. Hujus Canon nullus in Cod. num. tantum 54. occurrit. Seq. a. moritur Pp. Adeodatus, eique ſuccedit Donus per an. 2. m. 5. d. 10.
680.	718.	Wamba quum regnaſſet an. 8. m. 1. d. 14. nempe ab ipſis Cal. Septemb. an. 672. h. a. in Monaſterium ingreditur; ſuccedit Ervigius die 15. Octob. regnumque malis quæſitum artibus recte adminiſtrat.	Quiricus Tolet. Metropolit. Hiſpaniar. Primas jam ubique cognitus moritur ſuccedit Julianus die 29. Januar. ſedet an. 10. m. 1. d. 7. uſq; ad d. 4. Mart. 690. Concil. Cp. III. generale VI. celebratur.
681.	719.	Rex Ervigius quanquam inauguratus ab Juliano Primate, ac ſacra per eum unctione coronatus: tamen h. a. in Nationali Concilio vult Epiſcoporum om-	Concil. Tolet. XII. Nationale in Cod. Hiſp. 55. die 9. Januar. anno primo Juliani, qui præſidet tanquam Primas, licet junior cæteris Metrop. In eod. aſſe-

Digitized by Google

Res civiles Hiſpaniæ.

omnium conſenſu confirmari. Ab h.a.certa Epoches conſenſus Regii in electîon. Epiſcopor.cęterorumque Eccl. rectorum.

Legati ab Agathone miſſi Cpolim redeunt cũ Actis Concilii Gen. adverſ. Monothelitas h. a. Agathone jam vita functo, antequam ſucceſſor Leo ordinaretur.

In Hiſpan. diriguntur literæ Leon. II. pro Concil.Gener.VI. cum ejus actis: eo tamen obeunte, ſucceſſoris creatio expectatur; cujus conſecration. quum difficultas temporis moraretur, Petro Regionario is mandat, ne ab ſuſcepto itinere diutius abſtineat.

Argumentum duplex h.a.exhibetur Toletani Primatus: literæ Leonis II. ad Primatem, & Synodale totum negotium pro acceptatione Concil. General. tota Hiſpania tranſactum in Regia Urbe.

Ervigius quũ regnaret octavo anno moritur menſe Nov. eique ſuccedit Egica, cui ſup. anno nupſerat Ervigii filia Taxilo. De ejus regni tempore alii aliam opinionem ſequuntur, eoquod aliquandiu regnarit cũ filio Witiza: nos eos ſequimur, qui ei dant annos fere 15.

Magnas in Hiſp. turbas fecerat improbatio Romana Apologetici per Julianum editi, in quo

Res Eccleſiaſticæ. — Anni Chr. — Æra Hiſp.

ſequitur facultatem creandi Epiſcopos in toto Gothor.Regno privileg. certe ſingulare,at præter S. Sedem.

S. Agatho Pp. qui ſederat an.2. m.6. d. 14. a die 26. Jun. 679. quum ſucceſſit Dono, moritur: daturque ei ſucceſſor Leo II. qui poſt Sed. Vac. 7. m. ordinatur. — 682. 720.

Concilium Toletanum XIII. Nation. in Cod. Hiſp. 56. prid. non.Novemb. Quo ſoluto Concilio, atque Epiſcopis fere omnibus ad ſua profectis, exeunte nimirum anno, vel ſeq. initio Acta Conc. Gener. cum Leonis literis veniunt. Pp. erat mort. d. 3. Jul. h. a. — 683. 721.

Concilium Toletan.XIV. mere provinciale, in Cod.Hiſp.57. tametſi neque hujus, nec ſuperiori a. habiti ullum decretum adhibeatur. Concil. Gener. novo more diſcutitur, inde acceptatur tota Hiſp. — 684. 722.

Anni ſinguli præcedentes ſuũ habuerunt Rom. Pontificem. Nam 684.ſedebat Benedictus II. 685. Joannes V. 686. Conon; hoc autem anno fere elapſo die 15.Decemb. ordinatur Sergius, qui ſedet annos fere 14. expletque ſeculum ſeptimum. — 687. 725.

Concil. Toletan. XV. Nationale in Cod. Hiſp. 58. tametſi nullatenus adhibeatur. Singula- — 688. 726.

Anni Chr.	Æra Hiſp.	*Res civiles Hiſpaniæ.*	*Res Eccleſiaſticæ.*
		quo agitur de tribus ſubſtantiis, quare in Concilio quæſtio clarius exponitur: ſimulque de Egicanis rebus ab Epiſcopis ſerio agitur.	lare eſt ejus initium ob venerationem qua Princeps ſacrum cœtum adit, alloquitur ſupplex, oratque ut ſe & ſuos tueatur.
690.	728.	Abimelechus Califa Saracenor. Meccam Arabiæ urbem Mahumedis ſepulchro celebrem expugnat, Haſanoque Duci Occid. creato expeditionem committit in Africam, quam ſeq. anno invadit, Carthagine exciſa. Hinc inhiare Hiſpaniis cœperunt barbari.	Julianus Hiſpaniar. Primas, Toletanus Metrop. quum ſediſſet an. 10. m. 1. d. 7. moritur d.6. Mart. conditur in S. Leocadiæ ſuccedit ei Siſbertus de quo infra. Seq. a. celebrat. Concil. Cæſaraug. ab Aguir. edit. cujus nulla in Cod. Hiſpan. occurrit mentio.
693.	731.	Egica Rex Gothor. periclitatur: at detectis qui ſcelus meditabantur, quos inter erat Siſbertus Archiep. Tolet. res componitur. In Judæos perfidia agitatos lex fertur.	Concil. Tolet. XVI. Nationale in Cod. Hiſp. 59. in quo deponitur Siſbertus Tolet. Primas Sediumque fit translatio: Felix ex Hiſpal. ad Toletan. ſedem transfertur.
694.	732.	Et h. a. Hiſpania agitatur Hebræor. motibus. Quare iidem in ſervitutem redacti omnes. Lexque in Concilio lata eſt de eorum liberis per vim eripiendis, chriſtianeque educandis.	Concilium Toletan. XVII. in Cod. Hiſp. 60. & ultimum ex Toletanis, tametſi AA. contendunt exeunte h. ſeculo, ſeu ſequenti ineunte celebratum eſſe alterum, quod perierit.
697.	735.	Egica Witizam fil. conſortem regni facit, Tudæ in Gallæcia Sedem regni ejus fore ſtatuit. Witiza eo profectus Favilę Cantabriæ Ducis filiam vitiat, Favilam necat.	Proludium calamitatis Hiſpanæ. Favila contumeliam, inde mortem paſſus ſpiritum vertiginis in Witizæ caput infudit: ita ut deinceps tyrannus potius quam Rex Catholicus videatur.
701.	739.	Egica cum regnaſſet annos decem ſolus, quinque cum filio Witiza obit ſupremum diem. Witiza ſolus tyrannidem libere paſſimque exercet viam Sara-	Sergio Pp. mortuo ſuccedit Joannes VI. ordinatus die 30. Octob. Per hæc tempora ſedebat in Toletana Sede Gundericus, qui & Concilio Tol. XVIII. di-

Res civiles Hiſpaniæ.	*Res Eccleſiaſticæ.*	Anni Chr.	Æra Hiſp.
racenis parat invidiam ſibi ſuorum colligens, atque imprudenter præſidio omni Hiſpaniam nudans.	dicitur præſediſſe. Incerta omnia: id certum, quod Witizæ opera & Civiles & Eccleſiaſticæ res ruebant in præceps.		
Muza Africæ Prorex a Califa Walid eo miſſus Mauritaniam Tingitanam invadit Tingin expugnat: adorſus Gothor. ditionis præcipuum oppidum Septa, vulgo *Ceuta* a Juliano Comite urbis præfecto rejicitur.	Joannes VII. Pp. qui Joanni VI. ſucceſſerat an. 705. Calen. Mart. quum ſediſſet a. 2. m. 7. moritur 18. Octob. ſuccedit Siſinnius paucor. dier. Pontifex: cui eſt ſuffectus probab. ſeq. a. Conſtantinus, ordinat. 25. Mart.	707.	745.
Witiza Rex impius & crudelis qui Hiſpanam rem perdidit, moritur, duobus relictis filiis, quibus poſthabitis in odium patris Gothi Rudericum levant brevi regnaturum.	Epocha infauſta Eccleſiæ Hiſpanæ ſuper. ſeculo feliciſſimæ ac beatiſſimæ. Julianus Comes juncto fœdere cum Muza Prorege Afr. invaſionem Hiſp. illi ſuadet: ad Fret. Gaditan. excurrit.	710.	748.
Rudericus Juliano Comiti Hiſpaniam ingreſſo cum Tareko & 12. millibus armatorum occurrit. Hiſpani armis deſueti ultima afficiuntur clade, Rex Rudericus perit, ne cadavere quidem reperto.	Ruina Eccleſiis ac deſolatio imminet: nam Julianum conſequuti Arabes Mahumetani innumeri urbes paulatim expugnant: omnia peſſumdant: de Eccleſiaſticor. tamen internecione nulla hiſtor. loquitur.	711.	749.
Aſturiæ regnum incipit. Hiſpani enim quos puduit inter Saracenos degere poſt cladem, in Aſturũ montes ſe recipiunt, Regem creant Pelagium Favilæ Cantabrum Ducis filium, cujus ſororem Witiza vitiaverat.	Pejora h. a. Eccleſia Hiſpana ſuſtinet. Muza ipſe Africæ Prorex auditis Tareki victoriis transfretat cum 12. millibus armatorum. Medinatſidoniam, Carmonam, Hiſpalim expugnat. Tum vero Catholicor. reliquiæ ad Aſtures ſe recipiunt.	712.	750.
Julianus Comes & filii Witizæ capite truncantur Muzæ juſſu, qui factionis autores eos credidit; quum magna clade eſt affe-	Eccleſia in montibus relegata ſenſim coaleſcit: & eſt mirabile Dei O. M. conſilium; nam regia ſoboles & cum primis catho-	713.	751.

Digitized by Google

Anni Chr.	Æra Hiſp.	*Res civiles Hiſpaniæ.*	*Res Eccleſiaſticæ.*
		affectus a Pelagio Aſturum Rege.	tholica fides illibata perſeveravit uſque ad meliora tempora.
714.	752.	Muza, quo jubente meritas luerunt pœnas proditores Julianus & Witizæ filii, revocatur in Syriam a Walid Califa, ibique Tareko accuſatore damnatus peculatu mille millib. & decies cent.mill. ſolid. in exil. mittitur.	Hiſpanis qui inter Saracenos remanſerunt, liberum fuiſſe tradit Marca Marc. Hiſp. lib.3. cap.2. vivere Chriſtiano more: habuiſſe Judices e ſua gente, Comitumque dignitatem priſtinam; non tamen ſemper, ſed aliquor. Califarum tempore.

F I N I S.

INDEX

Digitized by Google

INDEX
Rerum aliquot præcipuarum.

A

ABbatis electio Benedictina & Iſidoriana. pag.326. In Hiſpaniis fiebat ab Epiſcopis. 294. In Catalonia cœpit electio Bened. per IX. Secul. 306.
Acta Concilii VI. Generalis feruntur in Hiſpan. 57.
Aemiliani S. Monaſterium, ejuſque vera biſtoria. 287.
Africa, ejus vices per ſec.VI. 282. Ejus judicior. Eccleſiaſticor. cum Hiſpanis diſcrimen. 148.
Agapius Cordubenſis Epiſc. Canonum violator. 135.
Aguirrii Card. conjectura rejicitur. 329.
Alaricus Rex Gotbor. Arian. primus leges tulit ſuæ genti. 27.
Amalarii locus de confract. Oblatæ. 353.
Anatbemata infligi ſolita a Regibus, Ducibus &c. in privilegiis, aliiſque actis publicis. 27.
Anglicanæ Eccleſiæ ordinatio S. Gregorii M. 255. Duas in Eccleſiaſticas provincias diviſa. 257.
Anianæ Abbas Benedictus collector Regularum. 319.
Aniani Breviarium, ſeu Lex Alarici. 27. 29.
Annonarii Officia Palatina Gotborum. 31. 41.
Anonymi Ravennatis de Wandalis Afr. ſententia. 282.
Apologeticus Juliani Toletani duplex. 57.
Apoſtolicæ Sedis Epiſcopus ſolus Rom. Pont. 53.
Appellationes apud Hiſpanos variæ. 151. *a Metropolita ad Metropolitam. 152.*
Arcani diſciplina in ſacris ordinationibus. 110.
Arcbipresbyteri officium. 333.
Arelatenſes Metropolitæ Vicarii Apoſtolici. 248.
Ariamiri Regis Suevor. Ariani filius ſanitatem a S. Martino Turon. recipit ex patris voto. 275. *Idem Rex S. Martino voverat Ædem ſacram. 274.*
Auguſtinus S. de optimo Principe. 14.
Auguſtinus Monacbus Anglor. Apoſtolus inſtituitur Primas. 256. Non tamen in Galliis. 250.
Autores Etbnici, & beretici ab Hiſpan. ablegantur. 49.

B

Baronii Card. lapſus Chronologicus. 201. *Idem cum Ant. Pagio de Gregorii reditu Cp.* 213.
Baſilicarius eſt Sacriſta. 335.
Beliſarius Wandalos Africæ debellat. 282.
Benedictus II. Pp. de Actis Concil. Gener. VI. in Hiſpaniam deferendis. 47.
Benedicti S. Regula in Hiſpan. recipitur. 305. *de ejuſdem propagatione opiniones variæ.* 312. *Admittit pueros in Monaſter.* 314. *In Galliis nota per octav. ſeculum.* 318. *Ejuſdem diſcrimen cum Hiſpanis.* 326.
Benedictus Anianæ Abbas. 319.
Benedictus Barcinon. Epiſc. ſcribit ad Mabill. de Monaſterio Biclarenſi. 289.
Beneficior. Hiſpaniæ origo. 162.
Bernardus Monachus Cluniac. fit Toletanus Archiepiſcopus, Hiſpan. Primas. 264.
Biclarenſis Joannes fundat Monaſterium a quo habet nomen. 287. *cujus locus hodie incertus.* 289. *ſcribit Chronicon.* 216.
Blanchinius Præſul Franciſcus de S. Pallio. 231.
Blanchinius P. Joſeph Franc. nepos de Officio Iſidoriano ab ſe edito. 332. 347.
Bona Ven. Card. conjicit de S. Pallio quidquid docet. 244. *De liturgia Hiſpana.* 349.
Bracarenſis Metropolis juriſdictio vetus. 188.
Braulionis Epiſtola ad S. Iſidor. de electione Epiſcopi cum Principis conſenſu. 129.

C

Canones in Hiſpania vigent. 47.
Cañas P. vulgo Anonymus de Primatu Hiſpal. Eccl. 187. *conatus ejuſdem eluditur.* 223. 249.
Carthaginenſis Afr. Primatus. 193. 229.
Caſtimonia Cleri Hiſpani. 140.
Cataloniæ Monaſteria ab aliis Hiſpanis diverſa. 305.
Catholici regni origo. 3. *id cognomentum quando acceſſit Regibus.* 19.

Cauſæ

Digitized by Google

Cauſæ Epiſcoporum quomodo in Hiſpaniis cognoſcebantur. 64. *Majores ſemper Rom. Pont. reſervatæ.* 157. *ab eodem judicantur.* 57. 146. *Minores ab Epiſcopis.* 148. *Eccleſiaſticæ omnes in Conciliis apud Hiſpanos.* 150.
Centenarii Officia Palatina Gothor. 30. 41.
Chindaſvinthi Regis Gothor. privilegium. 21. *de ejus regno opiniones.* 64.
Chorepiſcopi ſeu presbyteri: eorum munus & officium. 137.
Chriſtianiſſimi cognomentum quando cœpit. 20.
Cixilo Regina uxor Egicæ R. Gothor. 8.
Cleri Hiſpani gradus omnes & officia. 112. *& ſeqq.*
Clerici laxantes diſcipl. in Monaſter. relegantur. 297. *Continentiam præcipue violant.* 120. *Sacram. fidei præſtant Regibus.* 22.
Codex Regularum apud Hiſpanos. 319.
Comitatuum origo. 35.
Comites Gothor. Officia Palatina primi ordinis. 30. *diverſa genera.* 33. *adminiſtrant Civitates. Ibi. ſunt etiam off. Caſtren.* 37.
Comitia Regni diverſa a Conciliis. 83. *varii generis.* 86. *Negotia in iis agitata.* 88.
Comitia Gallicana perperam comparantur cum Conciliis Hiſpaniæ. 98.
Comitiolus Dux provinciæ Bæticæ. 146.
Commendæ Monaſterior. laicis factæ eorumd. ruina. 308.
Compulſores exercitus, Offic. Caſtren. Gothor. 31. 41.
Concilia Generalia convocata a Principibus. 93. *tum ipſa tum localia a viris doctiſſimis digeſta.* 228. *Conſtantinop. duo V, & VI, nequicquam convocata dicuntur a Principe.* 94. *Chalcedonenſis Can. IX. ab Hiſpanis explicatur.* 151. *Generale V. ignotum Hiſpanis.* 55. 69. *Generalis VIII. decretum de Patriarchis.* 185.
Concilia Hiſpana Nationalia, & provincialia. 69. *eorum celebrationis tempus.* 70. *non erant Comitia Regni.* 71. *Iis Reges non intererant.* 86. *Officia Palatii intererant, & ſubſcribebant.* 31. *Convocabantur a Principe.* 89. *eorum dignitas vindicatur.* 97. *nonnulla ſunt mutila.* 87. *Adverſus Judæos decernunt, præcipue Toletana VI. & VIII. Nationalia.* 14. *cognoſcunt de cauſis omnibus Eccleſiaſticis.* 150. *Ordo generalis ea celebrandi acceptus refert. Hiſpanis.* 73.

B

BAronii Card. lapſus Chronologicus. 201. Idem cum Ant. Pagio de Gregorii reditu Cp. 213.
Baſilicarius eſt Sacriſta. 335.
Beliſarius Wandalos Africæ debellat. 282.
Benedictus II. Pp. de Actis Concil. Gener. VI. in Hiſpaniam ferendis. 47.
Benedicti S. Regula in Hiſpan. recipitur. 305. de ejuſdem pagatione opiniones variæ. 312. Admittit pueros in ſter. 314. In Galliis nota per octav. ſeculum. 318. diſcrimen cum Hiſpanis. 326.
Benedictus Anianæ Abbas. 319.
Benedictus Barcinon. Epiſc. ſcribit ad Mabill. de M… clarenſi. 289.
Beneficior. Hiſpaniæ origo. 162.
Bernardus Monachus Cluniac. fit Toletanus Hiſpan. Primas. 264.
Biclarenſis Joannes fundat Monaſterium a… 287. cujus locus hodie incertus. 289. ſcr…
Blanchinius Præſul Franciſcus de S. Pall…
Blanchinius P. Joſeph Franc. nepos de … edito. 332. 347.
Bona Ven. Card. conjicit de S. Pallio… liturgia Hiſpana. 349.
Bracarenſis Metropolis juriſdictio…
Braulionis Epiſtola ad S. Iſidor. … cipis conſenſu. 129.

CAnones in Hiſpani… Ca… …
con…
Carthag…
Caſtimo…
Catalon…
Catholi… bu…

admi-
etiam
dationis
133.
ab Eccleſiaſti-
partes. 174. in
provincia Eme-
29.
58.
orum doctrina, & ſan-
adhibebant. 49. Cino-
Eligi incipiunt a Regi-
m. 135. Autoritas in Cle-
Reges. 18. 44. In Officia
uerunt beneficia Eccl. 163.
Monaſterior. inſtituebant. 298.
itiis eligebant Reges. 5. Leges
rumque prole. 7. & ſeqq. Præſta-
tum fidei. 22. Eorum aliquot ava-
Conciliis. 82. 142. 155. Punitio ob
um bona. 294. 300.
, & Commendatarii, non domini bono-
. & ſeqq.
litæ S. Pallium adepti. 237.
uant in aliena juriſd. 260.
ii & Stephani depoſitio. 146.
pus a pueritia Monachus. 314.
VII. ſeculo. 10. 23.
Abbatis & fundatoris Monaſterii Servita-
oſtea ſucceſſor. 281. cum S. Leandro Conci-
digerit. 220. Ejus epiſtola, unde eruitur Re-
ii Servitani. 321. Eu-

Eutychius a S. Gregorio tunc diacono debellatus. 213.
Excellentiæ titulus RR. Catholicis datus. 28.

F

FErdinandus Rex Catholicus non eſt primus omnium Regum Hiſp. qui cognomentum id aſſequeretur. 19.
Formoſus Pp. poſt mortem vocatur in judicium. 159.
Fundationis, & dotationis tituli ante octav. ſeculum res inaudita. 302.
Fundatores Eccl. nil juris acquirebant. 164.

G

GAlli norunt regulam S. Benedicti eo vivente, & per octav. ſeculum amplectuntur. 318.
Gallicana Eccleſia miſera VII. ſeculo. 101.
Gallicani Metropolitæ ultro ſe ſubjiciunt Rom. Pontifici. 239. 263
Gardingi Officia Palatina Gothor. primi ordinis. 29. 30. 38. *& ſeq.*
Gelaſii Sacramentarium Hiſpanis ignotum. 350.
Gilimeres Rex Wandalor. Beliſarii triumphum ornat. 283.
Gloria titulus majeſtati Regum reſpondens. 28.
Gordianus Hiſpalenſis Epiſc. fictitius. 46.
Gothica omnis nobilitas jus habet ad regnum. 7.
Gothofredi opinio rejecta. 27. 29.
Gothorum Regum Catholicorum nomina. 1. *Ingenium.* 4. *mira diſpoſitio pro regni adminiſtratione.* 29. *& ſeq.*
Gratianus de jurepatronatus non recte. 164.
Gregorius M. Apocriſarius Cp. Pelagii II. 212. *Libros moralium in Job conficit Cp.* 214. 219. *Gratulatur Reccaredo ob deteſtatam hæreſim.* 19. *Leandro ſcribit de trina merſione.* 51. *ejus judicium de depoſitione Epiſc.* 156. *De Regula S. Bened. agit.* 317. *eripit Epiſcopis Italiæ jus in Monaſteria.* 303. *laborat podagra.* 223. *Sacramentarium digerit.* 351. *Epiſcopum reprehendit, quod Grammaticæ artem docet.* 246. *ejus quatuor omnino Epiſtolæ Hiſpanis notæ.* 47.
Gregorius Patriarcha Antiochenus. 215.
Gregorius Turonenſis de duobus SS. Martinis. 274.

Hen-

H

HEnſchenius Godefridus laudatur. 275. Idem cum Cointio de S. Hermenegildi martyrio parum exacte agentes arguuntur. 218.
Hermenegildi S. hiſtoria, & martyrium. 215.
Hierarchicus ordo Eccleſiaſticus. 271.
Hincmarus Remenſis Epiſc. reprehenditur. 91.
Hiſpalenſis metropolis inanis conatus adverſus Toletan. Primatum. 187.
Hiſpalis fit ſedes regia Hermenegildi. 215.
Hiſpanæ Monarchiæ principium. 3. ea eſt ſingularis in Occid, per ſec. VII. 10.
Hiſpani Epiſcopi Concil. Generale VI. diſcutere auſi. 160. ob commercii privationem cum S. Sede non ſemel peccant. 56.
Hiſpania non novit Regulam S. Benedicti ante nonum ſecul. 319. Sex habuit Metropoles Eccleſiaſticas. 62.
Holſtenii Lucæ opinio de Monachatu ſeptem prior. Eccl. ſeculorum. 313.
Honorius Pp. ob conniventiam, quia publicæ tranquillitatis nimium amans naſcentem hæreſim non repreſſit, damnatur in Conc. gener. VI. 60. 201.

I

ILluſtres titulus Officior. Palatii primi ord. 32.
Immunitas bonorum Eccleſiæ. 178. Localis, & perſonalis. 180.
Imperii Romani imminutio poſt Conſtantinum. 93.
Innocentius III. de Regno, & Sacerdotio. 24.
Joannes Defenſor Judex in Hiſp. a Greg. M. miſſus. 146.
Joannes Diaconus ſcriptor Vitæ S. Greg. M. de hujus mora Cp. apud Imperator. 213.
Joannes Illicitanus Epiſc. Ap. Sedis Vicarius. 249.
Joannes Juſtinianæ I. Epiſcop. Pallium accipit. 287.
Irinæi Barcinonen. Epiſc. tranſlatio præter Canones. 158.
Iſidorus S. Hiſpalenſis Epiſcopus autor Epiſtolæ de Officiis Eccleſ. ad Laudefredum. 113. A S. Sede nunquam accepit Pallium. 222. Concilio Tolet. IV. præſidet tanquam ſenior Metropolita. 229. Scribit Regulam Monachis Monaſterii ab ſe

ſe de more fundati. 320. Diverſa eadem eſt a Regula Monaſt. Servitani. 323. Scribit libros de Officiis Eccl. Fulgentio Fratri. 136. Ritus Officior. divinorum Iſidorianus, Gothicus etiam dictus obtinet tota Hiſpania. 337. Idem depravatus. 346.
Iſidorus Mercator ſuis additionibus diſciplinam Eccleſiæ omnem veterem miſcet. 106. & ſeq.
Iſidorus Peluſiota de S. Pallio. 238.
Judæi exagitantur in Hiſpania. 14.
Judicaturarum ſequior. ſeculor. origo. 35.
Judicia Eccleſiaſtica apud Hiſpanos. 65. 144. & ſeqq.
Julianus Toletanus. Vide Apologeticus.
Juramentum, ſeu promiſſio Epiſcopor. 134.
Juſtinianus devictam ab ſe Africam ordinat. 282.
Juſtus Toletan. Archiep. a puero Monachus. 314.

L

LAici deſinunt intereſſe Collationib. triduanis Concilior. 82.
Laicus Patronatus. Vide Patronatus.
Langobardica tyrannis in Italia. 213.
Laurentius Archidiac. R. E. Apocriſarius Cp. Greg. M. 214.
Leander S. fit Epiſcopus Hiſpalenſis. 216. Aliqua ex ejus operibus. 217. ob fidei cauſam Cp. proficiſcitur. 215. Ibi magnam cum Gregorio tunc Apocr. conſuetudinem contrabit. 211. 219. laborat podagra. 223. moritur. 225. de emortuali anno opiniones variæ. Ibid.
Lector apud Afros & Hiſpanos epiſtolam Pauli, & Evangelium legebat. 114.
Leges Gothorum primæ. 26.
Leges propriæ Gothorum Romanas antiquant. 29.
Leonis M. epiſtola ad Anaſtaſ. Theſſalonicenſem de ſubordinat. Epiſcopor. 54.
Leonis II. Epiſtolæ quatuor in Hiſpaniam miſſæ pro Conc. generali VI. 47. olim controverſæ. 200.
Leovigildus omnium primus Regnum Hiſp. ad majeſtatem elevat. 3. Filium Hermenegildum inſectatur. 215. moritur. 3. reſipuiſſe ante obitum dicitur. 218.
Licinianus Carthaginenſis Epiſc. de S. Leandri reditu Conſtantinopol. 214.

Lites

Digitized by Google

Lites apud Gothos non protelabantur. 42.
Liubigotho Chintilanis Regis uxor. 8.

M

MAbillonius P. diploma primum exhibet ex Hiſpan. 21. *Anceps de Monaſteriis Hiſpaniæ*. 285. *Deque eorum Inſtituto: quod vellet S. Benedicti*. 312. *Impoſturam eorum fundationis novit*. 288. *De liturgia Iſidoriana quid ſentiat*. 349.
Marca Petri de, opinio de Pallio rejicitur. 268. *reprehenditur ejus libertas male hærens*. 239.
Marciani Imp. alloquutio ad PP. Concil. Generalis. 85.
Marculfi Monachi formularium ex monum. Hiſp. 21.
Martinianus Ravennas Metrop. Pallium accipit a S. Sede. 237.
Martinus S. Bracarenſis fundat Monaſt. Dumienſe. 273.
Martinus S. Turonenſis, ejus reliquiis in Gallæciam allatis, ædem Sacram, & cultum ibi habet. 274.
Martyrum acta a Notariis excipiebantur. 117.
Maurini Patres laudantur. 214. *Gregorii M. epiſtolas turbant*. 261.
Maximianus presbyter Cp. rediens pene mergitur. 213.
Metropolitani Epiſcopi in Hiſpania æqua pollent autoritate ante Primatum Tolet. 63. *S. Pallio confirmari non cœperunt ante Saracenos expulſos*. 45.
Metropolitani Epiſcopi per Italiam & Illyricum traditione S. Pallii confirmabantur. 252.
Metropolitani Epiſcopi per S. Pallium confirmati inſtar ſunt Vicariorum S. Sedis. 67.
Millenarii & Quingentenarii Officia Caſtrenſia Gothor. 30. 41.
Miſſa Gothica ſeu Iſidoriana. 335. 337. 340.
Miſſale Gothicum Iſidoriani ritus. 339.
Monarchiæ Hiſpanæ initium. 3.
Monachatus nomen generale Religioſorum, ut Clericorum Clerus. 312. 328.
Monachus nihil eſt aliud quam vitæ contemplativæ quis vacans. 315. *Hiſpanor. Monachor. ingenium*. 316. *Explent munera Canonicorum*. 279. *Quæ eorum ſtudia*. 48.
Monaſteria in Hiſpaniis ab Impoſtoribus excogitata. 255.
Monaſteriorum Hiſp. origo, & natura. 272. *Primi eorum fun-*

datores non Epiſcopi. 290. eorum perpetua, & omnigena ſubjectio Epiſcopis. 304. eorum bona a laicis dilapidata. 308. eorum fundationis & dotationis tituli per VII. ſecul. ignoti. 302. Diſcrimen inter fundata ante Saracenos, & poſt eoſdem expulſos. 305. ex iis optimi prodierunt Epiſcopi. 48.
Morinus Joannes a Luca Tudenſi deceptus. 227. 229.
Moz-arabica liturgia ab Iſidoriana diverſa. 338. ejus ritus ſingularis in fractione oblatæ. 354. Variationes detectæ. 348.

N

NArbonenſis Provincia Eccleſiaſtica juxta notitiam. 186. Metropolitæ ejus conditio poſt Saracenos. 185.
Nicolaus I. falſo arguitur tanquam quid molitus contra Gallicanos Epiſcopos. 239.
Noris Card. Henrici ſententia de convocatione Conciliorum a Principe. 91.
Notarii Acta Martyrum brevib. notis excipiunt. 117.
Novatorum indoles, & verſutia. 61.
Numerarii Gothor. officia inferior. ordinis. 31. 42.

O

OBlatæ confractio in tres partes apud Latinos, in quatuor apud Græcos. 353. Qualis in Hiſpania. 352. Moz-arabici ritus ſingulariſſima. 345.
Oblationes fidelium in Eccleſ. 164. & ſeqq.
Oeconomi bonorum Eccleſiæ ab Epiſcopis deſignandi. 172.
Officia Divina tam Clericis quam Monachis Hiſpan. communia. 297.
Officia Eccleſiaſtica, ſeu omnia Clericor. munera. 112.
Officia Palatina Gothorum Regum. 25. 30. eorum quæ erant primi ordinis, Duces nimirum & Comites convocabantur ad Concilia, quibus intererant, & ſubſcribebant. 31. 72. 84. 96.
Ordinationes Sacræ olim arcanæ, poſtea ſcriptis mandatæ. 109. & ſeqq.
Ordo Conciliorum depravatus in Galliis. 100.
Ordo Divini Officii, qui & Matricula. 335.

Ordo, ſeu Regula Monaſtica particularis in Hiſpaniis ante Saracenos nequicquam quæritur.

P

Pacis Aſſertores Officia Caſtrenſia Gothorum. 31. 42.
Pagius Antonius ad cenſuram vocatur. 212.
Pallium S. Pontific. Patriarchale, & Archiepiſcopale. 211. *& ſeqq. Inſignis Pallii Pontificalis origo.* 231. *Non eſt Imperatoria veſtis.* 232. *Diſciplina ejus vetus & nova.* 251. 263. 266. *Plenitudinem poteſtatis præſefert.* 265. *ejus ingenium.* 237. *rarus olim uſus.* 235. *nulla olim privilegia per ſe inferebat.* 241. *Petitio & cauſarum merita exigebantur pro ejus conceſſione.* 226. 240. *Meris etiam Epiſcopis olim conceſſum.* 245. *Vel non petitum propter cauſarum merita.* 248. *Orientalis cum Occidentali diſcrimen.* 233. *Per illud confirmantur Metropolitæ.* 185. *Quæ diſciplina cœpit in Anglia.* 255. *ei adnexum nomen Archiepiſcopi.* 230.
Pallium ſemel in Hiſpanias miſſum Leandro non ſuperſtiti. 220. *Ab Hiſpanis vulgare munus habetur.* 222.
Pancirolus de Numerariis dignitat. Imper. 43.
Pantinus de Officiis Palatinis Gothor. non recte. 32. 38. 40.
Parlamenti Gallici initia. 99.
Parochiales Eccleſias in Monaſteria converti fas erat. 293.
Patres Hiſpani ſec. VII. falſò inſimulantur hæreſis. 246.
Patriarchæ, & Primates S. Leonis ævo. 189.
Patriarchæ Pallio confirmant Metropolitas ſubditos. 185.
Patriarchalium trium ſedium unitas, & diſtinctio. 234.
Patronatus origo falſa apud Gratianum. 164. *Perinde falſa de eodem opinio Juriſconſultor. Hiſpaniæ.* 310. *Jura ejus leviter creduntur inſtituta in Concil. Tolet. IX.* 168. *Ante invaſionem Mauror. Patronatus nomen res prorſus nova & inaudita.* 171. *In Monaſteriis prætenditur nullo omnino jure.* 299. *Ab Eccleſiis & Monaſteriis Cataloniæ aperte rejicitur.* 306.
Paulus Dux in Wambanem Regem ſuum inſurgit. 6.
Pelag. II. omnium primus continentiam injungit Subdiaconis. 116.
Politia Regum Gothorum. 29.
Poloniæ regnum male comparatur cum priſco Wiſigothorum. 9.
Potamius Bracarenſis Epiſc. ob incontinentiam deponitur in Concilio. 82. 142. 155.

Præpoſitus Monaſterii quid. 298.
Presbyteri non judicant in Conciliis. 79. *Iidem nullo jure admiſſi ad judicandum*. 100. *non judicare illis permittitur, ſed ſedere, quod Diaconis nefas*. 105.
Presbyteri & Diaconi judicantur in Concilio provinc. 148.
Primates antiqui a S. Sede non inſtituti. 196.
Primates & Patriarchæ poſt an. M. idem ſunt. 209.
Primates Africæ idem ſunt ac Metropolitæ. 195.
Primatus Achridenſis in gratiam Juſtiniani, cujus patria erat, inſtituitur. 254.
Primatus Carthaginenſis Africæ. 193.
Primatus Hiſpaniar. Toleti. 184. *Notus Rom. Pontifici, at incertæ originis*. 199. *In Conc. Tolet. XII. amplificatus*. 203.
Primicerii Officium. 333.
Principes convocant Concilia quiſque ſui Regni. 94. *Iis enim multa tribuuntur honoris gratia, non autoritatis*. 207. *Autoritas quidem Principum neceſſaria Eccleſiæ in contumaces*. 63. *Vere autem eſt patrocinium, non autoritas*. *Ibid*.
Proceres, Primores, Primates, qui? 32.
Profeſſio Catholicorum Regum dum coronabantur. 13. 15.
Profuturus Bracar. Metropolita conſulit S. Sedem de præcipuo Fidei Sacramento. 337.
Promiſſio & cautio Epiſcopi in ordinatione. 133.
Pſalmiſta, & ejus Officium. 139.
Pueri Monaſteriis devoti. 313.

R

RAvennas Metropolita abutitur S. Pallio. 235.
Reccaredus primus Regum Catholicorum. 3. *Primus omnium coronatur*. 11. *ejus Regni principium*. 217.
Recurſus Eccleſiaſticorum ad Regem. 153. *& ſeqq*.
Reges Catholici in Deum pietate, obſequio in Epiſcopos clari. 18. 20. 44. *nonnulli inlaudabiles*. 9. *eorum electio fiebat ubiquumque anteceſſor moreretur*. 5. 86. *Coronabantur Toleti ab Urbis Regiæ Epiſcopo*. 12. *Iſraelitico more inungebantur*. 16. *Improbi exautorabantur*. 17. *Epiſcoporum Decretis erant obnoxii*. 9. *Utique frequentibus proditionibus*. 6. *Profeſſio ab iis emiſſa inaugurationis tempore*. 13. *convocabant Concilia*. 89. *Quanta cum veneratione alloquebantur*

tur Epiſcopos. 84. *Quomodo fundatores Monaſteriorum appellantur.*201. *Quæ eorum autoritas in Eccleſiæ rebus.*152.
*Reges convocant Concilia juſſu Pontificis Rom.*90.
Regia proles mortui Regis defenditur Sacris Concil.legibus. 7.
Regiæ Nominationes nimis alte petuntur a Loaiſa. 129.
Reginam Viduam Sacræ Concil. leges tuentur. 7.
Regium patrocinium a fundatoribus Eccleſ. petitum. 308.
Regni & Sacerdotii concordia. 2.
Regnum Gothicum erat electivum. 7. 9.
Rex audit nonnullas Epiſcopales cauſas. 64.
Regulæ Monaſtica Hiſpanor. Monaſterior. variæ. 320.
Religioſi nomen generale amplectens Clericos,& Monachos. 295.
Rodericus Tolet. Archiep. ſcriptor parvæ fidei. 46. 63.
Romanus Pontifex ſuprema utitur poteſtate in univ. Eccleſiam. 51. *eſt ſummus Judex in Cauſis majoribus.* 146. 157. *Irritat translationes factas præter Canones.* 158. *Ejus ſola doctrina eſt infallibilis.* 58. *Sola ejus autoritate Hiſpani definiunt rem momenti.* 54. *Ejuſdem vigilantia neceſſaria in provinciis longe diſſitis.* 55. *Tempore perſequutionum creatio ſucceſſoris ab unoquoque fiebat Pontifice, quum Martyrium imminere ſentiebat.* 233.
Rom. Pontifex Catholici titulum Hiſpanis Regibus inſtaurat. 20. *Ruinartius de rebus Vvandalorum Africæ.* 283.

S

SAcramentaria Leonis, Gelaſii, Gregorii Hiſpanis ignota. 336. 350.
Sacramentum fidei ab Epiſcopis & Clero Regib. præſtitum. 22.
Sajones, ſeu Apparitores Gothorum. 31.
Salgadus, cæterique J. Conſulti Hiſpani arguuntur. 310.
Salluſtius Hiſpal. Metrop. Vicarius Apoſtolicus. 249.
Sancta Regula non recte ſumitur pro Benedictina. 327.
Sammarthani decepti ſuper Pallio Arelatenſi. 261.
Sardicenſis Concilii Canones in Hiſpaniis ſervati. 47. 146.
Scriptura Sacra præcipuum Epiſcoporum ſtudium. 50.
Sedis Apoſtolicæ neceſſaria vigilantia in Eccleſ. cæterarum Epiſcop. 153. *Nullum aut rarum admodum commercium cum Hiſpanis ſec. VII.* 46. 63.
Seniores Palatii Gothorum Regum. 29.

Ser-

Servi Dominici ſeu compulſores exercitus. 41.
Servitanum Monaſterium. 273. *Ejus Regula*. 322. *Fundationis ejus ætas*. 281. 291.
Simonia condemnatur in Hiſpaniis. 182.
Sisbertus Primas Hiſpaniarum depoſitus. 155. 92.
Sixtus IV. duas Metropoles in Anglia excitat. 257.
Sommier, Claudii Archiep. chronologicus lapſus. 58.
Subdiaconatus in Hiſpaniis ante S. Iſidorum ordo minor. 120. *Secus in Carthaginenſi Provincia*. 123. *Continentia eidem injungitur*. 115. *Romæ adnexa ei ſemper fuerat*. 117. *In toto Gothorum Regno eadem præcipitur*. 125. *Ad ſacrum ordinem extra Hiſp. non elevatur ante ſeculum XII.* 118.
Subdiaconorum officium a prima inſtitutione. 117.
Suintbila R. Gothorum exautoratur ab Epiſcopis. 17.
Suevorum Regni duratio, & exitus. 217.
Syagrius Auguſtodun. Epiſcopus obtinet uſum Pallii. 240.
Symbolum Cp. cani juſſum ab Hiſpanis Epiſcopis. 343.
Symmachus Papa omnium primus concedit Pallium. 231.

T

Tamayus Joannes Martyrologus Hiſpan. illuditur. 280. 287.
Tarraconenſis provincia poſt Saracenorum expulſionem. 187.
Tertia pars parochialis pro reparanda Eccl. 174.
Tertiarum Hiſpaniæ origo, antiquitas, natura. 173. & ſeqq.
Theodoricus Ital. & Hiſp. Rex inſtaurat dignitates Imperii. 26. *Edictum, ſeu Leges fert*. 27.
Theſaurarii Officium Eccleſiaſticum. 334.
Theudis Rex Oſtrogothorum primus in Hiſp. regnat. 284.
Thomaſſinus Ludovicus laudatur. 91. *Reprehenditur*. 83. *Ejus opinio de Conciliis Hiſp. rejicitur*. 98. *Perinde de jurepatronatus*. 300. *Necnon de judiciis*. 145. *Idem a Luca Tudenſi deceptus falſa affirmat de S. Pallio*. 227. 229.
Toletana Sedes Regia Gothorum. 5. *Ibidem inaugurabantur*. 12. *Fit ſedes creandorum, ordinandorumque Epiſcoporum totius Regni*. 160. *Ut Conſtantinopolitana ſenſim augetur, magno tamen diſcrimine*. 197. & ſeq. *Exaltatio ejus ante annum M. nullo nititur privilegio Apoſtolico*. 66.
Toletanus Epiſcopus aliis Hiſp. Metropolitis æqualis. 63. *Seculo VII. declinante præfertur cæteris*. Ibid. *Primas decla-*

Digitized by Google

ratur. 131. 153. 157. *Adverſus eum inanes nonnullorum conatus*. 189. *Provinciæ eum detrectantes docentur*. 185. & *ſeqq. Fit Vicarius Apoſtolicus in Primatus inſtauratione poſt ejectos Mauros*. 186. 208.
Toletanus Epiſcopus inaugurator Catholicor. Regum. 12.
Toloſa Regia olim Sedes Vviſigothorum. 26.
Tonſura Clericorum apud Hiſpanos. 140.
Translatio Epiſcoporum in Concil. Hiſpan. 155. 157. *Facta contra Canones reprimitur a Rom. Pont*. 158. *Ante octavum ſec. translationes factæ*. 161.
Traſamundus Rex Vvandalor. Eccleſiæ Afr. perſequutor maximus. 283.
Tribunal Cauſarum Eccleſiæ Hiſpanæ omnium Concilia. 150.
Triennalis poſſeſſio. 50.
Trina merſio in baptiſmate. 51.
Tudenſis Lucas impoſtor inſignis. 227.
Tyuphadi Officia Palat. Gothorum, & *Tyuphadia*. 30. 40.

V

Vicariatus Apoſtolicus quare inſtitutus : nullaque ejus neceſſitas in Hiſp. per ſec. VII. 67.
Vicarii Apoſtolici per Hiſpaniam. 208. *Per pallii traditionem nil novæ autoritatis acquirunt*. 242.
Victorianus Abbas Aſanenſis. 285.
Viennenſis Epiſcopus petit Pallium a S. Sede. 245.
Vigilii Epiſtola ad Profuturum Bracar. 337.
Villici, Græcis Œconomi, Officia Palatina Gothor. 31. 43.
Unctionis ſacræ Catholicorum Regum initia. 12.
Voltaire opinio de Regno Gothico rejicitur. 9.
Urbanus II. Toletanum Primatum inſtaurat. 184.
Wamba Rex conjurationem in ſe deprehendit. 6. *Exautoratur in Concilio*. 17.
Wandali debellantur in Africa. 282.
Witizza Rex Gothor. quo mortis genere afficitur. 4.
Wittericus perinde R. Gothor. ſimiliter, &c. 4.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google